Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTIQVITATES EBRAEORVM DE ISRAELITICAE GENTIS

Origine, Fatis, Rebus Sacris Ciuilibus & Domeſticis, Fide, Moribus, Ritibus, & Conſuetudinibus, Antiquioribus, Recentioribus exponentes.

VOL. I.

Ebraeorum Scripta ſacra, Libros ſymbolicos, Antiquitatum ſcriptores & Praecepta ſiſtit.

Delineante

ANDR. GEORGIO WAEHNER
Lingu. Or. P. P. O.

in

Academia Georgia Auguſta.

GOTTINGAE,

Typis A. VANDENHOECK, Acad. Typogr.

MDCCXXXXIII.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

SECTIONES.

I. Scripta ſacra.

II. Libri ſymbolici.

III. Antiquitatum ſcriptores.

IV. Praeceptã.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

GERLACO ADOLPHO

DE MVNCHHAVSEN

DYNASTAE IN STRAVSFVRTH cet.

AVG. MAGNAE BRITANNIAE REGI ET ELECTORI BRVNSVICO-LVNEBVRGICO

A CONSILIIS INTIMIS

ET

MAGNO ADVOCATO CELLENSI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIME DOMINE,

DOMINE INDVLGENTISSIME,

Religioni ducere mihi deberem, qualescunque haſce plagulas ILLVSTRISSIMO TVO NOMINI *conſecrando, vel ad minimum temporis momentum arduas* TVAS, *quas ſalus publica ſibi vindicat, interrumpere curas; niſi* SVMMO MAECENATI, *qui non minori litterariam quam publicam rem prouidentia dignaris, me eas tradere ſcirem.* TIBI *ſuas,* ILLVSTRISSIME DOMINE, *noſtra haec academia debet natales;* TIBI *ſuum florem.* TIBI *primi illius debentur fructus. Tanta* TVA *humanitas eſt, vt ignobiliores quoque non reſpuas* TIBI *oblatos. Admirabilis* TVA *in ſingulas bonarum litterarum*

rum partes propenſio, quicquid proficiſci a quocunque poſſit, clementiſſime admittit. Haſce igitur academicorum meorum laborum primitias humillimo pietatis affectu TIBI *offerre non dubito. Id quod eo confidentius facio, quo aequius eſt, vt, quam vel feliciter vel impigre ſaltem in meis decurram ſtadiis,* TIBI *reddam rationem. Benigniſſimum numen indefeſſis ſollicito precibus, vt* TANTVM *academiae noſtrae quam diutiſſime ſupereſſe iubeat* MAECENATEM; *cuius nonſolum in anguſtis illius, dum erit, cancellis, verum etiam in vniuerſo orbe litterato, perennaturae laudes manebunt.*

ILLVSTRISSIMO TVO NOMINI

Scrib. in Acad.
Georgia Auguſta,
d. XII. Sept.
CIↃIↃCCXLIII.

deuotiſſimus

A. G. WAEHNER.

Digitized by Google

LECTORI S.

Vigilantibus iura sunt scripta; & *scrutantibus sacri codicis monumenta.* Equidem legunt multi; diligenter leguut non pauci; & tamen intelligunt non nisi pauci. Non te fugit, beneuole lector, Romanorum libros infeliciter legere eum, qui res Romanorum & litteras ignoret. Par Graecorum ratio est; par Ebraeorum. *Coecutit in sanctissimis vtriusque foederis monumentis*, qui *Ebraeorum linguae, historiae, morum, rituum, consuetudinum, peritia bene munitus* ad ea *non accedat. Iudaeis* hi libri sunt scripti, & si qui *Iudaica ciuitate* essent *donati;* non barbaris. His ad haec sacra non minus, quam ad interioris quondam templi atria, aditus est intercluſus. Omnes absunto profani, omnes stertentes. Sedere in templo nemini fas fuit, nedum dormire. *Vigilet ipse necesse est, qui vigilum vocem audire cupiat.*

De *antiquo foedere*, quod ebraea dialecto conscriptum sit, & Iudaeorum de rebus exponat, omnes habebimus consentientes. Diuersam autem *noui foederis* monumentorum, quae & graece concepta sint, & Christi doctrinam nobis exhibeant, rationem esse, multi putabunt. Non vero errauerit, qui *istis subsidiis* haecce scripta *vel magis indigere* contendat. *N. T. vocabula graeca sunt; oratio, Ebraea, Chaldaica, Syriaca, Talmudica.* Quas

linguas qui non probe calleat, is a N. T. lectione recedet, vt a psalmorum latinorum sanctimoniales. Qui, praeter linguas, *leges, ritus & ceremonias Mosaicas* non ignoret, is *veteris foederis* scripta sine haesitatione leget. Dispar *noui foederis* monumentorum ratio est; ad quae intelligenda, *pharisaicae* praeterea *legum explicationis, statutorumque & scitorum recentiorum millenorum, peritia* requiritur. *Anti-Iudaicum scriptum N. T.* est; quo omnis Iudaeorum doctrina accurate examinatur, puriora retinentur, cetera reiiciuntur, & cur per Christianos adoptari non debeant docetur. In omnibus propemodum paginis contra Iudaeos disputatur: Et, quod probe notandum, *illorum* quidem *more disputatur.* Quo igitur, quaeso, successu in N.T. interpretando laboret rerum Iudaicarum ignarus? Ita id intelliget, vt Ciceronis epistolas Romanae historiae rudis. Det *epistolae Pauli ad Romanos* aptum Commentarium *disputationis Talmudicae* imperitus, si vir sit. Promere sane ex illa poterit multa *credenda & agenda piasque meditationes.* Id vero pius rusticus non minus praestabit. *Theologi* est, *omnes sanctissimae nostrae fidei res ex sacris monumentis deriuare;* &, vt id possit, *genuinum eorum sensum ita rimari, vt nullibi a dicente vel scribente deflectat.* Qui vero sacris scriptoribus affingat, de quibus illi nunquam cogitarunt; is profecto verissimas theses contra aduersarios infeliciter tuebitur;

Est

Est hoc, *polyedris pro perspicillis uti*; vt multiplicata obiecta videantur quidem, manum autem ad ea frustra extendat imperitus.

Agnouerunt hoc viri de re Christiana immortaliter meriti, qui pretiosissimos orientis thesauros in occidentem deportarunt. Nisi enim *Reuchlinus* fuisset; *Lutherus non* futurus fuisset *Lutherus*, nec ceteri, qui fuerunt, *restitutae veritatis praecones*. Pudeat hodie theologos illos, in quibus laudabilis hic priscorum ardor pessime deferbuit, & qui, cum ne *balbutire quidem* Hebraica possint, strenuos se Christianae veritatis propugnatores esse somniant; parumque abest, vt, *Hebraice scire*, illis *haereticum* sit. Contra ea laudibus satis extolli nequeunt *Lightfootus*, *Surenhusius*, *Pfeifferus*, *Carpzouius*, *Schoettgenius*, alii, qui veluti ex profundissimis fodinis pretiosissima metalla depromere orbem Christianum edocuerunt. Horum ego quidem libros summa cum delectatione diligentissime euolui; nec infelicibus hominum, qui, quod non intelligunt, damnare procliues sunt, me clamoribus passus sum deterreri. Equidem agnoui, *scoriis metalla* nonnunquam esse *inuoluta*. Hoc autem bonis viris vitio dari non debet. Homines enim sumus, a quibus nihil humani est alienum. Dummodo multi vestigia eorum feliciter premerent; *defaccatissimum* tandem *obryzum* essemus habituri.

Su-

Surenhuſii quidem Βίβλον καταλλαγῆς egregia multa & vera continere, cum ſtudioſus in alma Julia litteris operam darem, iam intellexi. Fuerunt autem ſemper, ex quibus me extricare nullo modo poſſem. Dubius haerebam, nec ſine magna animi ſollicitudine, illene non ſatis intellecta ſcripſiſſet, an ego impar eſſem bene per illum traditis aſſequendis. Vtrumque verum fuiſſe, tandem intellexi. Cum enim auguſtiſſimi regis noſtri prouidentia *muſarum ſedes* facta eſſet *Gottinga*; ſtudioſus Medicinae Iudaeus, *Beniamin Wolff Gintzburger*, huc aduolauit. Is ex familia, quae per multa iam ſecula eruditiſſimos Poloniae doctores & prouinciales dedit, eſt ortus. Ipſe vero ita gentis ſuae litteris eſt imbutus, vt ſimilem non viderim, & *Concordantiarum Talmudicarum* nomen ſuo iure tueri poſſit. Hoc familialiter vſus, breui diiudicare didici, & in quibus à vero aberraſſet Surenhuſius, & quae ego in illo non eſſem adſequutus. Id quod vtrique noſtrum condonari debere fatebuntur viri, qui non ignorant, quam ardua haec ſint, nec ſine periti Iudaei, quorum vero vix vlli apud nos deprehenduntur, opera extricanda. Rara igitur hac felicitate beatus, impie me facturum credidi, niſi penitiora in penetralia, quae Surenhuſio ſuus praeceptor Iudaeus non recludere potuiſſe videatur, penetrarem; omnemque *philoſophiam & hermeneuticam Talmudicam* mihi redderem familiarem: licet ſine magnis ſum-

ſumptibus & vix ac ne vix quidem ſuperando labore id fieri non poſſe praeuiderem. Vicit autem taedia haec diſcendi & rei litterariae Chriſtianae aliquid acquirendi ardor & cupiditas. Candorem quoque praeceptoris mei, qui non minor in illo eſſet quam doctrina, debitis laudibus priuare non debeo. Cuius abitum aegre fero; ſummis enim in Medicina honoribus condecoratus Gottingam iam reliquit vir experientiſſimus. Sed nec id didiciſſe poenitebit, tam *peruerſe adhuc a Chriſtianis contra Iudaeos diſputatum fuiſſe*, vt peritis inter eos non potuerimus non videri aërem ferire. Id quod *non credidi illi, cuius manuductione ſum vſus; ſed manibus palpare iam poſſum.*

Ne vero mihi ſoli didicerim; cum beneuolo lectore, quae didici, communicare, illiusque cenſurae ſubiicere, decreui. Quale eſſe debebat, *Antiquitatum Ebraeorum compendium* adhuc deſideratur. Quod num à me expectari poſſit, valde quidem dubito; cum viri hac in arena exercitatiſſimi, quod deſideraretur, reliquerint. Id vero virum bonum deterrere non debet. Faciam ſane, quod potero. *Perficiant poſteri, quae imperfecta à nobis relinquuntur.* *Duo* compendii mei *volumina* vides, beneuole lector. Quae vbi non diſplicere intellexero, vitamque & vires deus conceſſerit; telam hanc pertexere conabor. Quid in ſcribendo ſequutus fuerim, paucis iam exponam.

Praenoſcenda Volumen primum continet, ſi quis felici ſucceſſu in rerum Iudaicarum campum deſcendere velit. Quoniam in illis, quae alios bene iam exhauſiſſe intelligerem, non moleſte prolixus eſſe volui; in *Sect. I.* breuitati quam maxime ſtudui. In capite tamen de *Maſora*, quae non vbique inueniantur, me attuliſſe confido. De *rotatilibus* quoque *pentateuchi voluminibus* me plenius diſſerere debere putaui; quia non vna de cauſa ſcire noſtra intereſt, quaenam horum debitis requiſitis ſint inſtructa, quae minus.

Sectio II. Talmudis non ligaturas, ſed *interiora*, contemplatur. *Claues* ſane *Talmudicas* me limatiores feciſſe, aditumque ad illius lectionem faciliorem, confido. Inuenies in illa dilucide aptoque ordine expoſita, quae in libris *Halichoth olam* & *Sepher Crithuth* obſcure ſatisque confuſe habentur. Eorum quoque, quae in *Surenhuſii* Βίβλῳ καταλλαγῆς bona eſſe iudicauimus, hic reperias compendium. Fortaſſe etiam nonnulla, quae in modo dictis libris fruſtra quaerantur, hic inuenies. Coronant opus *tredecim* illi *R. Iſmaëlis hermeneutici canones.* Qui, cum antea ſine Iudaei opera intelligi nequiuerint, iam intellectu facillimi erunt. Quae enim *Struuius Rudimenta Logicae Ebraeorum* dedit, ea ita ſunt manca, vt vix aliquis eorum ſit vſus. Horum canonum ope intelligitur, quae *Iudaicae pentateuchi explicationis fundamenta* ſint. Et hos qui ignoret, *fruſtra*

cum

cum Iudaeis disputat. Noli autem suspicari, Iudaeorum vulgo eos cognitos esse; licet nomina non ignorent. Quos singulos ne illi quidem satis intelligunt, qui in eruditis numerari suo iure possint; sed soli exercitatiores. Omnes regulas habes, beneuole lector. *Exempla* autem *ex Talmude* in forma extensa *latinitate donare* notisque illustrare debuissem. Sed hoc compendii limites excedit. Separatim igitur dabo, si desiderentur, & sit, qui sumptus impendat.

Sectio III. Iudaeorum libros recenset, qui ab *Antiquitatum Ebraeorum* studioso, praeter codicem *sacrum symbolicosque Iudaeorum libros*, legi debent. *Silentio infinitos Judaeorum* scriptores, quibus carere possumus, transii. Neque minus *Christianos*; quorum aliunde peti notitia potest.

Quia Judaeorum suis de rebus libri difficulter intelliguntur, nisi *generalia* quaedam *de eorum praeceptis* viam lectori ad eos aperiant; haec in *Sect. IV.* sunt pertractata. Et haec quidem sunt, quae in *volumine priori* comparent. Ad *posterius* accedimus.

Coecutit, qui sine *Ariadneo historiae, filo* ad explicandas res accedere velit. Cum vero haec *Chronologiam* supponat; maxime Ebraeorum in rebus, cum aliter Judaei, atque nos facere consueuimus, tempora ordinent, diuersasque habeant aeras: *Sect. V. Ebraeorum Chronologiam* explicat.

Exci-

Excipit hanc, in *Sect. VI, Hiſtoria Ebraeorum ciuilis, ſacra & litteraria.* In qua neque illas neglexímus *fabulas,* quae Talmudi Judaeorumque libris intelligendis inſeruiunt: ita tamen, vt, quae ſubleſtae fidei ſint, non diſſimulauerim. *Doctores Miſchnicos* & *Gemaricorum* eos, quorum aetas uon penitus ignoratur, ad ſua retulimus ſecula. Noli conqueri, lector, me *ſola* appoſuiſſe *nomina.* Illorum, de quibus dici aliquid poteſt, res geſtas & hiſtoriam facile colligas. *Nominum* autem *ad ſua ſecula relatorum,* quod ſine labore a me non eſt factum, licet in eiusdem aetatis viris, quem priori quem poſteriori loco ponerem, ſcrupuloſus non fuerim, *Iudaeorum in rebus non minor vtilitas* eſt, quam *in Chriſtianorum*, ſi, *quibus ſeculis eccleſiae doctores & haereſiarchae* floruerint, non ignoretur. Quoniam *doctorum,* qui *poſt conſcriptum Talmud* vixerunt, diſpar ratio eſt; de his nihil dixi.

Quae de *Ebraeorum Sectis* & *eruditione* ſcitu neceſſaria ſunt, ea ſingula in ſectione de hiſtoria dici non potuerunt. De his igitur in *Sect. VII. & VIII.* fuſius diſſerui.

Ne ſuſpicetur beneuolus lector, *curioſitatis* quam *vtilitatis* me fuiſſe ſtudioſiorem. Superflua videri poterant multa; exempli gratia, quae Sect. VIII. §. 30. *doctrinae* per Judaeos tribuuntur *nomina.* At vero non ſunt. In *noui foederis monumentis* eadem reperias. Dicitur doctrina *ſapientia,* 1. Cor. I, 19. 21. II, 1; *lex,* Philipp. II, 5. Epheſ. II, 15; *lux,* Matth. V, 14;

aqua

aqua, Joh. IV, 10; *vinum*, Matth. IX, 17; *lac*, 1. Cor. III, 2; *frumentum*, Matth. XIII, 3. 24; *margarita*, Matth. XIII, 45. 46; *thesaurus absconditus*, Matth. XIII, 44; *aculeus boum*, Act. IX, 5. Iam igitur qui consideraverit, easdem Judaeis familiares fuisse, quas Christo diuinisque illius legatis figuras, mirari desinet, cur figurate hi saepius sint loquuti. Qui *doctrinam* cum *ficu* n. Judaeis comparari recordetur; rectius fortasse intelligat, cur *ficum, in qua fructus non inueniret, exarescere iusserit seruator*. Sed haec minoris momenti sunt. Magis ardua inueniet, qui N. T. legens eorum, quae scripsi recordabitur. Plus enim, *quae hisce in voluminibus* continentur, quam quae deo volente sequentur, ad *N. T. exegesin* conferunt. Attamen illa ita quoque comparata erunt, vt vel *noui* vel *veteris foederis monumenta* vel *Judaeorum de suis rebus libros lecturus* iis carere nequeat. At hoc meum erat suis locis monere. At vero compendium, non systema, me scribere voluisse, memento, beneuole lector. Sed nec feci, vbi vel sola capitis commatisue excitatione fieri potuisset. Lectorem enim occupandum non esse duxi; qui sibi relictus felicius fortasse, quam ego, bona multa ex hisce deriuaret. In praelectionibus autem iis vti commilitones assuefacio.

Quantum quidem in me positum fuit, *veritatis* fui *studiosissimus*. Hinc non dissimulaui, quae non nisi *coniecturae* essent. Minus quoque, quam alii multi, *in Judaeos iniurius* fui. In quemlibet enim aequum esse, virum bo-

num

num decet. Ne quid ſuo loco fruſtra quaereretur, *eandem rem pluribus in locis*, vbi opus eſſet, *repetere* non dubitaui. Quae *ex fontibus deriuari* poterant, ex riuulis non deduxi. Interim *errare humanum eſt*; quod à me alienum non eſſe profiteor. *Nec emendare me pudet*, in quibus ſit peccatum; *ſed in errore perſeuerare.* Quare veniam ab aequis lectoribus ſpero, ſi qua ſint, erunt autem omnino, quae minus recte ſe habeant. Veritatem, non gloriam, quaero. Quos inuenio, abſtergere errores quotidie laboro. Sique viri boni, quos ego fortaſſe non videam, mihi commonſtrare voluerint; illorum benevolentiae id acceptum habebo, vt meum aliquando foetum videam formoſiorem. Iam vero illo, qualis eſt, mecum vtere, beneuole lector; conatibus meis faue, &, ſi haec non diſpliceant, plura expecta. Scrib. in acad. Georgia Auguſta, d. XII. Sept. cIↃ IↃ CC XLIII.

)o(

SECTIO I.

DE

SCRIPTIS EBRAEORUM SACRIS.

SECTIO I.

1. Scripta Ebraeorum sacra in genere.
2. Pentateuchus.
3. Libri Prophetici.
4. Iosuae liber.
5. Iudicum liber.
6. Samuelis 2. libri.
7. Regum 2. libri.
8. Esaiae vaticinia.
9. Ieremiae vaticinia.
10. Ezechielis vaticinia.
11. Hoseae vaticinia.
12. Ioëlis vaticinia.
13. Amosi vaticinia.
14. Obadiae vaticinia.
15. Ionae vaticinia.
16. Michae vaticinia.
17. Nachumi vaticinia.
18. Chabacuci vaticinia.
19. Zephaniae vaticinia.
20. Chaggaei vaticinia.
21. Zachariae vaticinia.
22. Malachiae vaticinia.
23. Hagiographa.
24. Psalmi.
25. Prouerbia.
26. Iobi liber.

27. Canticum Canticorum.
28. Ruthae liber.
29. Threni.
30. Eccleſiaſtes.
31. Eſtherae liber.
32. Danielis vaticinia.
33. Eſrae liber.
34. Nehemiae liber.
35. Chronicorum 2. libri.
36. Maſora.
37. Verſiones ſacrorum monumentorum.
38. Verſio Graeca Alexandrina.
39. Targumim, vel Paraphraſes Chaldaeae.
40. Paraphraſes Chaldaeae Pentateuchi.
41. Paraphraſis Chaldaea Prophetarum.
42. Paraphraſis Chaldaea Hagiographorum.
43. Codices manuſcripti monumentorum ſacrorum celebriores.
44. Editiones monumentorum ſacrorum celebriores.
45. Rotatilia Iudaeorum pentateuchi volumina.
46. Libri in Codice ſacro citati.
47. Libri Apocryphi.

DE SCRIPTIS EBRAEORUM SACRIS.

PROOEMIUM.

§. 1.

Fontes antiquitatum ebraeorum.

Duo sunt *fontes*, ex quibus omnis Judaeorum doctrina, omnis fides, *omnes mores & consuetudines* manant: *Codex sacer*, *& libri* eorum *symbolici*. De vtrisque nobis praefandum erit, antequam sacra eorum adire audeamus: Quo ex ipsis fontibus limpidam haurire aquam discamus; nec ex riuulis turbulenta sitim restinguere cogamur. Quare in hac sectione de *Codice sacro* dicetur.

Codex sacer ad nos quoque pertinet.

§. 2. Quae quidem tractatio vel eo ex capite gratior nobis esse debet, quod eadem diuina scripta cum illis nos quoque communia habemus. Circa quae multis modis peccatur; malitiose, à profanis; imprudenter, à superstitiosis; negligenter à plerisque; pessime ab iis, qui ceteris ad salutem cum praesentis tum futurae vitae ex *his* ipsis scriptis inuestigandam sedulos se duces praebere debebant. Quorum peccatorum

catorum quod sit tetrius, quod periculosius, quod lethalius, non facile dixerim.

Cuius sedula lectio commendatur.

§. 3. Quotusquisque quaeso nostrum haec tam salutaria scripta se intelligere dicere possit? Cum tamen multi sint, qui Ouidium, qui Plautum, qui Catullum, qui spurcissimum quemque vel Latinum vel Graecum scriptorem. Nimirum ex sociis noscuntur. Quasi vero difficilius esset, legere discere librum, qui lingua omnium facillima est conscriptus, quam qui difficilioribus. Sed hac scientia carere nos posse initio credimus. Vbi non posse sero intelligimus; vel ad Commentariorum, nobis non multo peritiorum, imbecillem confugimus opem; vel, quod horrendum, eam nobis sumimus licentiam, vt, ex quouis quoduis facientes, omnia misceamus, peruertamus, deturpemus. Rectius profecto fecerunt ii, quibus in repurganda ecclesia ante hos ducentos annos ministris vsa diuina prouidentia est. Qui ardor o! vtinam apud nos diutius perstitisset! Metuendum sane est, nisi brevi reuertatur, ne in tenebras Cimmerias, in quibus propter hanc ipsam culpam papicolae delitescunt, nos quoque relabamur.

Illius historia hac sectione traditur.

§. 4. Curiosiores quidem circa corticem versamur. Quaestionibus inutilibus nulliusque momenti occupati, nostro nos officio egregie satisfeciisse speramus, de ipso nucleo

nucleo non ſolliciti. Quae ipſa cauſa eſt, ob quam & me, corticem in praeſenti ſcalpentem, prolixiorem eſſe, quam volueram, oportuerit: Quo occaſionem nanciſcerer docendi, multis de rebus iuſto curioſius, prolixius, temerius, & timidius, diſputari. Quantum fieri potuit, breuitati (a) ſtudui; ita tamen, ne quid eorum, quae vtilia eſſe poſſe viderentur, omitteretur.

§. 5. Accuſantur vulgo Judaei, quod ſacri codicis lectionis ſint negligentiores, & *quod minorem illi quam traditionibus ſuis tribuant auctoritatem.* Sed temere hoc fit. De priori teſtantur copioſi ab illis conſcripti Commentarii; Ex quibus, quicquid boni habent, noſtri acceperunt: Si pauca excipias, de quibus per noui foederis ſcripta nos rectius edocemur. Poſterioris criminis & huius & ſequentis ſectionis non pauci paragraphi eos abſoluent. Judaei in illius lectione multi ſunt.

(a) Qui diuerſarum ſententiarum patronos, propugnatores, & oppugnatores proli-xius enumeratos videre cupit, euoluat Joann. Chriſtophor. Wolfii Bibliothec. Hebr. Part. II.

CAP. I.

DE

SCRIPTIS EBRAEORUM SACRIS. IN GENERE.

§. 6.

Librorum ſacrorum numerus & nomina.

Scripta Ebraeorum ſacra, quae indubitata fidei morumque norma ſiue canon cum illis tum nobis ſunt, libris XXIV. conſtant. Joſephus, (b) qui libros Judicum & Ruthae, ſimiliterque Jeremiae vaticinia & Threnos, in vnum librum compingit, non niſi XXII. numerat. A Judaeis *Libri viginti & quatuor* (ספר הארבעה ועשרים, עשרים וארבע) ſ. *Scripta ſacra* (ספרי חקדש ſ. כתבי הקדש) *Verſus* (פסוק) *Lectio*, (מקרא), *Scriptura* (כתוב), *Lex* (תורה), (c) *Lex ſcripta* (תורה שבכתב) appellantur; A nobis, *Biblia ſacra*, vel *Scriptura ſacra Veteris Teſtamenti ſ. Inſtrumenti.*

Claſſes eorum generaliores.

§. 7. *Tres* horum librorum *claſſes* vulgo faciunt Judaei; Quos in *Legem*, *Prophetas* & *Hagiographa* (תורה נביאים וכתובים) (d) diſpeſcunt

(b) Contra Apionem, lib. I. p. 1036. edit. Colon. 1691. Et edit. Hauercampi Tom. II. p. 441.

(c) E. g. Sanhedrin, fol. 91, 2. Vbi quaeritur: מנין לתחית המתים מן התורה *Quibus quaeſo legis effatis mortuorum reſurrectio euincitur?* Aſſeruntur-que loca, Ioſ. VIII, 30. Pſ. LXXXIV, 5. Eſ. LII, 2. Conf. Sanhedr. fol. 92, 1.

(d) Luc. XXIV, 44.

diſpeſcunt. Quarum non niſi duas, *Legis & Prophetarum*, Chriſti aetate obtinuiſſe, ex quibusdam N.T. locis (e) nonnulli coniiciunt. Joſephus (f) hos libros in 5. Moſaicos, 13. Phropheticos, & 4. Carminicos diſtinguit.

§. 8. *Libri prophetici* (נביאים) in *priores* (ראשונים) & *poſteriores* (אחרונים) ſubdiuiduntur. Quinque ex *Hagiographis* (כתיבים) *quinque voluminum minorum* (חמש מגלות) nomine venire ſolent. Specialiores.

§. 9. Non eo omnes *ordine*, quo ſunt *ſcripti, aut res in iis contentae* geſtae, in *codicibus vel MSCtis vel impreſſis*, libri hi ſacri hodie comparent (g). Nec eodem ſemper ordine cum à Judaeis tum Chriſtianis diſpoſiti fuerunt (h). Exempli cauſa *in prophetis* poſterioribus quondam *Ieremias*, & *in Hagiographis Ruth*, primum locum occupauit. Ordinis à ſe traditi rationes in medium proferunt Talmudici. Ordo librorum.

(e) Luc. XVI, 29. 31.

(f) Loc. cit. §. 6. lit. b. praeced.

(g) E. g. Liber Ruthae, qui in Hagiographis per Judaeos collocatus, pro chronologiae ordine Iudicum libro iungi debebat.

(h) De diuerſo ordine; quo libri biblici diſpoſiti fuerunt. ad taedium vsque prolixi ſunt *Humfredus Hody* in commentatione de Textibus originalibus bibliorum p. 644. ſeqq. & ex hoc *Io. Chriſtoph. Wolfius* in Bibliothec. Hebr. Part. II. p. 49-62.

In ſchemate ſequenti columna A ordinem vulgo hodie in Bibliis Ebraicis, columna B in Babha bathra, (i) obvium dat.

		A.	B.
	PENTATEUCHUS. תורה		
	1. Geneſis. בראשית	1	1
	2. Exodus. שמות - -	2	2
	3. Leuiticus. ויקרא	3	3
	4. Numeri במדבר -	4	4
	5. Deuteronomium. דברים	5	5
	PROPHETAE. נביאים		
נביאים ראשונים Priores.	1. Ioſuae. יהושע - -	6	6
	2. Iudicum. שופטים -	7	7
	3. II. Samuelis. שמואל	8	8
	4. II. Regum. מלכים	9	9
נביאים אחרונים Poſteriores.	5. Ieſaias. ישעיה -	10	12
	6. Ieremias. ירמיה -	11	10
	7. Ezechiel. יחזקאל -	12	11
	8. XII. Proph. min. תרי עשר	13	13
	HAGIOGRAPHA. כתובים		
	1. Pſalmi. תהלים -	14	15
	2. Prouerbia. משלי -	15	17
	3. Iobus. איוב - -	16	16
חמש מגלות V. Vol. min.	4. Cantic. Cant. שיר השירים	17	19
	5. Ruth. רות - -	18	14
	6. Threni. איכה, קינות	19	20
	7. Eccleſiaſtes. קהלת	20	18
	8. Eſther אסתר - -	21	22
	9. Daniel. דניאל - -	22	21
	10. Eſra & Nehemias. עזרא	23	23
	11. II. Chronic. דברי הימים	24	24

§. 10.

(i) fol. 14, 2.

§. 10. Non maior in *librorum* plerorumque *ordinandis partibus* chronologiae habita videatur ratio. De Pentateucho ipsi Judaei fatentur, sectiones (פרשיות) non, quo res gestas vel etiam conscriptas, eo quoque ordine esse collocatas (k). Et de propheticis libellis non vbique secundum chronologiam dispositis & apud Iudaeos & apud Christianos in confesso res est (l). Ordo partium librorum.

§. 11. Libros sacros olim *vna serie*, & *sine vllis vel distinctionis signis vel interstitiis*, *scriptos fuisse*, *ita vt ne vox quidem* à voce seiuncta *esset*, se accepisse *tradunt* Iudaei (רעת בעלי הקבלה כל התורה היא כפסוק אחד ויא תיבה אחת) (m). Quod vt non solum de his, verum etiam ceteris antiquorum libris, vere dici credamus, veterum simplicitas suadet. Accedit, quod ad eiusmodi antiquos codices nonnulli prouocant (n). Hodie in *Versus*, *Capita* & *Libros masorethicos* sunt distincti. Distinctio librorum.

§. 12.

(k) Secundum illud: אין מוקדם ומאוחר בתורה, *Ex ordine, quo quid in pentateucho vel priori vel posteriori loco* (in diuersis sectionibus) *compareat, iudicium non est ferendum.* Psachin, fol. 6, 2. Conf. Num. I, 1. & IX, 1.

(l) Conf. Ier. XXVIII, 1. XXXVI, 1.

(m) Vid. Elias. Leuita praef. tertia libri Masoreth hammasoreth.

(n) Hotting. In Thes. Philol. p. 99. & 226.

Verſus. §. 12. Pronunciationem ſecundum *Verſus* ſiue *Commata* (פסוקים), non diſtinctionis ſigna, ab ipſo Moſe ſcriptoribusque ſacris Iudaei repetunt. Quare religioni ſibi ducunt, Pentateuchum, aliter quam ſecundum verſuum diſtinctionem in ſynagogis praelegere (o). Verſuum per ſigna diſtinctionem num Eſrae & virls ſynagogae magnae tribuant Iudaei difficile dictu eſt (p). Sunt, qui veteres verſus hodiernis minores habuiſſe augurantur (q). Diſtinctio in verſus non vbique ita eſt apta, vt manum θεόπνευστον agnoſcere videri poſſit (r). Totus codex ſacer hodie Verſus 23100. habet.

Capita. §. 13. *Capita* (פרקים) à Chriſtianis ad Iudaeos peruenerunt. Quorum primus *Mardochaeus Nathan*, in conſcribendis Ebraicis Concordantiis, iis eſt vſus (s). Totus codex ſacer Capita 929. habet.

Libri Maſorethici. §. 14. *Librorum maſorethicorum* (סדרים), quorum exiguus apud nos vſus eſt, numerus ſingulis libris in calce eſt adſcriptus. Indicem eorum Biblia Buxtorffiana in limine dant. Totus codex ſacer 447. habet.

§. 15.

[o] Megillah, fol. 22, 1.

[p] Vid Magillah, fol. 3, 1. Nedarim, fol. 37, 2. Conf. Aben-Eſra in limine libri מאזני צדק.

[q] Herm. v. d. Hardt, Progr. in Aben-Eſram, p. 48. ſq. Helmſt. 1712

[r] E. g. Gen. XXIII, 17. 18.

[s] Vid. illius praefat. ad Concordantias ſuas.

§. 15. *Auctorem* ſcriptorum ſacrorum ipſum *ſummum numen* eſſe, qui non credit, non magis Iudaeus quam Chriſtianus eſſe poteſt. Contendunt Iudaei, qui Deum huius *uniuerſi* conditorem agnoſcat, illi neque *hoc* creditu difficile eſſe poſſe (t). Ex *inſitis* argumentis Bochartus feliciſſime demonſtrauit (u). Auctor.

§. 16. Ita qui ſentiunt, non poſſunt non de eo conſentire, quod *ſcriptores*, quibus hac in re inſtrumentis uſus eſt Deus, *viri* θεόπνευστοι fuerunt. Quis vero hunc, *quis illum ſacri codicis librum* conſcripſerit, de eo *tum inter Iudaeos tum* Chriſtianos acerrime diſputatur. Qua de re ad ſingulos libros rectius dicetur. Hoc loco Talmudicorum ſententiam adſcribemus(w). Scriptores.

„ *Quis autem ſcripſit illos* (libros biblicos?)
„ MOSES *ſcripſit librum ſuum, ſectionem*
„ *de Bileamo, & Iobum.* IOSUA *ſcripſit*
„ *librum ſuum & octo verſus* (vltimos) *Pen-*
„ *tateuchi.* SAMUEL *ſcripſit librum ſuum,*
„ *librum Iudicum & Ruthae.* DAVID *eon-*
„ *ſcripſit librum Pſalmorum*, (quorum ta-
„ men nonnulli ſunt compoſiti) *per decem*
„ *venerabiles ſenes*; (nimirum) *per Adamum*
„ (ho-

[t] Vid. Moreh Nebhochim Part. II. c. 25. fol. 102, 2. edit. Sabionett.

[u] Epiſt. ad Tapinum. Vid Phaleg & Canaan, p. 926-943.

[w] Babha bathra, fol. 14, 2. 15, 1.

„(hominem) *primum, per Melchiſedecum,*
„*per Abrahamum, per Moſen, per Hema-*
„*nem, per Ieduthunem, per Aſaphum, &*
„*tres filios Korachi.* IEREMIAS *ſcripſit*
„*librum ſuum, libros Regum & Threnos.*
„HISKIAS *& amici eius* (libros, quorum)
„*memoriale IaMSCHaK* (eſt, nempe)
„*Ieſaiae librum, Prouerbia, Canticum can-*
„*ticorum, & Eccleſiaſten, in litteras rede-*
„*gerunt.* VIRI SYNAGOGAE MAGNAE
„(libros, quorum) *memoriale KaNDaG*
„(eſt, nimirum) *Ezechielem, Duodecim*
„(prophetas minores), *Danielem, & Vo-*
„*lumen Eſtherae.* ESRA *ſcripſit librum*
„*ſuum, & genealogias librorum Chronicorum*
„*duxit ad ſua vsque tempora. Quo ipſo* τῦ
„*Rhab effatum ſtabilitur. Quippe dicit Rabh*
„*Iuda, ſe ex Rabh audiuiſſe, quod Eſra ex*
„*Babylonia* (in Palaeſtinam ante) *non aſcen-*
„*derit, quam genealogias ad ſua vsque tem-*
„*pora duxiſſet. Tum eum demum adſcendiſſe.*
„*Quis vero cetera eorum* (librorum Chro-
„nicorum) *computauit? Nehemias, filius*
„*Checaliae,*“ Vbi tamen de primis non ſemper ſcriptoribus, ſed de librorum minorum in canonem collectoribus, alicubi loqui doctores Gemaricos exiſtimamus. Quibus ſubiungimus, non defuiſſe, qui traderent, libros ſacros in Babylonico exilio periiſſe, per Eſram reſtiduendos (x).

§. 17.

[y] 4. Eſr. XIV, 21. ſeqq.

Inſcriptionum auctores.

§. 17. *Inſcriptiones* vel *integrorum voluminum* (y) vel *minorum* in iis *libellorum* (z) in ſacro codice paſſim obuiae num per ipſos ſcriptores ſacros ſint praemiſſae, an per alios dein additae, dubitatur. Quam litem, cum tanti non ſit, nec certi quid ea de re vel affirmari vel negari poſſit, nos non componemus.

Veritas, Orationis genus, & Perſpicuitas.

§. 18. Cum ipſo ſummo numine moderante nonumenta haec ſacra ſint conſcripta, & per viros ſanctiſſimos; nulla probatione indiget, quod *nihil falſi*, nihil *indecori*, *nulli per ipſos* ſcriptores commiſſi *errores*, nullae veri *nominis contradictiones*, iis contineantur. *Orationis* tamen *genus ſuum vnicuique* ſcribentium permiſiſſe ſummum numen, ex *ſtyli diuerſitate* legentes nullo negotio animaduertent. Hinc alter ſublimius ſcripſit & ornatius; alter humilius & planius. Contra linguae genium nemo impegit, vt *barbariſmos* vel *ſoloeciſmos* committeret. Id quod vni alteriue vitio dare nonnulli imprudenter ſunt auſi (a). Denique neque eſt, cur de quorundam locorum *obſcuritate* conqueramur. Sunt omnino, quae difficulter hodie intelligantur, & non parum negotii interpretibus

[y] E. g. Hoſ. I, 1.

[z] E. g. Gen. V, 1. Prov. XXXI, 1.

[a] Abarbanel, Praef. Commentar. in Ieremiam, fol. 96, 2.

tibus faceſſant. At vero ſcriptoribus ſacris id imputandum non eſt, quod vel temporum iniuria contigit, vel in quo negligentia ipſi peccamus. De quibus ſingulis Iudaeos habemus conſentientes.

Idioma. §. 19. Conſignata ſunt ſacra Ebraeorum monumenta *idiomate Ebraeo*, perpaucis exceptis particulis, quae *Chaldaicae* (b) ſunt. Eoque idiomate non ſolum nos à Iudaeis ea accepimus, verum etiam ab illis religioſiſſime conſeruantur.

Litterarum figurae. §. 20. De *litterarum figuris* acerrime diſputatum fuit, vtrum Moſes & ſcriptores ſacri Babylonico exilio antiquiores *Samaritanis* aliisue vſi ſint, Eſra demum *Chaldaicas* ſubſtituente; an vero hodiernae Ebraicae antiquioribus iam Ebraeis vſitatae fuerint. Illud Samaritani iactant, (c) ſuaequae traditionis defenſores in Chriſtianis quoque inuenerunt (d). Qnos vero alii (e) oppugnarunt. Et ſane non infeliciter oppugnari poſſe videntur.

§. 21.

[b] Gen. XXXI, 4. Ier. X, 11. Dan. II. 4-VII, 28. Eſr. IV. 8-VI, 19. VII, 12-26.

[c] Vid. quae cap. 37. de Pentateucho Samaritano dicentur.

[d] *Ludov. Capellus*, in Arcano punctationis reuelato, & Diatriba de Hebraeorum litteris antiquis.

[e] *Io. Buxtorfius fil.* in Tract. de Punctorum vocalium antiquitate, cap. VII. & Diſſert. de litterarum Hebraicarum genuina antiquitate.

§. 21. De *punctorum vocalium* & *accentuum* recentiori aetate infra ad Maſoram dicemus. Puncta vocalia & Accentus.

§. 22. Quando & cuius auctoritate quilibet. V. T. liber fidei morumque *canon* eſſe coeperit, de eo multum inter eruditos diſputatur. Iudaeornm Chriſtianorumque plerique canonis complementum *viris ſynagogae magnae* (אנשי כנסת הגדולה) tribuunt (f). Quod tamen pro Iudaica fabula multi reiicientes, exiſtimant, alii, à piis hominibus hos libros priuatim fuiſſe lectos, donec *ſynagogarum praefecti* cum pentateucho ceteros quoque publice praelegendos ſtatuerent (g) Alii, *ſcribas publicos*, acta reipublicae in ſcriniis ſeruantes, eos in lucem emiſiſſe, vbi viſum illis fuerit, addentes iis aut dementes, prout è republica eſſe cenſuerint (h): Alii *Iudaeorum proceres* canonis auctores pronunciant (i): Alii *ante Maccabaeorum tempora* librorum ſacrorum collectionem factam eſſe *negant* (k): Alii denique contendunt, *à Moſis* Canon.

[f] Babha bathra, ſol. 14, 2. 15, 1.

[g] *Theologi Bataui*, in Iudiciis de Hiſt. Crit. Rich. Simon. p. 216.

[h] *Rich. Simon*, Hiſt. Crit. V. T. in praef. & lib. 1. p. 48.

[i] *Hobbeſ.* Leuiathan p. 199.

[k] *Spinoſa*, Tract. Theologico - Politic. cap. 10. p. 136.

à Moſis inde *aetate* libros canonicos inter Iſraelitas extitiſſe, in priori templo in arca ſacra reconditos; quibus paulatim plures acceſſerint, non Eſrae iudicio, nec ſynagogae vel ſynedrii decretis, ſed *vniuerſa eccleſia* eos *agnoſcente* & legente; *Leuitis, prophetis, Eſra, Nehemia, Malachia*, de librorum horum diuinitate turbam certiorem reddentibus. *Malachiae* denique *libro canonem* V. T. eſſe *clauſum*; Qui cauerit, ne traditiones humanae ſuperadderentur (l). Nos vero quid dicemus? [1] Inde à Moſis temporibus libros fuiſſe, quos Ebraea gens diuinos agnoſceret, ipſius ſacri codicis quaedam loca (m) nos dubitare non ſinunt. [2] Quando plures acceſſerint, dici pro certo nequit. Nullum tamen eſt dubium, quin, quam primum prophetae pro viris diuinis fuerunt agniti, illorum quoque ſcripta diuina haberi coeperint. [3] Canonis vniuerſi per Eſram conſtitutio ſuſpecta nobis non eſt, niſi ſint, quae in eo aetatem recentiorem manifeſte ſapiant (n). [4] Sed quid inde, ſi Eſra id non fecit? Id ſane V. T. ſacrorum librorum, quos

[l] *Loeſcher*, Commentar. de cauſis linguae Hebraeae, p. 7. *Io. Chriſt. Wolf.* Biblioth. Hebr. Part. II. p. 6. 7.

[m] Deut. XXXI, 22. 24. Ioſ. XXIV, 26. 2. Reg. XXII, 8.

[n] Qualis videri poſſit facta Iaddi pontificis mentio. Neh. XII. 11.

quos Iudaei & nos in hunc diem habemus, auctoritati ne minimum quidem derogat; Cum hos, & nullos praeter eos, *Christi & apostolorum aetate* pro diuinis agnitos fuisse, per N. T. scriptores & Iosephum (o) edoceamur.

§. 23. *Characteres* virorum, qui pro *canonicis scriptoribus* sint agnoscendi, inuestigaturum ad theologos ablegamus. Certiores autem dari nequire existimamus, quam quos prophetarum ipse dedit Moses. (p) Characteres scriptorum Canonicorum.

§. 24. *De libris canonicis* non minus *reuerenter* quam nos *Iudaei Rabbanitae* sentiunt. Ea tamen cum differentia, vt *maiorem* diuinitatis *gradum pentateucho*, *inferiorem propheticis* scriptis, *infimum hagiographis* tribuant (q). Calumniatores vero eos pronunciant, qui se diuinis hisce monumentis Talmud suum vel aequiparare vel praeferre dicant. Quae multorum ex male intellectis Iudaeorum effatis opinio est. Iudaeorum Rabbanitarum de libris canonicis iudicium.

§. 25. Contigit quidem aliquando, vt aliquos, nimirum *Ezechielis vaticinia*, *Ecclesiasten* & *Proverbia*, ex canonicorum librorum Dubitatio de quibusdam.

(o) Loc. cit. §. 6. lit. b.
(p) Deut. XVIII, 15-22.
(q) Megillah, fol. 26, 1. Conf. Raschi ad h. l. fol. 27, 1.

brorum numero *expungendos* cenſerent. Quod tamen factum non eſt (r).

Sadducaeorum & Karaeorum.

§. 26. *Sadducaeos* & *Karaeos* Chriſtianorum nonnulli perperam accuſarunt, quod *praeter Pentateuchum canonicos libros non agnoſcant* (s). Hac vero in re eos à vero aberraſſe, facillime demonſtrari poteſt (t).

Samaritanorum

§. 27. *Samaritanos* autem *praeter Pentateuchum nullos canonicos libros* agnoſcere, certum eſt. Quin calumniantur, Eſram impoſtorem, quem impie vocant, plures Iudaeis tradidiſſe (u).

Num libri canonici perierunt?

§. 28. *Pontificii* non ſolum *apocryphos libros*, quos aeque Iudaica eccleſia atque nos ignorat, canonicis iungunt (w); Verum etiam ſunt, qui integros *quoſdam* ſacri codicis *libros periiſſe* contendunt (x). Iudaeorum fide id ſtatuere perhibentur (y). At vero num hos de canonicis libris loqui ſatis

(r) Schabbath, fol. 13, 2. 30, 2.

(s) Vid. *Wolff.* Biblioth. Hebr. Part. II. p. 435.

(t) Vid. eiusd. Notitia Karaeorum, p. 156.

(u) Vid. Epiſtolae Samaritanae Sichemitarum ad Iobum Ludolfum, nec non ad fratres ſuos in Anglia. Cizae, 1688.

(w) Per decretum & anathema Concilii Tridentini. Seſſ. IV. d. 8. April. 1546. pronunciatum.

(x) Vid. *Hottingeri* Theſaur. Philolog. p. 532. *Io. Morini* Exercitat. Bibl. lib. I. Exerc. 6. c. 9.

(y) E. g. *Aben-Eſra*, ad Num. XXI. 14.

satis certum est? Rectissime illi facere videntur, qui librorum, qui periisse dicuntur, (z) alios nunquam extitisse, alios canonicos non fuisse, alios à libris in canone hodienum obuiis diuersos non esse, monent. Qui autem inter θεοπνεύστους & canonicos libros distinguunt, illorumque nonnullos periisse concedunt, horum vel vllum negant (a); annon vagis coniecturis se abripi patiantur, ipsi viderint. De his autem & apocryphis libris suo loco.

§. 29. De libris in sacro codice hodienum obuiis nonnulli existimant, quod non nisi *librorum sacrorum epitome* sint; non integri libri sacri, quales à viris diuinis sint conscripti (b). Alii, *mancos* esse, & loca in iis desiderari, conqueruntur. *Mutilatos* esse, variasque *mutationes passos*, & adulteratos multis in locis, clamant. Quare codici ebraeo nonnulli Samaritanum praeferunt (c); alii Versionem Alexandrinam

Num libri sacri sunt adulterati?

(z) Vid. infra Cap. 46.

[a] *Abr. Calouius*, in Critico sacro, p. 237.

[b] *Theodoretus*, in Praef. ad Comment. in lib. I. Reg. Tom. I. p. 230. &c. *Richardus Simon*, in Praef. ad Histor. Crit. V. T. & p. 48

[c] *Ioan. Morinus*, in Proleg. ad edit. LXX. Paris. 1628. fol. Exercitatt. in Pentateuchum Samaritan. Et Exercitatt. Biblicis. *Ludovicus Capellus*, in Arcano Punctationis reuelato, &c.

nam (d) graecam; nonnulli ex ſuo quoque ingenio ebraeum codicem integritati ſuae reſtituere laborarunt (e). At vero deteſtanda priorum credulitas eſt; & debiliora argumenta ſunt, quam vt in ipſorum partes trahere poſſint viros cordatos.

An data opera per Iudaeos?

§. 30. Ex nimio *Iudaeorum odio*, viri quoque non mali eos accuſarunt, quod aliquibus in locis *ſacrum codicem* data opera *corruperint* (f). Criminis autem huius temere reos factos eſſe Iudaeos, viri eruditiſſimi dndum intellexerunt (g). Rabbanitis ab ipſis Karaeis hoc quoque exprobrari nonnulli exiſtimarunt (h). Sed hos, de perverſa interpretatione loquentes, non recte intellexerunt.

An per librarios?

§. 31. Temporis iniuria & per *librariorum negligentiam*, quaedam *menda irrepſiſſe*, inficiari non poſſumus (i). Vti vero horum de incuria temere conquerendum eſſe non

[d] *Io. Morinus*; vid. lit. c. praeced. *Iſaacus Voſſius*, in Diſſertt. de Vera Aetate mundi.

[e] E. g. *Io. Clericus*, in Arte Critica, & Commentariis paſſim.

[f] Catalogum ita ſentientium vid. in *Wolf.* Bibliothec. Hebr. Part. II. p. 15-23. In quibus ſunt ipſe *Lutherus*, & *Aegid. Hunnius*, lib. II. c. 2. contra Bellarminum.

[g] Vid. & hos apud Wolfium, loc. cit.

[h] E. g. Verbis Mardochaci, Keraei in Wolfii Notitia Karaeorum p. 152. 153. obuiis.

[i] E. g. Conf. 2. Reg. VIII. 26. & 2. Chron. XXII, 2.

non cenſemus; ita eſt, cur gratias deo deuota mente agamus, quod effata fidem & mores ſpectantia nobis genuina & incorrupta conſeruare voluerit. Pie denique credunt noſtrates, nec in maioris nec minoris momenti rebus vllam *vniuerſalem corruptionem* codicem ebraeum paſſum eſſe; ſed quae paſſim occurant vitia, ea aliorum codicum beneficio emendari poſſe. Vtinam vero in re tanti momenti alacriores eſſent viri eruditi, quibus laudatae fidei codices inſpicere eſt datum vt eorum ope veriorem lectionem reſtituerent.

CAP. II.
DE
PENTATEUCHO.

§. 32.

Pentateuchus, Iudaeis *Torah* (תורה) ſiue *Chmiſchah Chumſche Torah* (חמשה חומשי תורה), Ebraeae gentis ab ipſis mundi incunabulis originem repetit; in Cananaeam iura exponit; legesque eidem à deo per Moſen praeſcriptas comprehendit. Hiſtoriam 2552. annorum, ab orbe condito ad Moſis vsque obitum, perſequitur. Pentateuchi nomina & contenta.

§. 33. *Moſen* huius ſcripti *auctorem* eſſe, probari ſolet [1] ex nonnullis ipſius pentateu- Moſes auctor.

tateuchi locis (k); [2] ex allegationibus in V. T. & N. T. factis (l); [3] ex vnanimi Iudaeorum & [4] Christianorum orthodoxorum consensu; [5] ex quibusdam gentilium id asserentium locis (m). Non possumus non confiteri, esse in his argumentis, quae, quod debebant, non probent. Salua interim res est, vel sola constanti Iudaeorum traditione omnibus diuersum auctorem nominantium somniis longe praeualente. Eorum autem patrocinium suscipere minime volumus, qui Mosen scriptorum omnium primum fuisse, & ipsas quoque litterarum figuras ab eo inuentas fuisse, nimis audacter affirmant. Neutrum sane doceri posse credimus. Quin scribendi artem iam ante Mosen cognitam fuisse, sigillum Iudae, quod Thamari pignori dedit [n], nos edoceat.

Aliter sentientes

§. 34. Non defuerunt, qui *pentateuchum* in forma extensa, qualis hodie est, *Mosi abiudi-*

[k] Exod. XVII, 14. XXXIV, 27. Deut. XXXI, 9. seqq.

[l] Quae loca collegerunt *Petr. Daniel Huetius*, Demonstr. Euangel. Propos. IV. c. 1. p. 98. seqq. *Hermannus Witsius*, in Miscellan. sacr. lib. I. c. 14. *Mich. Waltherus*, in Officina Bibl. p. 462. seqq.

[m] Qualia loca collegerunt *Huetius*, loc. cit. c. II. *Stillingfleetus*, in Origin. sacr. lib. II. c. 1. *Hugo Grotius*, de Verit. Relig. Christ. c. I. §. 16. &c.

[n] Gen. XXXVIII, 18. 25.

abiudicarent. Quorum nonnulli *Eſram* (o) alii *diuerſos ſcriptores* (p), ſcripti huius diuini auctores faciunt. Temere illi quidem. Minus tamen peccare videntur ii, qui argumentis, quamuis debilibus, moti, de ſcriptionis quidem inſtrumento dubitant; virum tamen alium θεόπνευστον ſubſtituentes, ſummum numen ſcripti auctorem agnoſcunt.

Num interpolatus ſit pentateuchus.

§. 35. Pentateuchi ſcriptorem eſſe Moſen, alii confitentur: *Recentiori* autem *manu inſerta eſſe loca* contendunt; alii plura, alii pauciora. Examinarunt, quae interpolata creduntur, loca viri eruditi (q). De nonnullis id temere credi docuerunt. De nonnullis autem id negare non potuerunt viri, quibus vel maxime haec ſententia diſpliceret. Et nos negare non poſſumus, comparere pauca in pentateucho, quae Moſis aetate ſcribi nondum potuerunt, recentioribus temporibus per virum θεόπνευστον alium, quem tamen definire non audemus, intercalanda (r). Quis quaeſo

[o] *Benedictus Spinoſa*, in Tract. Theolog. Politico cap. VIII. IX.

[p] *Richardus Simon*, in Hiſt. Crit. V. T. lib. I. c. 5.

[q] *Herm. Witſius*, in Miſcellan. Sacr. lib. I. cap. 14. §. 33-48. p. 98-106. edit. Lugd. Bat. 1736. *Richardus Kidderus*, in Proleg. ad Commentar. in Pentateuch.

[r] Conf. Gen. XIV, 14. cum Iud. XVIII, 29. Gen. XXVIII, 19. cum

quaeſo perſuadere ſibi poſſit, mortis & ſepulturae ipſius hiſtoriam (s) Moſi reuelare voluiſſe ſummum numen, eo conſilio vt ſcriptam nobis relinqueret; cum viri diuini alii, qui praeſtare id poſſent, non deeſſent?

Diuinitas. §. 36. De ſcripti huius *diuinitate* Iudaei conſentiunt & Chriſtiani. Inuenti tamen ſunt, qui ſuppoſititium id pronunciarent, & Moſis fidem ſuſpectam reddere conarentur (t). Veretur etiam Io. Chriſt. Wolfius (u), ne illi, qui Moſen in rebus ſe antiquioribus deſcribendis vel veteribus ſcriptis vel ore propagata inter Iſraëlitas traditione vſum eſſe opinentur (w), frigidam aduerſariis vel inſcii ſuffundant. Nos vero id non magis veremur, quam ſcripti diuinitatem dubiam reddere poteſt, quod res ſuo tempore geſtas ex ſua ipſius memoria ſcripſit. Moderata eſt viri ſanctiſſimi mentem, duxitque calamum diuina virtus, vt

Iud. I, 22-26. Vid. Gen. XXXVI, 31. Conf. Num. XXXII, 41. & Deut. III, 14. cum Iud. X, 4. Vid. Deut. II, 12.

(s) Deut. XXXIV, 5-12.

(t) Vt *Io. Tolandus*, in Adeiſidaemone & Antiquitatibus gentis Iudaicae.

(u) Bibliothec. Hebr. Part. I. p. 70.

(w) Vt *Io Clericus*, in Diſſ. III. Commentario in Pentateuch. praemiſſa. *Edmundus Dickinſon*, in Phyſica vetere & vera cap. 3. §. 7. *Campegius Vitringa*, Obſerv. Sacr. lib. I. c. 2. p. 33.

vt ne quid falsi vel erronei aut reticendi de rebus aliunde ipsi iam cognitis scriberet, vel scribendi quidquam reticeret.

§. 37. *Vbi* & *quando* libros suos scripserit Moses, num continuo filo, an successiue, *quis* quaeso definiat? Leguntur nonnullorum coniecturae (x). Sed coniecturae sunt. Locus & tempus scriptionis.

§. 38. In *quinque libros* Mosaicum volumen hodie distinguitur; vnde graecum *Pentateuchi*, & ebraeum *Chmischah chumsche torah* (חמשה חימשי תורה), nomen est. *Quam diuisionem alii ipsi Mosi* (y) alii interpreti *Alexandrino* (z), *alii aliis* (a) tribuunt. Hi libri singuli nomen ebraicum à voce vel initiali vel initialium praecipua sunt nacti. De diuisione in *septem libros* apud Iudaeos quoque vestigia reperiuntur (b). Et Eulogius (c) *Mosaicum octateuchum* habet. Diuisio in libros.

§. 39. *Geneseos* [בראשית] 2366. annorum historiam complectitur. Ab orbe condito res repetit; & in Iosephi obitu desinit. Geneseos.

§. 40.

(x) Gittiu, fol. 60, 1. Vid. etiam Raschi ad h. l.

(y) Vid. *Ioh. Leusden.* Philolog. Hebr. Diss. V. Sect. I. §. 5.

(z) Ibid.

(a) Philo Iudaeus & Iosephus; teste *Leusdenio* loc. cit.

(b) Schabbath, fol. 116, 1. Raschi ad Prov. IX, 1.

(c) Apud Photium, codice 230. Bibliothecae.

Exodus. §. 40. *Exodus* [שמות, נזיקין] 148. annorum res geſtas perſequitur. A Ioſephi morte, id eſt ab A. M. 2366. orditur, & vsque ad anni poſt Iſräelitarum ex Aegypto exitum ſecundi, h. e. A. M. 2514, initium, deſcendit.

Leuiticus. §. 41. *Leuiticus* [ויקרא, תורת כהנים, ספרי דרב, תורת הקרבנות,] non niſi primi A. M. 2514. menſis res continet.

Numeri. §. 42. *Numeri* [במדבר, ספר פקודים, וידבר, המספרים,] 39. circiter annorum res, ab A. M. 2514. initio ad A. M. 2552. exponunt.

Deuteronomium. §. 43. *Deuteronomium* [דברים, משנה, ספר תוכחות, משנה תורת,] non niſi vndecimi A. M. 2552. menſis res geſtas exponit; & mortis Moſis hiſtoria clauditur. Omnes propemodum leges antea latae in eo repetuntur: Vnde nomen eſt conſecutum.

Capita, Verſus & Libri Maſorethici. §. 44. *Capita* [פרקים], *Verſus* [פסוקים] & *Libros maſorethicos* [סדרים] pentateuchi, ſingulorumque eius librorum, ſequens ſchema dabit.

	Cap.	Verſ.	Lib. Maſ.
Geneſis:	50	1534	43
Exodus:	40	1209	29
Leuiticus:	27	859	23
Numeri:	36	1288	32
Deuteron.	34	955	27
Pentateuch.	187	5845	154

§. 45.

§. 45. Pentateuchus praeterea in LIV. *sectiones maiores* [פרשיות, סדרות], in vsum praelectionum sabbathicarum, à Iudaeis est diuisus. Quarum pleraeque litteris פ פ פ, vel integra voce פרשה, ceterae per tria ס ס ס, id est סדרא, in codicibus typis expressis à praecedentibus distinguuntur. Quam distinctionem Iudaeorum nonnulli *traditionem Mosis ex monte Sinai* [הלכה למשה מסיני] [d] alii auctorem eius *Esram* esse, statuunt [e]. Nos neutrum satis confidenter dici posse existimamus. Interim cum *pentateuchi praelectio in Iudaeorum proseuchis satis antiqua sit; huic* quoque distinctioni antiquitatem remotiorem non prorsus abiudicamus. Quot earum quilibet pentateuchi liber habeat, sequens ichema indicat. Sectiones maiores Sabbathicae.

Genesis:	12
Exodus:	11
Leuiticus:	10
Numeri:	10
Deuteronomium:	11
Pentateuchus:	54

§. 46. *Nomina* sua *sectionum* harum quaelibet à voce vel initiali vel initialium praecipua acceperunt. Quibus cum citari à Iudaeis soleant, catalogum earum adscribemus. Quarum nomina.

1. בראשית

[d] Teste Io. *Leusden* in Phil. Hebr. Diss. IV. §. 21.

[e] Ibid.

1.	בראשית	Gen. I, 1 - VI, 8.
2.	נח	Gen. VI, 9 - XI, 31.
3.	לך לך	Gen. XII, 1 - XVII, 27.
4.	וירא	Gen. XVIII, 1 - XXII, 24.
5.	חיי שרה	Gen. XXIII, 1 - XXV, 18.
6.	תולדות	Gen. XXV, 19 - XXVIII, 9.
7.	ויצא	Gen. XXVIII, 10 - XXXII, 3.
8.	וישלח	Gen. XXXII, 4 - XXXVI, 43.
9.	וישב	Gen. XXXVII, 1 - XL, 23.
10.	מקץ	Gen. XLI, 1 - XLIV, 17.
11.	ויגש	Gen. XLIV, 18 - XLVII, 27.
12.	ויחי	Gen. XLVII, 28 - L, 26.
13.	שמות	Ex. I, 1 - VI, 1.
14.	וארא	Ex. VI, 2 - IX, 35.
15.	בא	Ex. X, 1 - XIII, 16.
16.	בשלח	Ex. XIII, 17 - XVII, 16.
17.	יתרו	Ex. XVIII, 1 - XX, 26.
18.	משפטים	Ex. XXI, 1 - XXIV, 18.
19.	תרומה	Ex. XXV, 1 - XXVII, 19.
20.	תצוה	Ex. XXVII, 20 - XXX, 10.
21.	כי תשא	Ex. *XXX*, 11 - *XXXIV*, 35.
22.	ויקהל	Ex. XXXV, 1 - XXXVIII, 20.
23.	פקודי	Ex. XXXVIII, 21 - XL, 38.
24.	ויקרא	Leu. I, 1 - V, 26.
25.	צו	Leu. VI, 1 - VIII, 36.
26.	שמיני	Leu. IX, 1 - XI, 47.
27.	תזריע	Leu. XII, 1 - XIII, 59.
28.	מצורע	Leu. XIV, 1 - XV, 33.
29.	אחרי	Leu. XVI, 1 - XVIII, 30.
30.	קדושים	Leu. *XIX*, 1 - *XX*, 27.

31. אמור Leu. XXI, 1-XXIV, 23.
32. בהר Leu. XXV, 1-XXVI, 2.
33. בהקותי Leu. XXVI, 3-XXVII, 34.
34. במדבר Num. I, 1-IV, 20.
35. נשא Num. IV, 21-VII, 89.
36. בהעלותך Num. VIII, 1-XII, 16.
37. שלח לך Num. XIII, 1-*XV*, 41.
38. קרח Num. XVI, 1-XVIII, 32.
39. חקת Num. XIX, 1-XXI, 35.
40. בלק Num XXII, 1-XXV, 9.
41. פנחס Num. XXV, 10-XXX, 1.
42. מטות Num. XXX, 2-XXXII, 42.
43. מסעי *Num.* XXXIII, 1-XXXVI, 13.
44. דברים *Deut. I, 1-III, 22.*
45. ואתחנן Deut. *III*, 23-VII, 11.
46. עקב Deut. *VII*, 12-*XI*, 25.
47. ראה Deut. *XI*, 26-*XVI*, 17.
48. שופטים Deut. *XVI.* 18-*XXI*, 9.
49. כי תצא Deut. *XXI*, 10-*XXV*, 19.
50. כי תבא Deut. *XXVI*, 1-*XXIX*, 8.
51. נצבים Deut. *XXIX*, 9-*XXX*, 20.
52. וילך Deut. *XXXI*, 1-30.
53. האזינו Deut. *XXXII*, 1-51.
54. וזאת הברכה Deut. XXXIII, 1-XXXIV, 12.

§. 47. Denique ſcribae Iudaeorum diſtinxerunt Pentateuchum in *ſectiones minores* (פרשיות): Quarum alias *apertas ſ. vacuas* (פתוחות) apellatas vnico פ, alias *clauſas* (סתומות) vel *coniunctas* (סמוכות) dictas vnico ס ſignant. Harum numerum ſequens ſchema dabit. Sectiones minores.

Geneſis:

	ס	ם	ס & ם
Geneſis:	43	48	91
Exodus:	69	95	164
Leuiticus:	52	46	98
Numeri:	92	66	158
Deutèron.	34	124	158
Pentateuch.	290	379	669

Sectionum ſabbathicarum ſubdiuiſio.

§. 48. Cum ſabbatho quouis in proſeuchis ſeptem viri ad publice praelegendum ſucceſſiue euocentur; quaelibet *ſabbathica ſectio in ſeptem partes* ſubdiuiditur. Quae ſubdiuiſio in codicibus à Iudaeis vel manu ſcriptis vel typis expreſſis annotata reperiatur.

CAP. III.

DE

LIBRIS PROPHETICIS

§. 49.

Libri prophetici eorumque diuiſio.

Libri prophetici (נביאים) appellantur, quos poſt Moſen à viris diuinis, quibus prophetarum nomen proprie (f) competat, conſcriptos eſſe Iudaei credunt. De quorum in *priores* (ראשונים) & *poſteriores* (אחרונים) diuiſione & numero ſupra (§. 8. 9.) fuit dictum.

§. 50.

(f) Hagiographorum enim ſcriptores prophetis inferiores faciunt Iudaei. Θεοπνεύστως tamen fuiſſe non negant.

§. 50. *Libri prophetici priores* (נביאים ראשונים), quos nos *hiſtoricos* appellamus, continuam rerum ebraearum hiſtoriam per 888. annos, à Moſis obitu ad dimiſſum ex vinculis Ioiachinum regem, id eſt, ab A. M. 2552. ad A. M. 3440. complectuntur. Librorum prophetico-rum priorum argumentum.

§. 51. Quos hi libri *ſcriptores* agnoſcant, *neminem ſcire*, cordate fateri debemus. Ex librorum nominibus iudicium minime eſſe ferendum, in confeſſo eſt; quia ſolemne eſt, vt hiſtoriis nomina eorum, de quorum rebus geſtis exponitur, praeſcribantur. Accedit, quod fere omnes & ſinguli, propter recentiorum temporum veſtigia, ab iis, quorum nomina in *rubro* comparent, ſcripti eſſe nequeunt. Quin tantam orationis generis in iis ſimilitudinem deprehendimus, vt ab vnico potius viro omnes, quam à diuerſis, compoſiti videantur. Qua in re ſi à vero non aberremus; vel *breui ante Babylonicum exilium*, vel *in eo*, vel demum *poſt illud*, lucem primum viderint. Credere tamen malim, ante id exilium ſcriptos eſſe, paucis dein recentiori manu adiectis: cum id nonnulla loca euincere videantur. (g) Scriptores.

§. 52.

[g] E. g. Ioſ. XV, 63. XVI, 10.

Libr. prophet. posteriorum argumentum & scriptores.

§. 52. *Libri prophetici posteriores* 15. diuinorum virorum, quorum nomina praeferunt, sacras orationes ad populum Israëliticum habitas & vaticinia continent. Non enim accedimus iis, qui & in his nonnullas lacinias recentiorem aetatem sapere existimant.

Diuisio in maiores & minores.

§. 53. Ratione molis, prophetica haec volumina à Judaeis in *tria maiora* (גרולים), cum Danielem in iis non numerent, & XII. *minora*, (קטנים) distinguuntur. Haec autem cum ab antiquis iam temporibus in volumen vnum maius sint collecta; *Liber* 12. *prophetarum* (שנים עשר vel תרי עשר vel תריסר, δωδεκαπροφητον,) appellantur.

Capita, versus, & libri masorethici.

§. 54. En! schema diuisionis librorum propheticorum in *Capita*, *Versus*, & *libros masorethicos*.

PROPH. PRIORES.	Cap.	Vers.	L. M.
1. Josua. - -	24.	656.	14.
2. Judicum. - -	21.	618.	14
3. Samuelis duo. -	55.	1506.	34
4. Regum duo. -	47.	1534.	35
PROPH. POSTER.			
1. Esaias - -	66.	1295.	26
2. Jeremias - -	52.	1365.	31
3. Ezechiel. - -	48.	1273.	29
4. Proph. XII. min.	67.	1050.	21
	380.	9297.	204

§. 55.

§. 55. Huc referri ſolent *pericopae prophe-ticae* (הפטרות), quae ex his libris ſabbathis & feſtis diebus, poſt pentateuchi ſectiones, in proſeuchis publice praelegun-tur. Hae autem cum laciniae ſint, ſine ordine *hinc* inde depromptae, de iis hic agendi *locus* non eſt. Pericopae ſabbathicae.

CAP. IV.
DE
IOSUAE LIBRO.

§. 56.

Liber Joſuae gentis Iſraëliticae res geſtas à Moſis ad Ioſuae obitum, ſecundum Judaeos annorum 14 hiſtoriam, deſcribit. Argumentum.

§. 57. *Joſuae auctori* hunc librum tribuunt Talmudici, (h) & Chriſtianorum cum antiquiorum tum recentiorum non pauci. (i) Id quod ex nonnullis ſcripturae locis (k) probari poſſe, eorum aliqui ſibi imaginantur. Qua tamen in re falluntur. [l] Joſuae à multis tribuitur.

§. 58.

[h] Babha bathra, fol. 14, 2. 15, 1.

[i] Vid. Wolff. Bibliothec. Hebr. Part. II. p. 73. 74

[k] Joſ XXIV, 26. 1 Reg. XVI, 34.

[l] Acta enim comitiorum Joſua vel conſcripſit vel litteris demandari iuſſit. Et anathema eius eognitum eſſe potuit, licet ab illo cognominatus liber nondum extaret.

Qui librum interpolatum esse existimant

§. 58. Hi cum in hoc libro nonnulla inueniant, quae per Josuam scribi non potuisse intelligant; *recentiori manu* ea *inserta* esse existimant. Nimirum Talmudici per *Eleazarem* & *Pinchasum*; [m] per *alios* alii. [n] Nolim profecto cum magni nominis viris vsque eo coniecturis indulgere, vt, quae ne minima quidem probabilitatis specie possunt, definire ausim.

Ab aliis Josuae abiudicatur

§. 59. Eadem de causa Abarbanel [o] hunc librum *Samueli* potius vindicandum esse censuit. Christianorum quoque non pauci *recentiorem* libri *aetatem* agnoscunt. Quorum alii ante expugnatam per Dauidem Hierosolymam, [p] alii Josiae regis aetate, [q] eum exaratum esse existimant; alii scriptionis tempus in dubio recte relinquunt. [r]

Num compen-

§. 60. *Theodoretus* [s] & *Peyrerius* [t] Josuae librum *libri iustorum* (ספר הישר), cuius

[m] Babha bathra, fol. 15, 1.

[n] Per Samuelem, *Calouius*, Bibl. Illustrat. Tom I. p. 653. Per Esram, *Huetius*, *Heideggerus*, &c.

[o] Praef. in Prophet. priores, fol. 3, 1. 2. edit. Lipsi. 1686.

[p] Vid. *Cappelli* opera posthuma p. 416. Et *Masii* Commentar. ad Jos. XV, 63.

[q] *Joh. Clericus*, in Judiciis Theologorum Batauorum p. 140. sq.

[r] *Herm. Wittsius*, Miscellan. sacr. lib. I c. 18. § 8.

[s] Qu. XIV. in librum Josuae.

[t] In Systema. Praeadamit. cap. 1.

cuius in illo mentio fit, compendium esse crediderunt; coniectura, vt nobis quidem videtur, iusto audaciori. De recentiori autem libri Josuae aetate citationem istam testimonium perhibere, vero nobis similius videtur.(u) dium libri iustorum fit

§. 61. *Duos* denique *versus* post cap. XXI, 35. *deesse*, alii affirmant, alii negant. *Si* masoretharum fidem sequamur, nulla ibi lacuna est. Sin rem spectemus, omnino aliquid desideratur. Quemadmodum plura quoque per amanuenses hic liber passus videatur. Num duo versus desint.

CAP. V.
DE
IVDICVM LIBRO.

§. 62.

Vbi in Israëliticae gentis rebus recensendis Josuae liber desinit, ibi *liber Judicum* incipiens, eas ad Simsonis mortem prosequitur. Cum vero neque de Josuae neque de Simsonis obitus anno constet; certorum annorum numerus, quorum historiam hic liber complectatur, definiri nequit. Argumentum.

§. 63. De libri huius *scriptore* dissentiunt Scriptor.

[u] Quia idem liber 2. Sam. I, 18. citatur.

tiunt eruditi; vagis coniecturis indulgentes singuli, quotquot eorum certum auctorem nominare sunt ausi. Hi tribuunt eum *Samueli*; [w] isti, *Esrae*; [x] illi, *diuersis auctoribus*, [y] quorum membranas vel à Samuele vel à recentioris aetatis viro diuino collectas & supplenda addita esse, existimant. Israëliticorum regum dominatione durante omnia, quae in hoc libro comparent, scribi potuisse, alii affirmant, alii negant. Quin potuerint, nos quidem non dubitamus.

Ordo chronologicus.

§. 64. *Ordinem chronologicum* in hoc libro *non vbique obseruatum* esse, non immerito suspicantur eruditi. [z] Quae enim cap. XVII. & sequentibus exponuntur, ea citius gesta esse admodum verosimile sit.

CAP. VI.
DE
SAMUELIS LIBRIS.

§. 65.

Nomina & argumentum.

Duo *Samuelis libri*, qui pro vno à Judaeis habentur, à graecis & latinis interpre-

[w] Babha bathra, fol. 14, 2. 15, 1.

[x] *Andreas Masius* in praefat. ad Commentar. in Josuam.

[y] *Seb Schmid.* Commentar. in libr. Jud. p. 9.

[z] Seder Olam rabba, cap. 12 p 33. edit.

terpretibus *duorum priorum Regum librorum* titulo non inepte inſcribuntur. Ebraeae gentis hiſtoriam à Samuelis natiuitate vsque ad regni Dauidis finem, incertum quot annorum, cum Samuelis natiuitatis annus ignoretur, complectuntur. Et *prior* quidem, à Samuelis natiuitate vsque ad Saulis regis obitum. Poſterior, à Dauidis regni principio ad illius finem, 40. annorum, hiſtoriam.

§. 66. Soli *Samueli* nemo, quod nos quidem ſciamus, totos hos libros auctori adiudicat. Tribuunt tamen *Samueli* viginti *quatuor capita priora*, reliqua *Nathani & Gado* prophetis, *doctores* Talmudici. (a) Quorum fidem recentiorum multi ſequuntur; in quibus ſunt, qui eorum, quae poſt Samuelis obitum geſta ſunt, *Dauidem* faciunt ſcriptorem. (b) Abarbanel, (c) & qui hunc ſequuntur, *Jeremiam* auctorem eſſe ſuſpicantur. Nos, cum Seb: Schmidio, d) ſcriptorem ignorari confitemur. Scriptor.

Cap.

Amſtel, Joh. Meyeri. Vid. & *Lightfootum* & *Uſſerium*

[a Babha bathra, fol. 15, 1.

[b] *Iſidorus*, Originum lib. VI. c. 2.

[c] Praefat. in Prophetas priores, fol. 3, 2.

[d] Commentar. Part. I. pag 246.

CAP. VII.

DE

REGUM LIBRIS.

§. 67.

Nomina & argumentum.

Duo quoque *Regum libri* à Judaeis pro vno numerantur. A graecis latinisque interpretibus *regum tertius & quartus* ſalutantur. In illis 463 annorum res geſtae, à Salomonis regni principio vsque ad dimiſſum ex vinculis Joiachinum regem, expõnuntur. In priori, 118 annorum hiſtoria, à regni Salomonis exordio ad Achabi regis mortem. In poſteriori, 345 annorum, ab Achabi obitu ad Joiachini regis libertatem.

Scriptor.

§. 68. *Jeremiae* acceptos hos libros ferunt Talmudici, (e) & qui auctoritatem eorum ſequuntur; *Eſrae*, alii; (f) nonnulli *diuerſis ſcriptoribus.* (g). At vero haec dixiſſe, quam probaſſe, facilius eſt.

CAP.

[e] Babha barhra, fol. 15, 1.

[f] *Huetius*, in Demonſtrat. Euangel p. 294.

[g] *Heideggerus*, in Enchirid. Bibl. p. 92. *Calouius*, in Bibl. illuſtrat. Tom. I. p. 748.

CAP. VIII.

DE

ESAIAE VATICINIIS.

§. 69.

Esaias [ישעיהו] vates *Amoso* (אמוץ) Esaiae vi- ta.
patre vsus est: (h) Quem Amaziae regis fratrem fuisse Talmudici tradunt. (i) Codex sacer de illius vita & fatis nihil habet. Iudaei tradunt, Hiskiam aegrotantem Esaiae filiam petiisse vxorem; ex qua *Manassen & Rabhsaken filios* susceperit. (k) *Cum Manasses rex eum* supplicio è medio tollere vellet, ad *imputata sibi* crimina causam dicere noluisse: ineffabile autem Dei nomen pronunciantem cedro inclusum fuisse. Quam cum rex amputari curaret; serra ad os eius penetrante, subito animam efflasse. [l] Hiskiae autem *temporibus* eum mortuum iam esse Aben-Esra suspicatur. [m] Omnibus post Mosen prophetis longe praefertur; & in his quoque Ezechieli. [n]

§. 70.

(h) Es. I, 1.
(i) Megiliah, fol. 10, 2.
(k) Brachoth, fol. 10, 1. Conf. עין יעקב, Tract. Brachoth, cap. 1. fol. 15, 2. edit. Amst. 458.
[l] Jebhamoth, fol 49, 2. Sanhedrin, fol. 103, 2.
(m) Comment. ad Es. I. Vid. Bibl. Bas. fol. 511, 1.
(n) Chagigah, fol. 13, 2.

Tempus editorum vaticiniorum.

§. 70. Vatis diuini munere, *Vſia, Jothamo, Achaſo & Hiskia* regibus, functus eſt. (o) Edendorum oraculorum eum iſto *anno, quo Vſias rex* vel *lepra infectus* vel *mortuus eſt*, initium feciſſe, Aben-Eſra (p) & Judaeorum plerique arbitrantur; A *regni* autem *illius exordio*, Iſaacus Abarbanel (q) & Kimchi. (r) Nos, vt Abarbaneli ſubſcribamus, vaticiniorum quorundam argumentum mouet. *Hoſeam, Amoſum & Micham* coaetaneos habuit.

Vaticiniorum auctor & ſcriptor.

§. 71. Oraculorum ipſius volumine comprehenſorum *auctorem* eſſe *Eſaiam*, omnes largiuntur. Collectores eruditum Hiskiae concilium faciunt Talmudici. (s)

Orationis genus.

§. 72. *Styli elegantia & ſublimitas* non poteſt non omnium percellere animos. Hinc laudatores inuenit hoc in genere laudatiſſimos, Maimonidem, (t) Abarbanelem, u alios.

Ordo vaticiniorum.

§. 73. *Num* eo, quo edita, *diſpoſita* quo-

[o] Eſ. I, 1.

[p] Commentar. ad Eſ. I, 1. Bibl. Baſ. fol. 511, 1. Et ad Eſ. VI, fol 512, 1

(q) Praef. ad Eſaiam, fol 1, 2.

(r) In Praef. ad Eſaiam.

[s] Babha bathra, fol. 15, 1.

[t] Moreh Nebhochim, Part. II. cap. 29. fol. 104, 2.

[u] Praefat. ad Eſaiam, fol. 1, 2.

quoque ordine vaticinia in Esaiae volumine sint, dubitari possit. Pro certo id vel affirmari vel negari posse non credimus; quia multa diuinus vates praedixit post longum demum seculorum tractum euentura. Quae qua occasione prolata sint, hariolari quidem licet; sed non cum certitudine dicere.

CAP. IX.

DE

IEREMIAE VATICINIIS.

§. 74.

Jeremias (ירמיהו), *Chilkiae* (חלקיהו) *filius*, sacerdos, Anathoth oppidum patriam nactus est. (w) Ex Rachabae posteris ortus dicitur. (x) Numeratur in iis, qui circumcisi sint nati. (y) Hierosolymis ab anno 13. Josiae regis vsque ad dirutum templum & urbem, quin & post illius excidium, diuinae voluntatis interpretis munere est functus. [z] Josiae regi epicedium scripsisse creditur. [a] Joiakimo regi foedus cum Aegyptiis dissuadens, in vincula con- *Jeremiae vita.*

[w] Jer. 1, 1.
[x] Megillah, fol. 14, 2.
[y] Abhoth R. Nathanis, cap. 2. fol. 2, 1.
[z] Jer. I, 2. 3. XXV, 3.
(a) 2. Chron. XXXV, 25. *Joseph.* loc. cit. lit. z. praeced.
Joseph. Ant. Jud. lib. 10. cap. 6. pag. 335.

coniicitur, ad ſupplicium trahendus; paucorum tamen ſuffragiis in vita conſeruatur. Cuius aliquis liber illo ipſo rege, per Baruchum conſcriptus, flammis traditur. [b] Zedekia rege, in coenoſum coniicitur carcerem. [c] Per inimicos quoque fornicationis & adulterii accuſatus dicitur. [d] Narrant Judaei, cum populum hortaretur, vt legis ſtudio operam darent, reſponſum tuliſſe, rei familiari operam eſſe dandam, niſi fame perire velint. Tum illum, producto ex templo mannae vrceolo, diuinam illis commendaſſe prouidentiam, [e] R. Jochanan ſtatuit, per illum decem tribus, Joſia rege, in Palaeſtinam fuiſſe reductos. [f] Mitiores in prophetam Babylonii fuerunt, quam ciues. Nebuſaradan enim, cum propheta in Babyloniam abire nollet, Gedaliae iniunxit, vt curam illius haberet: [g] Id quod ipſius Nebucadnezaris iuſſu factum eſſe, Judaei contendunt. [h] Per eos tandem, qui Gedaliam impie trucida-

uerant,

(b) Jer. XXVI. XXXVI. *Joſeph* Ant. Jud. lib. X. cap. 7. pag 336. 337.

(c) Jer. XXXVIII. *Joſeph.* Ant. Jud. lib. X. cap. 10. pag. 339.

(d) Babha Kama, fol. 16, 1.

[e] Jalkut Schimoni, ad Jer. II, 31.

[f] Megillah, fol. 14, 2.

[g] Jer. XL. *Joſeph.* Ant. Jud. lib. X. cap. 11. pag 343.

[h] Jalkut Schimoni, ad Jer. XL, 1.

uerant, in Aegyptum tractus fuit inuitus. [i] Vnde in Babyloniam eum cum Barucho abiiſſe, ibique diem ſuum obiiſſe, tanquam rem notam narrat Abarbanel. [k]

§. 75. *Joſia, Joachaſo, Joiakimo, Joiachino,* & *Zedekia* regibus, vsque ad vrbis excidium, & vltra, per 50. propemodum annos, monitorem diuinum egit. Tempus editorum oraculorum.

§. 76. Ipſum *Jeremiam* oracula ſua *in litteras retuliſſe* non dubitatur. *Vltimum* tamen *caput* & ex Judaeis [l] & ex Chriſtianis [m] magni viri *alienae manui* tribuere malunt. Scriptor.

§. 77. *A manibus* ipſi, in nonnullis ſaltem vaticiniis conſcribendis, fuiſſe *Baruchum*, ex ipſo ſacro volumine diſcimus. [n] Amanuenſis.

§. 78. *Scribendi genus* ſatis acerbe *perſtringit Abarbanel.* [o] Cuius veſtigia legentes ex Chriſtianis nonnulli [p], orationem Orationis genus.

[i] Jer. XLII. XLIII. *Joſeph* Ant. Jud. lib. X. cap 11. pag. 345.

[k] Praefat. ad Ezechielem, fol 153, 3.

[l] *Abarbanel*, ad Jerem. LI, fol. 152, 2.

[m] Vt *Grotius*, & *Huetius* in Demonſtrat. Euangel. p. 377.

[n] Jer. XXXVI, 4. ſqq.

[o] Praefat. in Jerem. fol. 96, 2.

[p] *Hieronymus*, in praef. ad Jeremiam. *Rich. Simon*, in Epiſt. de Inſpiratione librorum ſacrorum; & Hiſt. Crit. V. T. lib. I. p. 39.

tionem ſimplicitatis, neglectus & humilitatis non minus accuſarunt. Contra ea alii Jeremiam ſtrenue defenderunt. [q

Integritas. §. 79. *Jeremiae oracula*, Judaeorum fraude, quibusdam in locis *truncata* eſſe, *Juſtinus* conqueritur. [r]

Ordo. §. 80. *Ordinem voluminis* eum non eſſe, qui per chronologiam eſſe debebat, ex inſcriptionibus nonnullorum libellorum nemo non videt. [s] Id quod eruditi & Judaei & Chriſtiani non pauci monuerunt. [t] Qua in re num collectorum accuſanda negligentia ſit, aut quid ſpectarint, vt alium quam chronologicum ordinem mallent, nos non definiemus.

CAP. X.

DE

EZECHIELIS VATICINIIS.

§. 81.

Ezechielis vita. *Ezechiel* (יחזקאל), ſacerdos genere, *Buſi*, (בוזי) filius, quem *Jeremiam* fuiſſe

(q) *Herm. v. d. Hardt* in Progr. ad Aben Eſram p. 53. *Joh. Andr. Danz*, in tract. de ſincer ſcript. V. T. praeual.

(r) In Dialogo cum Tryphone, p. 298. Vid *Fabricii* Cod. Pſeudepigr. V. T. p. 1107. ſeq.

(s) E. g. Conf. Jerem. XXVIII, 1. & XXVI, 1.

[t] E. g. *Abarbanel*, Præf. ad Jerem. p. 96, 2.

fuiſſe nonnulli ſuſpicati ſunt, quod tamen vt abſurdam fabulam Abarbanel [u] explodit, in iis fuit, qui cum Joiachino rege captiui abducerentur. [w] *Nazaratus* vel *Zaratus Aſſyrius*, Pythagorae praeceptor, *fuiſſe* nonnullis creditur. (x) De anno *illius* emortuali non conſtat. Ad illius ſepulchrum autem ſynagogam, quae *circa* expiationis feſtum à multis vndecunque aduolantibus religioſe viſitetur, inque ea ex Pentateuchi volumine, Ezechielis manu exarato, praelegatur, & auditorium academicum exſtructum eſſe, tradunt Judaei. [y]

§. 82. *Filius hominis* (בן אדם), *in* oppoſitione, vt nobis quidem videtur, ceterorum ſuorum ciuium, quorum plerique improbitate ſua propemodum obbrutuerant, ſaepiſſime ſalutatur. *Filius hominis* appellatur.

§. 83. Per voluminis inſcriptionem edocemur, vatem exulem, *anno quinto à Joiachini regis exilio*, diuino flamine fuiſſe afflatum. Et hic annus *trigeſimus* fuiſſe dicitur *Tempus editorum oraculorum.*

(u) Ad Ezech. I, 3. pag. 157, 2.

(w) Conf. Ezech. I, 2. cum XXXIII, 21. & XL, 1.

(x) Vid *Huet.* Demonſtr. Ev. Propoſ. IV. de Ezechiele.

(y) *Beniaminis Tudelenſis* Itinerar. p. 77-79. edit. Lugd. Bat. 1638. *Abarb.* Praef. ad Ezechiel. fol 153, 3.

citur; non vero additur, à quanam epocha. (z) Ad quam inueſtigandam, admodum foecundae cum Judaeorum tum Chriſtianorum coniecturae fuerunt. Volunt aliqui, de *trigeſimo aetatis prophetae anno* ſermonem eſſe. Alii, *trigeſimum poſt* nouiſſimum *Jubilaeum* & inuentum per Chilkiam Joſiae regis tempore Moſaicae legis volumen annum fuiſſe exiſtimant. [a] Alii *triceſimum á Nabopolaſſaris regni initio* annum intelligendum eſſe cenſent. (b) Ezechielem diu ante publice iam dixiſſe & vaticinatum eſſe, quam ex Palaeſtina per Babylonios deportaretur, ſtatuunt Judaei. [c]

Scriptor voluminis.

§. 84. Cum Ezechiel de ſe ipſo in prima perſona frequentiſſime loquatur; non eſt dubium, quin *vaticinia* ſua *conſcripſerit ipſe*. Quod enim Talmudici de *viris ſynagogae magnae* habent, id non de conſcriptis per illos eius vaticiniis, ſed de collectis & in canonem relatis, eſt accipiendum. [d]

§. 85.

[z] Ezech. I, 1. 3.

[a] *Abarb* ad Ezech. I, 1. p. Vid & *Joh Meyeri* Annotat. in Seder Olam p. 980. 981.

(b) *Joſephus Scaliger*, de Emendatione temporum, fol. 288. *Campeg. Vitringa* de Typo doctrinae propheticae, p. 41.

(c) Vid *Targum Jonathanis* Ezech. I, 1. *Abarban.* Praef. ad Ezech. fol. 153, 3.

(d) Babha bathra, fol 15, 1. Conf. §. 16. praeced.

§. 85. De oraculorum illius *diuinitate* neque Iudaei hodie dubitant, neque Christiani. Quippe Iudaei eum omnibus ceteris prophetis, solis Esaia & Ieremia exceptis, praeferunt (e). Quod enim & aetate & iudicio immaturos à priorum capitum lectione arcent, non ex contemptu fit; sed quod altioris indaginis res, quam quae à tenerioris aetatis & nondum satis subacti iudicii hominibus capi possint, continent (f). Immitius tamen aliquando de Ezechielis volumine senserunt Iudaei. Quippe tradunt Talmudici, quod ipsius aliqua effata cum Mosaicis pugnare visa essent, illud *ex librorum canonicorum numero eximendi* consilium aliquando iniisse doctores: Quod vt ne fieret, Ananiam quendam impediuisse (g). Diuinitas.

§. 86. *Orationis genus* ad Esaiae sublimitatem non ascendit; Ieremiam vincit; & ad elegantiam propius accedit (h). Orationis genus.

§. 87. Libellos *chronologico ordine* in volumine *dispositos non esse*, ipsae nonnullorum inscriptiones testantur (i). Ordo

CAP. XI.

(e) *Abarb.* Praefat. ad Ezech. fol. 153, 3.

(f) Chagigah, fol. 11, 2. seqq.

(g) Chagigah, fol. 13. 1. Schabbath, fol. 13, 2.

(h) Conf. *Herm. Witsi.* Miscellan. sacr. lib. I. 1. cap. 19. §. 6.

(i) Conf. Ezech. XXVI, 1. & XXIX, 1. Item. conf. Ezech. XXXII, 1. 17. & XXXIII, 21.

CAP. XI.
DE
HOSEAE VATICINIIS.

§. 88.

Hoſeae vita.

Hoſeas (הושע), *Beeri* (בארי) filius, Iudaeis ex Rubenitarum tribu ortus creditur (k). Infelix vxorem duxit laſciuam & adulteram (l). Quae triſtia fata ipſi obueniſſe tradunt Talmudici, vt ſuo exemplo ſapere diſceret; quoniam deo auctor extiterit, vt, reiectis Iſräelitis, aliam ſibi gentem in peculium eligeret. (m).

Tempus editorum oraculorum.

§. 89. Quod *Vſia*, *Iothamo*, *Achaſo* & *Hiskia* regibus ſua ediderit vaticinia, ex ipſius voluminis inſcriptione diſcitur (n). Aequales igitur *Eſaiam*, *Amoſum* & *Micham* prophetas habuit. Ante hos tamen eum prophetico munere fungi coepiſſe tradunt Talmudici (o). Eſaiam vero citius dicere coepiſſe ſuſpicatur Abarbanel (p). Tertium vel ſecundum inter prophetas locum illi dat Herm. v. d. Hardt (q).

§. 90.

(k) Ialkut Schimoni, ad Hoſ. I.

(l) Hoſ. I, 2.

(m) Pſachim, fol. 87, 1. 2.

(n) Hoſ. I, 1.

(o) Pſachim, fol 87, 1.

(p) Praefat. ad Eſaiam, fol. 1, 1. 2. Praefat. ad Hoſeam, fol. 225, 1. 2.

(q) In Hoſea hiſtoriae

&

§. 90. *Vaticinia* ſua *ipſe conſcripſit.* Per *viros ſynagogae magnae* & hunc & ceteros vndecim prophetas minores *in canonem aſſumptos* eſſe, tradunt Talmudici (r). Scriptor.

§. 91. De *ſtyli obſcuritate* interpretes conqueruntur. Conciſus ſane eſt; qui breuitate ſua Hebraei idiomatis ſatis peritis negotium faceſſat. Orationis genus.

CAP. XII.

DE

IOELIS VATICINIIS.

§. 92.

De *Ioëlis* (יואל) filii *Pethuelis* (פתואל) vita & fatis tam parum nobis innotuit, vt nec quis fuerit nec quando vixerit dicere poſſimus. Ioëlis vita.

§. 93. Ad *Iorami filii Achabi* tempora Iudaeorum aliqui eum referunt (s): ad *Manaſſis* tempora alii, eumque Nachumo & Chabakuko aequalem faciunt (t). Herm. v. d. Hardt nonum ipſi inter prophetas locum Tempus editorum oraculorum.

& antiquitati reddito, Diſſert. VI. p. 55. 56.

(r) Babha bathra, fol. 15, 1.

[s] Vid. *Abarb.* Praef. In Icël, fol. 139, 2.

[t] Seder Olam rabba, cap. 20 p. 55. & Seder Olam ſuta p. 105. Conf. *Ioh. Meyeri* Annotat. in Seder Olam, pag. 994. ſeq.

cum dat; Qui ab anno 20. *Ioſiae* ad *Zedekiam* vsque ſit vaticinatus (u).

CAP. XIII.
DE
AMOSI VATICINIIS.

§. 94.

Amoſi vita.

Amos (עמוס), Tekoae vrbis ciuis fuit (w). *Tekoam tribus Iudae* intelligendam eſſe, vulgo creditur (x): Verius autem Galilaeae vrbs *Sepphoris* fuerit. *Aſcheritam* fuiſſe Iudaei exiſtimant (y). Qui patrem quoque eius non minus quam ipſum prophetam fuiſſe contendunt (z). Denique linguae vitio eum laboraſſe obſeruant (a). De vitae ratione certum eſt, quod paſtoritia fuerit & agreſtis (b). Ex quo tamen, quod illiteratus fuerit, euinci nequit.

Tempus editorum oraculorum.

§. 95. *Vſia* Iudaeorum, & *Ieroboamo II.* Iſraëlitarum regibus, diuinae voluntatis inter-

[u] In Hoſeae Diſſert. VI. pag. 56,

[w] Amoſ. I, 1.

[x] Vid. *Io. Meyeri* Annotat. ad Seder Olam, p. 998.

[y] Vid. *Abarban.* ad Amoſ. I, 1.

[z] Vid. Ialkut Schimoni, ad Eſ. 8. Part. II. fol. 40, 4.

[a] *Abarban.* Praefat. ad Ezech. fol. 153, 2. & ad Amoſ. cap. I. fol. 244, 4.

[b] Amoſ. I, 1. Vid. *Io. Meyeri* Annotat. ad Seder Olam pag. 1000.

interpretis munere est functus. Et biennio ante dicere coepisse videatur, quam Vsias rex lepra inficeretur (c). *Aequalis* igitur *Esaiae*, *Hoseae* & *Michae* fuit: Quorum tamen duo priores ante eum scribere inceperint.

CAP. XIV.

DE

OBADIAE VATICINIIS.

§. 96.

Obadiae vita.

Obadiam (עבדיה) *Idumaeum* genere fuisse, *ex Eliphasi posteris* ortum, constans Iudaeorum traditio est (d). Quare, cum Idumaeorum excidium praenunciauerit, vsu venisse dicunt, quod prouerbio dici soleat: מיניה וביה אבא ניזיל ביה נרגא, *Ex sylua quae desumpta est, ad eam succidendam redit securis*; & illud: ירך מתוכה מסרחת, *Lumbi ab interiori parte putrescunt.* Illum Obadiam, qui Isabelis saeuitiae subtractos prophetas in speluncis aluit (e), hunc esse, Talmudici quoque contendunt (f). Eiusque viduam fuisse feminam illam, cuius penu-

[c] Amos. I, 1.

[d] Sanhedrin, fol. 39, 2. Conf. Ialkut Schimoni, ad Obad. I.

(e) 1. Reg. XVIII, 3. 4.

(f) Sanhedrin, fol. 39, 2.

penuriam Eliſaeus propheta miraculoſe ſubleuauit (g). Quippe vt prophetas clam aleret, cum ſuae non ſufficerent opes, multum aeris alieni contraxiſſe Obadiam. Quare poſt illius obitum creditores, i. e. Ioramum regem, in ſeruitutem rapere voluiſſe filios (h).

Tempus editorum oraculorum.

§. 97. Ad *Ioſaphati* igitur regis tempora Obadiae vaticinium referunt Iudaei (i). Cuius tamen aetatem ignorari fatetur Aben-Eſra (k). Chriſtianorum nonnulli ad *Achaſi* Iudaeorum regis aetatem reuocant [l]. Hermannus v. d. Hardt eum, prophetarum duodecimum, inter Ezechielem & Danielem collocat; qui, *Hieroſolyma iam deleta*, dira hoſtibus nunciauerit [m].

Vaticinii argumentum.

§. 98. Non niſi *vnicum in Idumaeos vaticinium* reliquit. Quod ad *Romanum imperium* trahentes Iudaei, & in his maxime Abarbanel, id non tam explicare, quam applicare, velle videntur.

CAP. XV.

(g) 2. Reg. IV, 1-7.

(h) Medraſch Tanchuma, citante *Abarban.* ad 2. Reg. IV. *Ioſeph.* Antiqu. Iud. lib. IX. cap. 2. p. 302.

(i) Seder Olam ſuta, fol. 103. *Ioh. Meyer*, in Annotationibus p. 1008.

(k) Vid. *Abarban.* ad Obadiam, fol. 254, 3.

(l) *Campeg. Vitringa*, in Typo doctrinae propheticae, p. 37.

(m) In Hoſeae Diſſert. VI. p. 57.

CAP. XV.
DE
IONAE VATICINIIS.

§. 99.

Ionas (יונה), Amittaei (אמתי) filius (n), vrbem Sebulonitidis *Capharat* [גת הפר] *patriam* habuit [o]. Tradunt Talmudici, [p] eum fuisse illum *viduae Sareptanae*, quae Eliam famis tempore sustentauit, *filium*, quem hic in vitam reuocauit (q). Iidem, patrem eius Sebulonitam fuisse, & matrem ex Ascheritarum tribu genus duxisse, *auctores sunt (r)*. *Ionam* quoque vatem illum fuisse, *qui, Elisaci iussu, Iehu regem vngeret (s)*, volunt Iudaei (t). Denique sub *Iehu, Ioachaso, Ioaso, Ieroboamo II.* & *Zacharia* regibus, vitam vltra 100. annos produxisse existimant (u). Fata Ionae, cum mandatum diuinum exequi nollet, in mare coniecti, per ingentem piscem Ionae vita.

(n) Ion. I, 1.

[o] 2. Reg. XIV, 25.

[p] Talm. Hierosol. Tract. Succah, cap. החליל, citante Ialkut Schimoni, ad Ion. I.

[q] 1. Reg. XVII, 17-24.

[r] Loc. cit. lit. p. praeced.

[s] 2. Reg. IX, 1-10.

[t] Seder Olam rabba, pag. 48. *Abarban.* ad Ionam, fol. 257, 1.

[u] *Abarbanel*, ad Ionam, fol. 259, 1.

piſcem deuorati & redditi, nec non propter arefactum *Kikaion* (קיקיון) indignantis, in ipſo illius volumine relata legimus. Quam totam hiſtoriam non proprie intelligendam, ſed aenigmaticam eſſe, Herm. v. d. Hardt ſuſpicatur (w). Negotioſiſſimos ſe praebuerunt viri eruditi, inueſtigando, qualis hic fuerit, piſcis, & vbinam in illo Ionas latuerit (x); neque minus quale germen per *Kikaion* ſit intelligendum (y).

Tempus editorum oraculorum.

§. 100. Circa quae tempora Ionas, ex Iudaeorum ſententia, vixerit, ex modo dictis apparet. Siue iam fidem illis adhibeamus, ſiue non adhibeamus; nihil tamen obſtat, quo minus *Ionam* illum, qui *praedixit, per Ierobeamum II. Iſraëlitis terras trans Iordanem reſtitutum iri* (z), hunc noſtrum eſſe ſtatuamus: Licet Talmudici iſta verba ita interpretentur, vt ſcriptorem ſacrum inter Iſraëlitas & Niniuitas comparationem inſtituiſſe dicant, hoc ſenſu, quemadmo-

[w] Vid. illius Ionas in luce in hiſt. Manaſſis & Ioſiae. Helmſt. 1723. fol.

(x) *Herm. v. d. Hardt*, loc. cit. lit. w. praeced. *Theodorus Haſaeus*, de Leviathane Iobi & Ceto Ionae, Brem. 1723.

(y) *Bochartus*, Part. II. Hierozoici, p. 623. & Ep. ad Stephan. Morinum. Vid. Phaleg & Canaan, pag. 918. *Herm. v. d. Hardt*, loc. cit. lit. w. praeced.

(z) 2. Reg. XIV, 25. *Ioſephus*, Ant. Iud. Lib. IX. cap. 11. pag. 318.

admodum hi Ionae minis commoti ad frugem redierint & ſeruati fuerint, ita illos quoque Ierobeami opera emendatos ſua recuperaſſe (a). Hic igitur ſi Ionas noſter fuit; vel *Ierobeamo II. regnante* vel *breui ante* oracula ſua conſcripſerit. Et in hanc aetatem à Chriſtianorum quoque plerisque referuntur (b).

§. 101. Obſeruat Abarbanel, (c) *vaticinium* Ionae de terris trans Iordanem per Ierobeamum recuperandis in illius volumine hodie *non comparere*. Accedit, quod *promiſſio de quatuor regibus ex Iehu familia imperaturis* (d) per Ionam quoque facta creditur (e). Cum vero nusquam dicatur, quod haec vaticinia per illum fuerint conſcripta; allegari hoc contra *voluminis integritatem* non poteſt. Integritas.

§. 102. *Ordini chronologico aduerſantia* in Ionae volumine reperiri, Clerico (f) viſum fuit. Ordo.

CAP. XVI.

(a) Iebhamoth, fol 98, 1.

(b) E. g. *Vitringa*, in Typo doctrinae propheticae, pag. 33.

(c) Commentar. in Proph. priores ad 2. Reg. XIV, 25. fol. 287, 3.

(d) 2. Reg. X, 30.

(e) Toſephoth ad Iebhamoth, 98, 1.

(f) Tom. X. Bibliothecae Vniuerſalis, pag. 162. ſeqq.

CAP. XVI.
DE
MICHAE VATICINIIS.

§. 103.

Michae vita.

Micha (מיכה), Moraſchita (מרשתי), nonnullis *Mareſae* tribus Iudae (g), aliis Ephraimitidis oppidi *Tamnae* (h) ciuis fuiſſe creditur. Cuius de vita & fatis quod dicamus, non habemus.

Tempus editorum oraculorum.

§. 104. *Iothami*, *Achaſi* & *Hiskiae* regum aetate, diuinae voluntatis interpretis munus geſſit (i). *Eſaiae* igitur, *Hoſeae* & *Amoſo* aequalis fuit; ita tamen, vt paulo ſerius oracula edere inciperet. Quintum ipſi inter prophetas locum aſſignat Herm. v. d. Hardt (k).

CAP. XVII.
DE
NACHUMI VATICINIIS.

§. 105.

Nachumi vita.

Nachum (נחום), *Elkoſchita* (אלקשי) cognominatur: Quod per *cunctatorem* inter-

(g) Vid. Paraphraſtes Chaldaeus. Item *Abarbanel*, ad Mich. I, 1. fol. 260, 3.

(h) *Herm. v. d. Hardt.*

(i) Mich. I, 1.

(k) In Hoſeae hiſtoriae & antiquitati redditi Diſſert. VI. p. 56

terpretatur Abarbanel; (l) verius autem *patriae nomen* esse videatur. De illius persona nihil scitur.

§. 106. Non magis de tempore, quo oracula sua edidit Nachumus, cognitum habemus. Sunt, qui ad *Vsiae* aetatem ea referunt (m); sunt, qui ad *Hiskiae* tempora, ante Sancheribi cladem (n), & qui post illius cladem (o); sunt denique, qui ad *Manassis* regis aetatem (p). Tempus editorum oraculorum.

CAP. XVIII.

DE

CHABACUCI VATICINIIS.

§. 107.

Chabacuc (חבקוק), si Iudaeorum traditionibus credimus (q), ille *Sunamitidis feminae filius* fuit, quem Elisaei precibus impetrauit, & quem mortuum hic resuscitauit (r). His quoque auctoribus, *Ido* Chabacuci vita.

[l] Commentar. in Nachum fol. 268, 1.

[m] *Iosephus*, Ant Iud. lib IX cap. 11. pag. 321.

[n] *Lightfoot*, Tom. I. pag. 109.

[o] *Campeg. Vitringa*, in Typo doctrinae propheticae, pag 37.

[p] Seder Olam rabba, cap. 20. p 55 Seder Olam suta, pag. 105.

[q] *Abarban.* Commentar. in Chabacuc, fol. 270, 3.

[r] 2. Reg. IV, 8-37.

do vates illius frater fuit (s). Aperta fabula eſt, quod per aërem ex Palaeſtina in Babyloniam deportatus Danieli vati cibum meſſoribus ſuis praeparatum apportauerit (t).

Tempus editorum oraculorum.

§. 108. Quibus regibus dixerit & ſcripſerit, pro certo dici nequit. Pro diuerſorum coniecturis, vel ad *Manaſſen* (u), vel *Ioſiam* [w], vel *Ioiakimum* [x], reuocatur.

CAP. XIX.

DE *ZEPHANIAE VATICINIIS.*

§. 109.

Zephaniae vita.

Zephanias [צפניה], patre *Cuſchi* [כושי], auo *Gedalia* [גדליה], proauo *Amaria* [אמריה] atauo *Hiskia* [חזקיה], vſus eſt [y]. Quem Hiskiam regem fuiſſe ſuſpicatur Aben-Eſra: Quod vero Abarbaneli non placet;

[s] *Abarbanel*, ad 2. Reg. IV, fol 272, 4.

[t] Vid. *Abarb.* loc. cit. lit. s praeced.

[u] Seder Olam rabba, cap. 20. p. 55.

[w] *Campeg. Vitringa*, in Typo doctrinae propheticae, p. 38. *Herm. v. d. Hardt*, in Hoſeae Diſſert. VI. p. 56.

[x] *Vſſerius*, in Annalibus, ad A. M. 3395. *Heideggerus*, in Enchirid. Bibl. p. 222.

[y] Zeph. I, 1.

placet; qui tamen ex illuſtri familia ortum eſſe non negat (z)

§. 110. *Ioſia* rege vaticinatum eſſe Zephaniam, certum eſt (a). *Ieremiae* igitur & *Chuldae* prophetiſſae coaetaneus fuit. Ante Ieremiam tamen & Ioſiae reformationem vaticinia ſua edidiſſe creditur (b). *Poſt* Ieremiam, Chabacucum & Ioëlem locum decimum ipſi dat Herm. v. d. Hardt [c]. Tempus editorum oraculorum.

CAP. XX.

DE

CHAGGAEI VATICINIIS.

§. 111.

Ad prophetas accedimus, qui poſt Babylonicum exilium vixerunt; *Chaggaeum*, *Zachariam* & *Malachiam*. Qui ante hoc exilium & in illo prophetico munere functi ſunt, ab ipſo Zacharia *prophetae priores* [נביאים ראשונים] appellantur [d]: Quibus Chaggaei vita.

[z] *Abarbanel.* ad Zephan. fol. 273, 3. 4. 274, 1. 2.

[a] Zephan. I, 1.

[b] Seder Olam rabba, cap. 20. fol. 55. Seder Olam ſuta, pag. 105. *Kimchi*, ad Zeph. I, 1. Vid. Bibl. Baſ. fol. 678, 2.

[c] In Hoſeae Diſſert. VI. p. 57.

[d] Zach. VII, 7. Conf. Sotah fol. 48, 2.

bus oppositi hi, *prophetae posteriores* [נביאים אחרונים] cognominantur. Hi tres prophetae in *viris synagogae magnae* à Iudaeis numerantur (e); & vsque ad orientem per Alexandrum M. deuictum vixisse dicuntur (f). De *Chaggaei* vita & fatis nihil praeterea compertum habemus. Ad tres per illum factas decisiones in Talmude prouocatur [g].

Tempus editorum oraculorum.

§. 112. *Chaggaeus* à reditu ex Babylonico exilio, anni *Darii* regis secundi mense sexto, & quidem mensis istius die primo, publice dicere coepit [h]. Quem *Darium Nothum* esse nonnulli suspicantur [i]. *Darium* autem *Hystaspis* filium intelligi verosimilius est [k].

CAP. XXI.

[e] Megillah, fol. 17, 2. 18, 1. Cosri, Part. III. §. 65. pag. 239. ed. Basil. 1660. Raschi ad Babba bathra, fol. 15, 1.

[f] Seder Olam suta, pag. 109.

(g) Iebhamoth, fol. 16, 1.

(h) Chagg. I, 1.

(i) *Scaliger*, lib. VI. de Emendat. Temporum.

(k) Vid. *Huetius*, in Demonstr. Euang. *Camp. Vitringa*, in Typo doctrinae proph. p. 41. *Io. Lightfoot*, Tom. I. p. 139. *Herm. v. d. Hardt*, in Hoseae Diss. VI. p. 57. *Herm. Witsius*, in Miscellan. sacr. lib. I. cap. 20. §. 18-31.

CAP. XXI.
DE
ZACHARIAE VATICINIIS.

§. 113.

Zacharias [זכריה], filius *Berechiae* (ברכיה), nepos *Iddonis* (עדו), [l] cum Zacharia *Ioiadae* pontificis filio (m) non est confundendus. De vita illius & fatis quod praeter ea, quae supra (§. 111.) dicta iam sunt, addamus, non habemus. Quae 2. Chron. XXIV, 20-22. de *Zachariae Ioiadae filii* supplicio narrantur, ea Matth. *XXIII*, 35. de hoc quoque Zacharia dici videantur. Nec est, quod repugnet, quo minus duorum eiusdem nominis diuinorum virorum similia fata fuisse statuamus. Nihil tamen hac de re definere audemus: sed beneuolum lectorem ad eos, qui hac de re prolixius egerunt, ablegamus (n). Zachariae vita.

§. 114. Anni *Darii Hystaspis* regis secundi octauo mense (o), duobus mensibus post Chaggaeum, vaticinari incepit & per nonnullos annos dixit & scripsit. Tempus editorum oraculorum.

§. 115.

(l) Zach. I, 1.

(m) 2. Chron. XXIV, 20-22.

(n) Vid. *Io. Christoph. Wolf.* Curae Philolog. & Crit. in IV. Euangel. ad Matth. XXIII, 35. P. 333. 334.

(o) Zach. I, 1.

Orationis genus.

§. 115. *Orationis genus ſublime eſt*; & nonnullorum libellorum res intellectu difficillimae.

CAP. XXII.

DE

MALACHIAE VATICINIIS.

§. 116.

Malachiae vita.

Malachias (מלאכי) cum *Mardochaeo* & *Eſra* à Iudaeis confunditur (p): quae tamen coniectura Abarbaneli ſe minime probauit (q). Hic *prophetarum vltimus* fuiſſe creditur; & illo fatis functo prophetiae donum in gente ſua ceſſaſſe conſtans Iudaeorum traditio eſt (r).

Tempus editorum oraculorum.

§. 117. *Breui poſt Zachariam oracula* ſua *edidiſſe* videtur auctori Seder Olam; qui Chaggaeum, Zachariam & hunc coaetaneos facit (s). Herm. v. d. Hardt, vel quinque annis poſt Zachariam hunc noſtrum ſcripſiſſe & prophetarum ordinem clauſiſſe, coniicit (t). Paulo iuniorem alii

(p) Paraphraſtes Chaldaeus. in Malach. I, 1. Megillah, cap. 1. fol. 15, 1.

(q) Commentar. ad Malach. I. fol. 297, 1. 2.

(r) Seder. Olam ſuta, pag. 109 Conf. *Ioh. Meyeri* Annotat. pag. 1085.

[s] Seder Olam rabba, cap. 20. pag. 55. Seder Olam ſuta, p. 109.

[t] In Hoſeae Diſſ. VI. p. 109.

alii faciunt, ad *poſtrema Artaxerxis Longimani tempora* eum reiicientes (u). Ludov. Cappellus (w) exiſtimauit, eum poſt viceſimum ſecundum *Artaxerxis Mnemonis* & ante primum *Ptolomaei Euergetis* annum voluntatis diuinae fuiſſe interpretem.

CAP. XXIII.

DE HAGIOGRAPHIS.

§. 118.

Hagiographa (כתובים) pro diuinis quidem libris à Iudaeis habentur. Deum autem eorum ſcriptores non niſi *infimo reuelationis gradu*, quem illi *ſpiritum ſanctum* (רוח הקדש) appellant, dignatum eſſe contendunt (x). Hagiographorum diuinitas ex Iudaeorum ſententia.

§. 119. Horum librorum *vndecim* numero ſunt. Quorum *Capita*; *Verſus* & *Libri maſorethici* ſequenti ſchemate exhibentur. Capita, Verſus, & Libri maſorethici.

Cap.

(u) Vt *Vitringa*, Obſeru. ſacr. lib. VI. cap. 7.

(w) Oper. poſthum. pag. 178.

(x) *Maimonides*, in Moreh Nebhochim, Part. II. c. 45. fol. 121, 2. 122, 1.

	Cap.	Verſ.	Lib. maſ.
Pſalmi.	150	2527	19
Prouerbia.	31	915	8
Iobus.	42	1070	8
Cant. Cantic.	8	117	1
Ruth.	4	85	1
Threni.	5	154	1
Eccleſiaſtes.	12	222	4
Eſther.	10	167	5
Daniel.	12	357	7
[Eſra & Nehemias. 10 13]		688	10
[I. Chronic. 29 II. Chronic. 36]		1656	25
Hagiographa:	362	7958	89

Libri metrici.

§. 120. In his tres libri, *Iobus*, *Prouerbia* & *Pſalmi*, quos à vocum initialibus litteris אמ"ת appellare conſueuerunt Iudaei, poëtico ſtylo conſcripti dicuntur. Quibus Chriſtiani antiqui *Eccleſiaſten* & *Canticum Canticorum* accenſuerunt. (y). *Carmina* ſane *in pluribus* monumentorum ſacrorum *voluminibus* (z) reperiri, cum Iudaei tum Chriſtiani fatentur. *Carminum* quoque *fragmenta* nonnullis in locis (a) ocula-

(y) Vid. *Gregor. Nazianzen.* Tom. II. p. 98.

XXXII, 1-43. Iud. V. 2. Sam. XXII.

[z] E. g. Exod. XV. Deut.

(a) E. g Gen. IV, 23. 24.

oculati viri detexerunt (b). Non minus *vltima Iacobi* patriarchae *ad filios oratio* (c) huc trahenda videtur. Denique pleraque *prophetarum oracula* ligata oratione concepta esse totus orationis habitus doceat.

Poësis sacra qualis sit.

§. 121. Iam vero cuius quaeso naturae Ebraeorum poësis est? Abarbanalem (d) audiamus; qui *tres carminum* facit *species*. *Primam*, quam *Chrusim* (חרוזים) Iudaei appellent; quae certam syllabarum dimensionem, *metrum* & *rhythmos* sequantur. Haec ab extraneis ad Iudaeos recentius peruenisse dicit, eorumque vestigia in sacris reperiri negat. *Secundam*, in quibus *verba plana* sint, oratio quieta & parum vehemens, nec extra ordinem ornata, verba tamen *melodiae musicae* artificiose sint *accommodata*, vt ad musicum concentum cani possint. Quare, pro melodiae ratione, litterae verbis nonnunquam addantur vel demantur. In hisce carminibus *versus* esse *longiores*, quos *lateres* (לבנה) antiqui appellauerint; & *breuiores*, quos *dimidios lateres* (ארוח). Hos eo nonnunquam ordine esse dispositos, vt *longiores & breuiores alternent*; vt Exod. XV. (e) Et de his dixisse

[b] Vid. *Herm. v. d. Hardt*, Praefat. ad primam Elegiam sacram Ioëlis.

[c] Gen. XLIX.

[d] Commentar. ad Exod. XV. fol. 126, 4. 127, 1. 2.

[e] Qua ratione hoc canticum

riſſe veteres: לבנה על גבי אריח אריח על גבי לבנה *Later ſuper dimidio latere & dimidius later ſuper latere ſit diſpoſitus.* Nonnunquam autem *longiorem ſequi immediate longiorem & breuiorem immediate breuiorem*; vt in Cantico Moſis Deut. XXXII. Illud veteribus eſt: לבנה על גבי לבנה, *Later ſuper latere*; & hoc: אריח על גבי אריח *Dimidius later ſuper dimidio latere. Tertia* denique carminum ſpecies illi eſt, quae *dictionis maieſtate, ſententiarum grauitate, locutionibus hyperbolicis, & parabolicis*, &c. mouendis affectibus ſit apta. Huc carmen illud Num. XXI, 17. 18. & Canticum canticorum refert. Licet in ſecundae ſpeciei carminibus orationis dignitatem alicubi quoque elucere non neget. Parum ab Abarbanele abeunt R. *Aſarias* (f) & R. *Samuel Arcauolti* (g). Hic tamen rhythmos quoque in ſacris oſtendit. Chriſtianorum alii *hexametrorum, pentametrorum* nec non *lyricorum carminum* veſtigia repetiri in ſacris carminibus arbitrati ſunt (h).

Rhythmos

ticum ab Iſraëlitis ſit decantatum, vid Sotah, fol. 30, 2.

[f] In מאור עינים, Part. III. c. 60.

(g) In ערוגת הבושם, cap. 31. 32.

[h] Vid. *Io. Croius*, in Obſeruationibus ſacris ad nov. foedus, p. 93. ſeq. *Herm v. d. Hardt*, in Tribus primis Ioëlis Elegiis ſacris. Helmſt. 1706. 8.

Rhythmos inueſtigarunt alii (i). Hi vero, temeritate vix condonanda, id ſibi ſumſerunt, vt *verba* pro lubitu *transponerent & mutarent*, vt rhythmi reuocari poſſent. Sic quiduis ex quouis facias. Ex *accentibus* intelligi poſſe iudicarunt nonnulli (k), quomodo cantica ſacra decantata olim fuerint. Non male hi fortaſſe, ſi huius doctrinae ſufficientem haberemus cognitionem. Ea vero cum deſtituamur, foecundae coniecturarum matres erunt coniecturae.

§. 122. Quinque in hagiographis *quinque voluminum minorum* (חמש מגלות) nomine apud Iudaeos venire, *iam ſupra* (§. 8.) monuimus. Haec certis in feſtis & nefaſtis diebus in Iudaeorum ſynagogis leguntur. *Canticum canticorum*, in ſabbatho, quod in profeſtos paſchatis dies incidit. (שבת ח"מ של פסח). *Ruthae liber*, in pentecoſtes feſto (שבועות). *Threni*, die 9. Abh. (תשעה באב). *Eccleſiaſtes*, in ſabbatho, quod in profeſtos ſcenopegiae feſti dies incidit (שבת ח"מ לסוכות). *Eſtherae liber*, in bacchanaliorum feſto. (פוריים). Quinque volumina minora.

CAP.

[i] Vt *Io. Clericus*, in Commentariis paſſim. In Diſſertat. de Scriptore Pentateuchi. In Bibliotheca Vniuerſali. Tom. IX. pag. 222-291.

[k] E.g *Io. Georg. Abicht*, de Accentibus Hebraeorum, p. 264.

CAP. XXIV.
DE
PSALMIS.

§. 123.

Pſalmi. *Pſalmi* [תהלים vel תלים] ſunt cantilenae inter cultum Judaicum decantari ſolitae. Sunt, qui exiſtimant, dici Judaeis *Thillim* [תהלים], quae Graecis ψαλμοὶ dicantur; *Mismorim* [מזמורים], quae ὕμνοι; *Schirim* [שירים], quae ᾠδαί. (l) Ante hos annos inter Profeſſores Helmſtadienſes cel. *Herm. v. d. Hardt* & *Chriſtoph. Henr. Ritmeierum* acerrima ventilata controuerſia fuit de eo, num pſalmos *odas* appellare fas ſit, necne; hoc id negante, illo affirmante.

Auctores. §. 124. De pſalmorum *auctoribus* non omnes idem ſentiunt. Talmudici doctores *praeter Dauidem decem* alios nominant. (m) Eruditi Chriſtiani ſtatuunt, eſſe in pſalmorum volumine non paucos, quos diu *poſt Dauidis aetatem*, & vel *in Babylonico exilio*, vel etiam *poſt illud*, compoſitos eſſe, ex eorum intelligatur argumento. (n) Imo vel eorum nonnullos, in quorum limine

[l] *Stephanus le Moyne*, in notis ad varia ſacra.
[m] Babha bathra, fol. 14, 2.
[n] E. g. *Grotius*, in Commentat. *Clericus*, in Judiciis de Critica Simoniana, pag. 184. ſqq.

mine inſcriptio לדוד comparet, (o) Dauidi tribui poſſe negant. (p) Nos, alios fortaſſe ante Dauidem, alios illius aetate vel ab ipſo vel aliis viris diuinis, alios à viris θεοπνεύσοις recentioribus, compoſitos eſſe, *nulli* dubitamus. *Auctores* autem *definire non audemus.*

§. 125. De pſalmorum *collectoribus* non minus ſententiae diſcrepant. *Dauidi* id negotii dant Talmudici. (q) Primos 72. pſalmos ab ipſo *Dauide*, ceteros ab *Aſapho* eiusque ſociis & *Eſra* digeſtos eſſe, Hugo Grotius (r) exiſtimat. *Eſram* collectorem *alii* faciunt; [s] alii *quoscunque* poſt Eſram demum *viros pios.* (t) Collectores.

§. 126. Pſalmos, quo elaboratos, eo *ordine* in volumine non eſſe locatos, demon- Ordo.

ſqq. *Herm. v. d. Hardt*, in Hiſtor. Pſalmi I. Helmſt. 1712. It. Einweihungs - Feſt der Collegien - Kirchen 1713. Nehemias, bey Erklaerung des 112. Pſalms 1713. Schechania und Meſchüllam, bey erklaerung des 120. Pſalms 1713. Groſs Hallel, bey erklaerung des 136. Pſalms. 1713. &c. Conf. & *Witſius*, in Miſc. ſacr. lib. I. c. 18.

[o] E. g. Pſ. XIV.

[p] *Io. Clericus*, in Notis ad Dav. Clerici Quaeſtiones ſacras, p. 279.

[q] Babha bathra, fol. 14, 2.

[r] In Not. ad Pſalm. LXXII.

[s] E. g. *Huetius*, in Demonſtrat. Ev. p. 332. ſeqq.

[t] *Bartoloccius*, in Bibliothec. Tom. II. p. 211.

monſtratu fortaſſe non admodum difficile ſit. Quid vero ſecuti ſint collectores, quis nos edoceat?

Alphabetici pſalmi.

§. 127. *Alphabetici pſalmi* dicuntur, in quibus primae verſuum litterae litterarum in alphabeto ordini reſpondent. Horum *ſeptem* numerantur: nempe Pſ. XXV. XXXIV. XXXVII. CXI. CXII. CXIX. CXLV. Qui tamen *non omnes perfecte alphabetici* ſunt. Videatur de iis Bartoloccius. (u)

Hallel & Hallel magnum.

§. 128. *Pſalmi* CXIII-CXVIII. *Hallel* (הלל) a Judaeis appellantur, [w] & ab illis in feſtis ſuis maioribus ſolenniter decantantur. Pſalmus CXXXVI. autem *Hallel magnum* [הלל הגדול] cognominatur, & in Paſchali nocte ſolenniter decantatur. (x)

Pſalmi graduum.

§. 129. Pſalmi quindecim, nimirum Pſ. CXX - CXXXIV, *pſalmi graduum* [שירי המעלות, vel שיר למעלות] inſcribuntur. Cuius rei ratio eſſe creditur, quod in ſcenopegiae feſti nocturna hilaritate à Leuitis, in 15. gradibus ex mulierum atrio in magnum atrium ducentibus ad concentum muſicum conſtitutis, & inſtrumentalem vocali muſicae iungentibus, decantarentur. (y)

§. 130.

[u] In Bibliothec. Tom. II. p. 261. ſeqq.

[w] Pſachim, fol. 116, 2. ſqq.

[x] Pſachim, fol. 118, 1. Vid. & *Bartolocc.* Bibliothec. Tom. II. p. 238. ſqq. *Herm v. d. Hardt*, Groſſ Hallel, Helmſt 1713.

[y] Succah, fol 51, 2. Vid. & Raſchi ad h. l. Conf. Succah. fol. 53, 1.

§. 130. Praeterea certis nominibus nonnullos pſalmos Judaeorum doctores inſigniunt. E. g. Pſalmum XCI, quia de prouidentia diuina & variis calamitatum ipeciebus agit, *canticum fatorum* (שיר של פגעים) vel *canticum plagarum* (שיר של נגעים) vocant. [z] Nomina quorundam pſalmorum Judaica.

§. 131. Pſalmo CIX. ad *imprecandum inimicis*, pro morte eorum acceleranda, irreligioſi & Judaei & Chriſtiani abuti dicuntur. (a) Pſalmi CIX. abuſus.

§. 132. Num pſalmorum *inſcriptiones* ab ipſis *eorum auctoribus* ſint praemiſſae, an per manus *recentiores*, dubitatum fuit. (b) De *inſtrumentis & terminis muſicis* in pſalmis commemoratis ſuo loco dicemus. Inſcriptiones.

§. 133. In *quinque* denique *libros* digeſti ſunt *Pſalmi*. (c) Cuius diuiſionis auctorem ipſum Dauidem facit R. Dauid Kimchi. [d] Diuiſio in 5 libros.

Lib.

[z] Schbhuoth, fol 15, 2. *Maimonides*, in Moreh Nebhochim, Part. III. cap. 51.

[a] Vid *Io. Andr. Schmidii* diſp. de Abuſu Pſ. CIX. imprecatorii, vulgo das Tod-beten. Helmſt. 1708.

[b] Vid. *Chriſtoph. Sonnagius*, in libro de Titulis Pſalmorum. *Io. Walliſius*, Opp. Tom. IV. p. 294 ſeqq. *Iac. Guſſetus*, in Commentar. Linguae Hebr. p. 528.

c] Vid Medraſch Tillim, fol. 2.

[d] In Praef. ad Commentar. in Pſalmos.

Lib. I.	Pſ.	1	-	41.
- II.	-	42	-	72.
- III.	-	73	-	89.
- IV.	-	90	-	106.
- V.	-	107	-	150.

Diuiſio Pſalmorum per Graecos & Latinos.

§. 134. *Graeci* & *Latini* Pſalmos IX. & X, ſimiliterque CXIV. & CXV, in vnum compingunt. Contra ea Pſalmos CXVI. & CXLVII. in binos quemlibet diſcernunt. Id quod propter citationes per Patres factas notari meretur.

Pſalmus 151 ſuppoſititius.

§. 135. *Pſalmus* CLI. *ſuppoſititius* in Bibliis polyglottis graece legitur. Quem vero nec Iudaei agnoſcunt, nec Chriſtiani.

CAP. XXV.
DE
PROVERBIIS.

§. 136.

Auctores.

Prouerbia (משלי vel משלי שלמה) *Salomonem* regem *auctorem* agnoſcere ex inſcriptionibus videantur. Id quod Judaei quoque largiuntur. Non deſunt tamen in eodem hoc volumine inſcriptiones, (e) quae *diuerſos auctores* arguere videri poſſint. Quare poſtrema duo capita Salomoni abiudicat Natalis Alexander: [f] Eidem vindicat Geierus. [g]

§. 137.

(e) Prou XXX, 1. XXXI, 1.
(f) In Hiſt. Eccleſ. V. T. Aetate V. Diſſ. IV.
(g) Commentar. in Prouerb. Salomonis, pag.

§. 137. Per *eruditum Hiskiae* regis *conſeſſum*, in quibus Eſaias vates fuerit, prouerbia vel in vnum volumen *collecta*, vel *in canonem recepta* eſſe, Talmudici tradunt. [h] Collectores.

§. 138. Quibus *aetatis annis* per Salomonem prouerbia ſint prolata, de eo non idem ſentiunt Judaei. Quorum vagas coniecturas ſequi Chriſtianos non puduit. Auctor libri Seder Olam rabba [i] ſcribit: *Quum conſenuiſſet Salomo, mortique vicinus eſſet, ſpiritus ſanctus ſuper eum requieuit, vt eloqueretur ea, quae in Prouerbiis, Cantico canticorum, & Eccleſiaſte continentur.* Contra ea *R. Chiia Rabbah* ſtatuit, eum *iuuenem prouerbia, in media aetate Canticum canticorum, ſenem Eccleſiaſten* conſcripſiſſe. Denique vero *R. Jonathan à iuuene Canticum canticorum, in media aetate Prouerbia, á ſene Eccleſiaſten* conſcripta eſſe auguratur. [k] Tempus prouerbiorum enunciatorum.

§. 139. Doctores, propter apparentes contradictiones, prouerbiorum volumen *ex canonicorum numero expungendi* conſilium aliquando cepiſſe, quod tamen, re penitius inſpecta, factum non ſit, referunt Talmudici. Canon.

[h] Babha bathra, fol. 14, 2. 15, 1.

[i] Cap. 15. p. 41. edit. Meyer.

[k] Medraſch Schir haſchirim rabba, fol. 4, 2. Jalkut Schimoni, part. II. ad Coheleth, fol. 182, 2.

dici. [l] Hodie non magis Judaei de *libri diuinitate* dubitant, quam Christiani.

CAP. XXVI.
DE
IOBI LIBRO.

§. 140.

Iobus quis fuerit.

Iobus patientiae exemplum est, non magis propter ea, quae, dum in viuis esset, quam quae post obitum ab interpretibus est passus. Tantopere de illius & *persona* & *aetate* & *libro* inter se conflixerunt. Sunt, qui *Iobum vnquam extitisse negent*. [m] Eorum autem, qui eum extitisse concedunt, de tempore & loco, quando & vbi vixerit, vel nullae vel dubiae & incertissimae sunt coniecturae. Sunt, qui *Iacobi patriarchae tempore* vixisse, eiusque filiam Dinam in matrimonio habuisse dicant. Alii *Mosis*, alii *Iudicum*, alii Salomonis, alii *Nebucadnezaris*, alii *Ahasueri* regis tempore, vixisse suspicantur. Alii denique, *in captiuis, qui cum Esra in Palaestinam redierint*, fuisse, & academicum auditorium Tiberiade habuisse somniant. [n] De gente non minus quam persona dissentiunt. *Gentilem*, & prophetas inter extraneas gentes non solum

[l] Schabbath, fol. 30, 2.

[m] Babha bathra, fol. 15, 1, 2. Moreh Nebhochim, Part. III. c. 22. fol. 146, 2.

(n) Vid loc. cit. lit. m. praeced.

lum Iobum, verum etiam amicos eius, Eliphaſum, Bildadum, Zopharem & Elihu, fuiſſe, nonnulli tradunt. Alii autem *Iſraëlitam* fuiſſe credunt. [o] *Iacobi ex Iſſaſchare* filio *nepotem* facit Herm. v. d. Hardt; [p] qui *Iobus* [יוב] [q] vel *Hiobus* (איוב) [r] vel *Iaſchubh* [ישוב] [s] fuerit dictus, & poſteri eius *Jaſchubhitae* (ישובי). Idem cum *illis* facit, qui *natum* eſſe credunt, *cum Iſraëlitae in Aegyptum deſcenderent*, & *denatum, cum ex Aegypto aſcenderent*. [t] Habent Iudaei, quae Iobo exprobrent. Iobum enim vna cum Bileamo & Reguele *Pharaoni regi a conſiliis intimis* fuiſſe, narrant; & hanc calamitatum, *in quas* deinceps inciderit, cauſam fuiſſe, quod propoſito de Iſraëlitarum filiis ſuffocandis conſilio, non auſus contradicere, *intempeſtiue ſiluerit*. [u] Inque ſuo volumine incautius paſſim loquentem *Talmudici ſatis acerbe caſtigant*. [w]

§. 141. Qui Iobum nullum fuiſſe ſtatuunt, non poſſunt non contendere, *parabolam* Argumentum.

(o) Babha bathra, fol. 15. 2. Seder Olam rabba, c. 21. p. 59.
(p) Ephemer Philolog. Diſcurſ. V p. 76. 85. Helmſt 1703. 4.
(q) Gen. XLVI, 13.
(r) In libro Iobi.
(s) Num. XXVI, 24. 1 Chron. VII, 1.
[t] Seder Olam rabba, cap. 3. p. 8.
[u] Sotah, fol 11, 1. Sanhedrin. fol. 106, 1.
[w] Babha bathra, fol. 16, 1.

bolam esse, quae vera historia esse vulgo putetur. [x] A quibus prope absunt, qui veram historiam non paucis per scriptorem additamentis auctam suspicantur. [y] Luthero vitio datur, quod hunc librum cum Terentii Comoediis & Virgilii Aeneide comparauerit: [z] Sed ab hac criminatione magni nominis viri illum vindicant. [a] Hermannus v. d. Hardt *Israelitici exilii historiam* in hoc libro latere putat. [b] Pro *historiae* in sensu proprio *veritate* plerique pugnant.

Scriptor. §. 142. Librum iam *ante Mosen* scriptum & librorum omnium antiquissimum esse, Tillotsonus (c) suspicatur. Nonnulli eum ipsi *Iobo* scriptori; [d] alii *Iobi amicis*; [e] alii *Mosi*; [f] alii *Salomoni*; [g] alii *scriptori ano-*

[x] *Maimonides*, loc. cit. §. 140. lit. m.

[y] *Franc. Vauassor*, in Praef. ad Commentar. in Iobum.

[z] In Colloquiis Conuiu.

[a] *Abrah. Calou* in Bibl. illustrat. Part. I. p 884. seqq. Io. *Gerhardus*, in Loc. Theolog. Loc. I. p. 143. seqq. *Georg. Henr. Goetze* peculiari in Meletematibus Annaebergens. Dissert.

(b) Vid. illius Iobus, historia populi Israëlitici in Assyriaco exilio. Helmst. 1728. fol.

(c) In Concionibus, pag. 482. ed Lond. 1714.

(d) Vid *Joh Gottlob Carpzov* Introduct. ad libros poëtic V. T. cap 2. § 10. pag. 55-59.

[e] *Lightfoot*, Tom. I. p 24

(f) *Babha bathra*, fol. 15 1. *Schmuel haccohen*, in Zophnath panech, fol. 19, 1. *Huetius*, in Demonstr. Euang. p. 322.

(g) *Lutherus*, in Sermon. Conuiu.

anonymo circa Salomonis vel exilii Babylonici tempora (h) *vindicant. Hierosolyma per Babylonios iam deleta* scriptum esse Herm. v. d. Hardt contendit (i). *Scriptorem se ignorare* fatentur alii. Et nos confitemnr.

§. 143. Supereſt, vt de *idiomate* diſquiramus. *Aben-Eſra* (k) ſuſpicatur, *ex alia lingua in Ebraeam* librum eſſe *conuerſum.* De *Arabica* lingua frequentes *Arabiſmos* in Iobo obuios teſtari, multi quoque Chriſtianorum exiſtimant: ex qua vel per Moſen [l] vel per Salomonem [m] in Ebraeum ſermonem liber ſit transfulus. *Arabiſmos Io.* Abrahamus Kromayerus (n) Alb. Schultens (o) monſtrarunt. *Ex arabica* lingua Iobi libro non parum lucis affundi poſſe lubentes concedimus. Attamen de eo, num iſtis temporibus, quibus conſcriptus hic liber eſt, eadem Arabum, quae nunc eſt, lingua fuerit, vehementer dubitamus. Idioma.

CAP. XXVII.

(h) *Io. Andr. Schmidius*, in Diſſert. de modo propagandi relig. per carmina, pag. 16.

(i) Progr. in Aben-Eſram, p. 68. ſq. Helmſt. 1712.

(k) Commentar. ad Iob. II, 11. Bibl. Baſil. fol. 805, 1.

(l) *Frid. Spanhemius*, in Commentat. de Hiſtoria Iobi.

(m) *Io. Harduin.* in Chronologia V. T.

(n) In libro de Vſu linguae Arabicae. Franc. & Lipſ. 1707.

(o) In Animadu. Philolog. in Iobum. Vltrai. 1708. 8. In Comment. in Iobum.

CAP. XXVII.

DE

CANTICO CANTICORUM.

§. 144.

Scriptor. *Canticum canticorum* (שיר השירים) *Salomoni* regi vindicat inſcriptio (p). Per *Hiskiae* regis *conſeſſum*, cuius membrum, *Eſaias* vates fuerit, vel in litteras redactum vel in canonem receptum eſſe, Talmudici tradunt (q).

Scriptionis tempus. §. 145. Coniecturas, *circa quos aetatis* ſuae *annos* canticum hoc compoſuerit Salomo, ſupra [§. 138.] recenſuimus. Addimus, opinari nonnullos [r], quod *trigeſimo regni ſui anno*, occaſione filiae Pharaonis in nouum palatium deductae, ab eo ſit conſcriptum.

Diuinitas. §. 146. Pro diuiniſſimo libro à Iudaeis nunquam non habitus fuit; quem *ſanctum ſanctorum* [קדש קדשים] ſalutare conſueuerunt. Dixit R. Akiba, *omne, quo mundus ſtetit tempus non eſſe aequiparandum diei, quo hoc carmen diuino afflatu ſic conſcriptum.* Aben-Eſra omnibus ceteris Salomonis carminibus id praefert; Chaldaeus paraphraſtes autem, ceteris decem carminibus in

facro

(p) Cant. I, 1.
(q) Babha bathra, fol. 15, 1.
(r) E. g. *Lightfoot* Tom. I. p. 76,

ſacro codice obuiis (s). Non minori in pretio veteres Chriſtiani habuerunt; licet iuniores ab illius lectione arcere conſuerint (t). Recentiorum nonnulli *ſiniſtre* de hoc libro ſenſerunt (u).

CAP. XXVIII.

DE

RUTHAE LIBRO.

§. 147.

In Ruthae libro hiſtoria exponitur *Elimelechi* Bethlehemitae; qui iudicum tempore, *fame cogente, in Moabitidem*, cum *Noëmi* vxore & *duobus filiis*, abiit. Filii Moabitidas ducunt vxores, quarum altera *Rutha* eſt; & improles diem ſuum obeunt. Rutha ſocrum in Palaeſtinam reuertentem deſerere recuſat. Ibi ducit eam *Boas*; ex qua *Obedum*, *Dauidis* regis auum, ſuſcipit. Quot annorum hiſtoriam hic liber comprehendat, pro certo dici nequit. Libri argumentum.

§. 148.

[s] Iadaim, cap. 3. § 5. fol. 157, 1. Ialkut Schimoni, Part II. fol. 174, 4. *Aben-Eſra*, in praefat. ad Cant. Targum in Cant. I, 1. Vid. Bibl. Baſ. fol. 839, 2.

[t] Vid. *Origenis* praefat. in Canticum & *Theodoreti* Tom. I. p. 985.

[u] De his vid. *Io. Henr. Maii* Diſſertt. ſelect. Diſſ. I. p. 42. *Herm. Witſius*, in Miſcellan. ſacr. lib. I. c. 18. §. 38.

Scriptor. §. 148. *Samueli* auctori hunc librum tribuunt Talmudici (w). Ante ſcriptum non eſſe, quam Dauid natus eſſet, niſi interpolatum credere velis, Dauidis genealogia [x] teſtatur. Imo eo conſilio, vt de illa conſtaret, ſcriptus videatur.

Num Libri Iudicum pars eſt. §. 149. *Libri Iudicum partem*, ab illo diuulſam eſſe, nonnulli crediderunt [y]. Id quod Iudaei nunquam concedent.

CAP. XXIX.

DE

THRENIS.

§. 150.

Auctor. *Threni* (קינות vel איכה) & à Iudaeis (z) & à Chriſtianis Ieremiae prophetae, non obſtante *Ieremiae* vaticiniorum & horum threnorum ſtyli diſſimilitudine, vnanimiter tribuuntur. Herm. v. d. Hardt (a) autem, pro capitum numero, quinque eorum facit auctores, *Danielem*, *Sadrach*, *Meſach*, *Abednego*, & *Iechoniam* regem.

Argumentum. §. 151. *Threnos* hos eſſe illud lamentorum *volumen*, quod per Baruchum praelectum

[w] Babha bathra, fol. 14, 1.

[x] Ruth. IV, 18. 22.

[y] *Io. Morinus*, in Exercitatt. Bibl. p. 141.

[z] Babha bathra, fol. 115, 1.

[a] Program. in quo Threnorum interpretationem indicit. Helmſt. 1712.

lectum flammis, *Ioiakimi* regis *iussu*, sit *exustum*, cum augmento autem per Ieremiam restitutum (b), veteres Iudaei statuerunt (c). Cui tamen opinioni Aben-Esra (d) contradicit. *Pro Iessu in Iosiae funus* per Ieremiam vatem facto habetur à plerisque Christianorum (e); contradicentibus tamen nonnullis (f). Quin illius in Iosiam regem lugubris carminis, non Ieremiam prophetam, sed Ieremiam Libnensem regis socerum, auctorem facit Herm. v. d. Hardt (g). Hi Threni *in Hierosolymorum calamitates & cineres* scripti videantur.

§. 152. *Orationis genus maiestate plenum* est, vt nihil grauius, numerosius & sonantius habeat antiquitas. Illo quoque artificio vti auctori placuit, vt *pro alphabeti ordine* initiales versuum litteras seligeret. Et

Alphabeticus versuum ordo.

[b] Ier. XXXVI.

[c] Vid. *Raschi* & *Kimchi*, Commentar. in Ier. XXXVI, 32. Bibl. Bas. fol. 563. Item ad Thren. I, 1. fol. 853, 1.

[d] Praefat. ad Thren Bibl. Basil. fol. 853, 1.

[e] Nixi testimonio *Iosephi*, Antiqu. Iud. lib. X. cap. 8. p. 335.

[f] E. g. *Grotius*, ad 2. Chron. XXXV, 25. *Herm. v. d. Hardt*, Progr. in Aben Esram. p. 14-21. Helmst. 1712. *Benedict. Christian Michaëlis*, in praefat. Annotationum in Threnos.

[g] Loc. cit. §. 150. lit. a.

Et in tertio quidem capite terni versus eandem litteram initialem exhibent.

CAP. XXX.
DE
ECCLESIASTE.

§. 153.

Auctor. *Ecclesiastes* [קהלת] *Salomonem* regem, vnanimi fere Iudaeorum (h) & Christianorum consensu, *auctorem* agnoscit. De Salomonis librum scribentis aetate coniecturae supra (§. 138.) sunt allatae. Sunt tamen in recentioribus [i], qui *post Babylonicum* demum *exilium* hunc *librum compositum* esse suspicantur.

Scriptor. §. 154. Per *Hiskiae consessum*, secundum Talmudicos (k) *in canonem* liber fuit receptus. Quare his non contradicunt, qui *Salomonem* & auctorem & *scriptorem* eius esse contendunt [l].

§. 155.

(h) Seder Olam rabba, cap. 15. pag. 41. *Aben-Esra* ad Eccles. I, 1. Bibl. Bas. fol. 858, 2.

(i) *Hugo Grotius*, in praefat. & ad Eccles. XII, 11. Herm. v. d. Hardt, in Progr. de libello Coheleth. Helmst. 1714.

(k) Babha bathra, fol. 15, 1.

(l) *Herm. Witsius*, Miscellan. Tom. I. lib, 1. cap. 18. p. 227. *Seb. Schmidius*, in Commentar. *Ioh. Gottlob Carpzonius*, Introduct. ad libr. poët. bibl. Part. II. cap. 5.

§. 155. De *dictionis obſcuritate* interpretes ad vnum omnes conqueruntur. Herm. v. d. Hardt [m] vocat librum mole paruum, pondere & difficultate immenſum, omniumque obſcuriſſimum aeſtimatum. Orationis genus.

§. 156. Iudaeos *inter apocrypha* aliquando *referre* voluiſſe eccleſiaſten, quod *contradictiones* in eo reperiri exiſtimarent, conciliatis autem locis dubiis à conſilio abſtinuiſſe, tradunt Talmudici [n]. Accuſant *Lutherum* pontificii [o], quod minus reuerenter de hoc libro ſenſerit. Docent autem noſtri [p], eum non de *Salomonis* eccleſiaſte, ſed de Syracidae eccleſiaſtico *eſſe loquutum*. Salomonem eccleſiaſten non prophetiae dono, ſed humanae prudentiae beneficio, concinnaſſe, *R. Simeon ben Menaſia* ſtatuit [q]; cuius ſententiam qui amplecterentur, non defuerunt. Vlterius progreſſus *Anton. Collinus* [r], eum atheiſmi inſimulare non dubitauit. Quem vero ſatis multi, vt meruerat, caſtigarunt (s). Diuinitas.

§. 157.

(m) Loc. cit. §. 153. lit. i. praeced.

(n) Schabbath, fol. 30, 2.

(o) *Rob. Bellarminus*, lib. I. de verbo Dei, cap 5. *Huetius*, Demonſtr. Euangel. p. 355.

(p) *Ioh. Gottlob Carpzou.* Introd. ad libr. poët. bibl. c. 5. §. 8. p. 229. 231.

(q) Megillah, fol. 7, 1.

(r) Diſcours ſur la liberté de penſer

(s) *Io. Gottl. Carpzou.* loc cit. lit p. praeced. p. 228. 229.

Gentiles eccleſ. legerunt.

§. 157. *Ex eccleſiaſte* multa *hauſiſſe gentiles*, nonnullorum ſententia eſt [t]. Sed coniectura eſt. Didiciſſe ex Salomonis libris gentilium philoſophos non pauca, Iudaei quoque gloriantur (u).

CAP. XXXI.
DE
ESTHERAE LIBRO.

§. 158.

Argumentum.

Eſtherae liber (מגלה, vel מגלת אסתר, vel מגלת אחשורוש) 10. *annorum hiſtoriam*, à tertio Ahaſueri regis, quem nos Darium Hyſtaſpis eſſe credimus, anno ad duodecimum regni illius annum exponit. Quomodo ad regiam dignitatem Eſthera Iudaea peruenerit, gentemque Iudaicam, per Hamanem delendam, conſeruauerit.

Scriptor.

§. 159. Per *viros ſynagogae magnae* hunc librum conſcriptum vel inter canonicos relatum eſſe, Talmudicorum traditio eſt (w). Quibus non contradicunt, qui *Eſram* vel *Mardochaeum* vel *Ioachimum* pontificem (x) libri auctores faciunt: Cum hi in ſynagogae

(t) Vid. *Grotius* in notis ad Eccleſ. *Huetius*, in Demonſtr. Euangel. *Natalis Alexander*, in Hiſt. Eccleſ. V. T. Aetate V. Diſſ. V.

(u) Vid. *Buxtorf.* Notas ad Coſri, p. 31. 32.

(w) Babha bathra, fol. 15, 1.

(x) *Pſeudo - Philo*, in Chronographia.

gae magnae viris numerentur. Narrant Talmudici [y], Eſtheram, cum à Iudaeorum doctoribus peteret, vt res per ſe geſtae in libro conſcriberentur, repulſam primum *tuliſſe*; donec, repetitis precibus, id tandem impetraret. Quibus Iudaeorum traditonibus qui fidem haberi non poſſe cenſeat; is & *ſcriptorem & tempus*, quo liber ſit ſcriptus, *ignorari* fateri cogetur.

§. 160. De *diuina* libri *auctoritate non dubitatur*. Suſpicari poſſis, minori in pretio apud Iudaeos librum haberi, quod nomen *Iehouah* (יהוה) *nusquam in eo compareat*. *Quanti* autem illum faciant, quis eſt qui ignoret? *Recentioris aetatis* id *indicium* eſſe qui ſuſpicetur, is à vero non multum aberrare mihi quidem videatur. Diuinitas.

CAP. XXXII.

DE

DANIELIS VATICINIIS.

§. 161.

Daniel (דניאל) Nebucadnezaris imperii anno ſecundo (z) id eſt, A. M. 3398, adeoque *ante Ezechielem*, oracula edere incepit; Functusque munere prophetico eſt, *Nebucadnezare*, *Euilmerodacho*, *Belſazare*, *Dario Medo*, & *Cyro*, regibus. Tempus editorum oraculorum.

§. 162.

[y] Megillah, fol. 7, 1. [z] Dan. II, 1.

Scriptor. §. 162. Quin ipsum *Danielem auctorem* habeat vaticiniorum illius volumen, non est cur dubitemus. De eo enim in canonem recepto loquuntur Talmudici (a), vbi viros synagogae magnae libri auctores facere vulgo creduntur. *Porphyrius* philosophus (b), Danielis volumen post Antiochi Epiphanis tempora demum conscriptum esse clamat. Hoc vel maledicentior *Vriel Acosta*, Iudaeus peruersus, calumniatus est (c), Danielis volumen, ad exemplum librorum Iudithae, *III.* & *IV.* Esrae, pluriumque eiusdem farinae, *in Pharisaeorum gratiam a recentioribus* esse confictum. Quorum audaciae viri cordati se strenue opposuerunt (d).

Idioma. §. 163. Danielis volumen partim *Ebraeo* partim *Chaldaeo* (e) *idiomate* conscriptum esse, nemo non nouit. In cuius rei rationes Abarbanel (f) & alii inquisiuerunt.

Diuinitas. §. 164. Quod hic liber *diuino instinctu* sit *scriptus*, Iudaei lubentes largiuntur. Non

[a] Babha bathra, fol. 15, 1.

[b] Lib. 12.

[c] In libro manu exarato.

[d] *Samuel de Silua* in tract. de Immortalitate animae, cap 23. p. 127. seqq. *Herm. Witsius*, Miscellan. sacr. lib. I. c. 19. §. 19. seqq.

[e] Cap. II, 4 - VII, 28.

[f] Praefat. Commentar. in Danielem. Conf. *Joh. Meyeri* Annotat. in Seder Olam, p. 984.

Non tamen nisi in hagiographis, quae illis infimae dignitatis sacra scripta sunt, locum illi assignant, quem nos in prophetis maioribus quartum numeramus. *Prophetae* enim *nomen Danieli proprie competere negant* (g). Quod tamen *alii affirmant* (h). Huic quoque nomen *filii hominis* (בן אדם) tribuitur (i).

CAP. XXXIII.

DE *ESRAE LIBRO.*

§. 165.

Esrae liber (עזרא) *Iudaeorum ex Babylonico exilio reducum 70. annorum historiam*, ab anno 1. Cyri ad annum 7. Artaxerxis Longimani, id est, ab A. M. 3468. ad 3537, complectitur. Argumentum.

§. 166. Ipsum *Esram* librum à se dictum *conscripsisse*, Talmudici tradunt (k). De cuius traditionis veritate nulla dubitandi ratio subest. Confirmat eam, quod *in prima persona* de se passim loquitur [l]. Sex tamen Scriptor.

[g] Megillah, fol. 3, 1. Sanhedrin, fol. 93, 2. 94, 1. Moreh Nebhochim, Part. II. cap. 45. fol. 121, 2. 122, 1.

[h] *Abarbanel*, in Sepher maine haischuah.

[i] Cap. VIII, 17.

[k] Babha bathra, fol. 15, 1.

[l] E. g. Cap. VIII, 1.

tamen priora capita anonymo tribuit Huetius. Spinosa (m) autem Esrae & Nehemiae libros ad Maccabaeorum tempora reiicit.

Idioma. §. 167. *Ebraice* quidem scriptus est liber. Quae vero vel ad Persarum reges, vel ab his, *Chaldaico idiomate* scriptae sunt litterae (n), eae, quibus verbis exaratae erant, bona fide sunt insertae.

CAP. XXXIV.

DE

NEHEMIAE LIBRO.

§. 168.

Argumentum. *Liber Nehemiae* (נחמיה) 12. circiter *annorum historiam*, ab anno 20. ad 32. regni Artaxerxis Longimani, id est, ab A. M. 3550. ad 3562, si genealogias insertas excipias, comprehendit.

Scriptor. §. 169 Libri Nehemiae *auctorem* fuisse *Esram* non pauci suspicati sunt (o). Quod pontificium maximorum genealogia vsque ad Darii Codomanni tempora in illo legitur (p); longe post restitutum per Iudam Maccabaeum templi cultum per *Sadducaeos* con-

[m] In Tractat. Theolog. Polit.

[n] Cap. IV, 8. VI, 19, VII, 12-26.

[o] E. g. Centuriatores Magdeburg. Centur. IV. pag. 307.

[p] Cap. XII, 10. 11.

conſcriptum eſſe hunc librum Spinoſa [q] malitioſe concludit, an garrit? *Nehemiae* ipſi tribuendum eſſe librum, & eius *inſcriptio* [r], & id, quod per totum librum *in prima perſona* de ſe ipſe loquitur, ſatis clare euincit. *In pontificum* tamen *genealogia*, ſi non tota, ſaltem ea parte, quae perſonas Nehemiae aetate iuniores recenſet, *recentiorem diuinam manum* agnoſcamus.

§. 170. Maſorethae Nehemiae librum cum Eſrae libro in vnum volumen compingunt. Quare & à noſtris *ſecundus Eſrae liber* appellari ſolet. Libri Eſrae pars Maſorethis.

CAP. XXXV.

DE

CHRONICORUM LIBRIS.

§. 171.

Duo *Chronicorum libri* [דברי הימים], quos non niſi pro vno Iudaei numerant, gentis Iſraëliticae *per 3468. annos res geſtas*, ab orbe condito ad primum vsque Cyri regis annum, complectuntur, & nonnulla in ceteris hiſtoricis libris praetermiſſa, pleniores maxime genealogias, ſupplent. *Prior* ad A. M. 2979, quo Dauid rex rebus humanis ereptus eſt, progreditur. Cetera *poſterior* habet. Argumentum.

§. 172.

[q] Tractat. Theolog. Polit. cap. 10. [r] Cap. I, 1.

Tempus ſcriptionis, & ſcritor.

§. 172. *Poſt* finitum demum *Babylonicum Exilium* hos libros ſcriptos eſſe, ex hiſtoria vltra eam calamitatem producta vero ſimile ſit, & locutionibus nonnullis aetati recentiori propriis. *Eſrae* ſcriptori vnanimiter Iudaei tribuunt; ita tamen, vt pauca per *Nehemiam* addita eſſe credant. [s] Quae communior quoque Chriſtianorum ſententia eſt. Nonnulli tamen auctorem definire non audent. *Spinoſa*, [t] pro more, *ad Maccabaeorum tempora* hos quoque libros reiicit.

Difficultates in genealog. & chronologia.

§. 173. In horum librorum *genealogiis & chronologia difficultates vix ſuperandas* ſe obiicere, communis & Iudaeorum & Chriſtianorum non male fundata querela eſt.

CAP.

[s] Babha bathra, fol. 15, 1. Vbi dicitur, Eſram genealogias conſcripſiſſe עד לו. Quod *Raſchi* explicat, eum *vsque ad ſuam ipſius perſonam* contexuiſſe genealogiam. Auctores autem *τῶν Toſephoth* putant, indigitari, quod libros Chronicorum usque ad 2. Chron. XXI, 2, qui verſus à ולו incipit, conſcripſerit; cetera per Nehemiam eſſe ſuppleta.

[t] Tract. Theolog. Polit. cap. 10.

CAP. XXXVI.

DE

MASORA.

§. 174.

Maſora (מסורה vel מסרת) vi vocis quamlibet ſignificat *traditionem*; ſiue viua voce, ſiue per ſcripta ſit propagata. Quare non raro pro omni *doctrina* accipitur; in ſpecie tamen ea, quae viua voce eſt tradita [u]. *Maſar* (מסר) enim, id eſt, *tradere*, idem ſignificat, quod *docere* (w). Hoc loco autem vocabulum id ſtrictius accipitur; & obſervationes quasdam circa ſacrum codicem factas denotat. Maſorae vocabuli homonymia.

§. 175. Nimirum eſt *Maſora* ſignificatu hoc ſtrictiori accepta *doctrina* Judaeorum *critica*, quae *circa codicem ſacrum* ea ratione eoque fine verſatur, vt genuina eius lectio conſeruetur, & ille ab omni corruptione praemuniatur; & vt illius interpretationi ſuppetiae ferantur. *Critici* hi *ſacri*, qui criſin illam adornarunt, *litteratores* (סופרים) vel *Maſorethae* (בעלי המסורה) ſalutantur. Definitio.

§. 176. *Septem* potiſſimum *momentis* critica Obiectum.

[u] Huc pertinet illud, Pirke Abhoth, cap. 3. fol. 29, 3: מסורת סייג לתורה *Traditio ore propagata ſepes eſt legis ſcriptae.*

[w] E. g. Ktubhoth, fol. 103, 2. lin. 44. Chagigah, fol. 13, 1. lin. 27. ſeqq. fol. 14, 1. lin. 37.

tica haec ſacra abſoluitur. Quae ſunt (1) *Diuiſio* ſacri codicis *generalior*, (2) *Verſus*, (3) *Voces*, (4) *Litterae*, [5] *Lectiones diuerſae & dubiae*, [6] *Vocales*, [7] *Accentus*. De quibus ſingulis ordine nobis erit dicendum. Quia denique nulla de re magis, quam de hac eruditionis Iudaicae parte, in partes abierunt eruditi; [8] breuem *Maſorae hiſtoriam* ſubiungemus.

I. DE DIVISIONE S. S. GENERALIORI.

Diuiſio ſacri codicis generalior.

§. 177. Primo criticis ſacris tribuitur, quod ſacrum codicem *in claſſes diuiſerint*; has in *libros*; hos in *ſectiones*. Qua de re cum ſupra ſatis iam ſit dictum, ſilentio hic praeteriri poterat; niſi in factarum harum diſtinctionum tempus paucis eſſet inquirendum.

Huius apud veteres veſtigia.

§. 178. *Ioſephus* illius mentionem iam fecit. [§. 7.] Nec ignorarunt *Talmudici*. Vix enim vlla eſt, de qua hi non loquantur. Habent diuiſionem in *Pentateuchum*, *Prophetas & Hagiographa* [x] Habent ſingulorum *librorum* nomina & ordinem. [y] Praecipiunt, vt domi quilibet per hebdomadem *ſectiones ſabbathicas* (פרשיות) legat, quae

[x] E. g. Megillah, fol. 24, 1. 27, 1.

[y] Babha bathra, fol. 14, 2. 15, 1.

quae toti coetui publice praelegantur. [z] Prohibent, ne quis *factas per Moſen ſectiones* [פרשה] negligere audeat. [a] *Sectionem minorem.* Num. X, 35. 36. ſuo loco poſitam eſſe negant; eaque de cauſa hanc ſolam *parentheſeos* ſigno eſſe notatam. (b) Quaerenti, cur verba, *placeant tibi verba oris mei &c.* (יהיו לרצון אמרי פי וגו') (c) poſt 18. precatiunculas demum recitentur, ante quas recitanda videantur, reſpondetur, id fieri, quod Dauid quoque poſt 18. pſalmos (פרשיות), in decimi noni fine, ea poſuerit. Eaque occaſione dicitur, *Pſalmos primum & ſecundum* aliquando non niſi pro vno *fuiſſe habitos.* [d] Eiusmodi multo plura *inueniet*, qui inueſtigauerit.

§. 179. Intelligitur ex his, [1] *diſtinctiones* haſce *Talmude* eſſe *antiquiores.* (2) Quod tamen non niſi de ipſis diſtinctionibus accipi velim, *minime* vero de illarum, quae hodie habemus, *ſignis.* Horum enim vti vix vlla in Talmude mentio occurrit; ita in rotatilibus quoque Iudaeorum pentateuchi voluminibus deſiderantur. Ibi autem quae non comparent, ſuſpecta nobis eſſe debent. Sane parentheſin, cuius mentionem Gemara facit, pingunt. [3] Aetas.

Num

[z] Brachoth, fol. 8, 1. 2.
(a) Brachoth, cap. 1. fol. 12, 2.
(b) Schabbath, fol. 115, 2.
(c) Pſ. XIX. 19.
(d) Brachoth, fol. 9, 2. 10, 1.

Num rationes ſat praegnantes in promptu ſint, ob quas ipſarum diſtinctionum nonnullas ipſi Moſi cum Talmudicis, ceteras Eſrae virisque ſynagogae magnae tribuamus; an ad Miſchnicos potius doctores ſint referendae: ea de re penes ipſum lectorem eſto iudicium. Nobis antiquitatis veſtigia, quae inuenimus, dediſſe ſufficiat. (4) Idem denique, quem nunc habemus, pſalmorum tum fuit numerus & ordo. (5) Num vero eaedem ſemper manſerint omnes diſtinctiones idemque ordo; de eo dubitari quidem poſſit, dubitandi rationem ipſo Ioſepho ſuppeditante; certi tamen nihil definiri. De diuerſo totorum voluminum ordine ſupra §. 9.] diximus.

II. DE VERSIBVS.

Verſuum diſtinctio & numerus.

§. 180. *Verſuum finem* duobus punctis, quae *Soph paſuk* [סוף פסוק] Iudaeis ſalutantur, *notarunt* Maſorethae. Verſuum per totum codicem, & ſingulos illius libros, in pentateucho praeterea per ſingulas ſectiones maiores, *numerum inierunt*. Et quis *medius* vniuscuiusque *libri verſus* ſit annotarunt.

Affectiones.

§. 181. Variae quoque *verſuum affectiones* illis curae cordique fuerunt. Nimirum obſeruarunt e. g. [1] Verſum Ier. XXI, 7. quadraginta duabus vocibus & 160. litteris conſtare. (2) In octo verſibus nomen

men השאה cum verbo עשה conſtrui [e] [3] Quatuordecim verſus non niſi tribus vocibus conſtare. [f] [4] Viginti ſex verſus eſſe, in quibus ſingulis omnes alphabethi litterae compareant. [g] Huiusque farinae infinita. Quo id quoque referendum eſt, [5] quod quatuor librorum יח"קק, id eſt, *Eſaiae* [ישעיה], *Malachiae* [תרי עשר], *Threnorum* (קינות), *Eccleſiaſtae* [קהלת], penultimos verſus poſt vltimos, boni ominis cauſa, legendo repeti debere praeceperunt.

§. 182. *Verſuum* (פסוקים) in *Miſchna* mentio iam eſt facta. [h] *Gemara* non ſolum *quaerit, num* ante finitum publica pentateuchi praelectione verſum ſynagoga egredi fas ſit: (i) ſed *Eſrae* tempore pentateuchum ita iam praelectum fuiſſe, vt legendo diſtinctionis in verſus haberetur ratio, contendit. (k) Quin *prophetas* praecepiſſe narrat, quot verſus hebdomadis die ſecundo & quinto publice ſint praelegendi. (l) Denique in legendo pentateucho à diſtinctione verſuum per *Moſen* tradita recedere

Verſuum mentio in Talmude facta.

(e) E. g. Ezech. XVIII, 21.

(f) E. g. Exod. XXVIII, 13.

(g) E. g. Ezech. XXVIII, 13 Et quinque finales quoque Zeph. III. 8.

(h) Megillah, fol. 23, 2. 24, 1.

(i) Brachoth, fol. 8, 1.

(k) Megillah, fol. 3, 1. Nedarim, fol. 37, 2.

(l) Babha Kama, fol. 82, 1.

cedere vetat. (m) Pentateuchum versibus 5888. constare dicit; Octo pluribus Psalmos; Libros autem Chronicorum octo versuum numero per Pentateuchum vinci. Vbi *medius* qnoque horum voluminum *versus* datur. (n) Octo postremos pentateuchi versus per Iosuam scriptos esse tradit. (§. 16.) Versum Exod. XlX, 9. in Palaestina in tres versus diuidi; qui Babyloniis non nisi vnus sit. (o) *Signi* autem, quo versus distinguantur, *nusquam* vel minimam iniiciunt *mentionem*.

Nostrum de versibus iudicium.

§. 182. Discimns ex his, [1] *doctoribus* Talmudicis, cum *Mischnicis* tum *Gemaricis, versus* (פסוקים) *incognitos non fuisse.* (2) *Pronunciationem secundum versus* eos *à Mose* repetere. (3) A numero versuum pentateuchi, quem hodie habemus, (§. 44.) illorum calculum parum discrepare; ceteris autem in libris permultum. Non quoque medios librorum versus Talmudicos dare eosdem, quos Masorethas. (p) (4) Quin ipsos Talmudicos doctores de versuum quantitate & numero inter se iam dissensisse. [5] *Signum versuum distinctionis Talmudicorum doctorum tempore non* magis *fuisse*, quam hodie in rotatilibus Iudaeorum

(m) Megillah, fol. 22, 1.
(n) Kidduschin, fol. 30, 1.
(o) Nedarim fol. 38, 1.
(p) Nam Kidduschin, fol. 30, 1. Gemaricis Lev. XIII, 23. medius pentateuchi versus est. Masorethis autem Lev. VIII, 8, medius est.

rum voluminibus comparet, vero ſimile ſit: Quia alias nulla probabilis diuerſitatis calculi & mediorum verſuum ratio dari poſſet. (6) Ipſam *Maſoretharum* in verſus *diſtinctionem*, quam hodie habemus, *Talmude* eſſe *recentiorem.* (7) Auctoritate non deſtitui *illos*, qui *verſus breuiores habuiſſe veteres* contendunt. (§. 12.)

§. 184. At ſi ita ſe res habeat, victas illis dare manus cogemur, qui Maſorethas verſibus ſuis ſacrum codicem miſerandum in modum dilaceraſſe contendunt. (q) Fieri id ſane potuiſſe largiri cogimur. Factum autem eſſe, ex *iſtis praemiſſis* euinci nequit. Quodſi tamen *alicubi diuerſa* diſtinctio ſenſum det manifeſte meliorem; *nobis* quidem ſuſpecta, propter Maſoretharum auctoritatem, minime erit. Monitum tamen vnumquemque eſſe volumus, vt caute hac in re agat & circumſpecte, probe memor, diſtinctionem in verſus factam eſſe per viros in hoc ſtudiorum genere ſe multo peritiores. Num verſus negligere liceat.

III. DE VOCIBVS.

§. 185. Ad voces accedimus; Circa quas multiplex Maſoretharum ſtudium fuit. Et primo quidem totius codicis ſacri ſingu- Voces numeratae.

(q) Contra quos diſputat *Buxtorfius*, Tiberiadis Part. I. cap. 11. pag. 27.

ſingulorumque illius librorum *numerarunt voces*; &, quae cuiusque libri *media* eſſet, annotarunt. Neque minus calculum inierunt, *quoties ſingulae voces* in eodem volumine comparerent.

Voces plene & defectiue ſcriptae.

§. 186. *Vox*, in qua ſpiritus אהיו, in ſpecie ו & י, nunc ſcribi nunc omitti ſolent; ſi ſcribantur, *plena* [מלאה vel יתרה] audit; ſin omittantur, *defectiua* [חסרה]. Ad has voces ſumma cum ſollicitudine, vbi plene & defectiue ſcriptae ſint, attenderunt: [r] Quoniam magna diſputationis & exegeſeos ſacri codicis Talmudicae pars ab his pendet. Pertinet huc famoſa illa hermeneutica doctorum Talmudicorum regula: יש אם למקרא ויש אם למסרת, *Eſt ſua lectioni ſecundum vocales, eſt vero etiam lectionis ſecundum nudas conſonas expreſſas virtus.* (s)

Obſeruationes circa voces innumerae.

§. 187. Annotarunt infinita alia; quorum non niſi praecipua hic attingemus. [1] *Vocum ſignificatum*, [t] vbi ambiguitas id requirere viſa fuit. [2] Voces *diuerſas vocales* [u] & *accentus* [w] admittentes. [3] Vo-

(r) E g. Gen I, 14. ſcribitur *defectiue* מאורת; non *plene* מאורות. Et per totum pentateuchum נער pro נערה loco vnico excepto.

(s) Vid Sanhedrin, fol. 3, 2. 4, 1. 2.

(t) E g Quoties עלה *folium*, & quoties, *aſcende*, ſignificet.

(u) E. g. ויושן *bis* cum *Camez* legi, & *ſemel* cum *patach*.

(w) E. g. Vocem לך accen-

Vocum in verſu *ſitum.* (x) (4) Quam *formam* vel per ſe vel aliunde, vt per accentus, (y) habeant. (5) Quibus cum vocibus *conſtruantur*; (z) & quibus legibus *litteras ſeruiles* admittant. (a) Et haec non ſolum ad vnum alterumue locum obſeruarunt; ſed *loca* ſingula & numerarunt & nominarunt. (6) Quae vero praecipua eorum circa voces opera fuit, vt *genuinam* & *diuerſam ſcriptionem* & lectionem inueſtigarent; de eo paulo inferius ex profeſſo nobis erit dicendum.

§. 188. *Quindecim* ſunt *voces* in ſacro codice, quarum vel vna vel plures litterae *punctis* ſuperne ſunt *notatae.* (b) Ex his ingenioſa exegeſi (דרשה) myſteria Iudaei eliciunt. Et ita quidem praecipiunt: (c) Si cuius

Voces ſuperne punctatae.

accentu *Sakeph Katon* notatam in pentateucho decies & quater *Icha*, pro *Iach*, legi.

(x) E g. והארץ octies in verſus initio comparere.

(y) E. g. ויאכל & ſimilia, accentibus *Atnach* & *Silluk* notata, ſemper ſcribi per *patach*.

(z) E. g. אמר conſtrui cum אל. Item שמע cum אל; ſed duodecies cum על.

(a) E g. Quando praefixa כל"ב nude, & quando cum vocalibus, praefigantur.

(b) De quibus vid. *Maſſecheth Sophrim*, cap. 6. fol. 11, 1. Item *Buxtorf.* Tiber. Part. I. cap. 17. pag. 41. 42.

(c) Toſephoth, ad Babha mezia, fol 87, 1. ex Breſchith rabba.

cuius vocis litterarum potior pars punctis notata sit, ex his mysterium esse eruendum; sin pauciores puncta adscripta habeant, ex non punctatis.

Vestigia in Talmude.

§. 189. Huius critices sacrae partis frequentissima in Talmude vestigia deprehenduntur. Quod critici (סופרים) *voces numerauerint* & litteras, & quae *vox* & littera libri *media* sit annotarint, diserte dicitur. (d) Media quoque Pentateuchi & Psalmorum vox datur. (e) Doctorum *Mischnicorum* tempore obseruatum iam fuit, vocabulum מלאכה tricies & nouies in pentateucho legi. (f) Docetur, praefixum ו decies & ter legi in historia Noachi inebriati. (g) Vocabulum כהנים decies in sectione de aestimandis deo consecratis occurrere. (h) Cur in Psalmorum volumine quinquies ברכי נפשי dicatur, inquiritur. (i) Monetur, nomen dei in Ps. XXIX. decies & octies legi; (k) Vocem קול septies. In Cantico Channae (l) diuinum nomen nouies. In 1. Reg. VIII. occurrere vicies & quater vocabula, quae preces significent,

[d] Kidduschin, fol. 30, 1.
[e] Ibidem. Mediae pentateuchi voces sunt דרש דרש, Lev. X, 16. De quibus Masorethae consentiunt.
[f] Schabbath, fol. 49, 2.
[g] Gen. IX, 20 - 24. Vid. Sanhedr. fol. 70, 1.
[h] Lev. XXVII. Vid. Megillah, fol. 23, 2. & *Raschi* ad h. l. Sanhedrin, fol. 15, 1.
[i] Brachoth, fol. 10, 1.
[k] Brachoth, fol. 28, 2.
[l] 1. Sam. II.

cent. (m) Obſeruatur, quibus in legibus exitus ex Aegypto mentio fiat. [n] Ter repeti legem, quod fermentatum in paſchatis feſto non ſit comedendum. [o] Et in *Miſchna*, hoedum in matris lacte coquere ter *prohiberi*. [p] Et eiusmodi ſunt millena. De *plene* [יתרות] & *defectiue* [חסרות] ſcriptis plenum Talmud eſt. [q] Neque minus *vocabulorum punctis* ſuperne *notatorum* in Talmude paſſim mentio fit. Vocis וביניך Gen. XVI, 5. [r] Vocis אליו Gen. XVIII, 9. [s] Vocis רחוקה Num. IX, 10. [t] Vocis לולא Pſ. XXVII, 13. [u] In vtramque *partem* diſputatur, vtrum מרחב יה & וידיד יה & כם יה & הללו יה, pro vno an binis vocabulis ſint *habenda*. (w] Addi poſſent multo plura. Haec autem ſufficere exiſtimamus.

§. 190. Quis enim ex iſtis non videat, hanc *critices* ſacrae partem *circa voces* doctoribus *Miſchnicis* & *Gemaricis* originem iam

Antiquitas criſeos circa voces.

[m] Brachoth, fol. 29, 1. Similia vid. Roſch haſchanah, fol. 32, 1.
[n] Babha mezia, fol. 61, 2.
[o] Pſachim, fol. 28, 2.
[p] Chulin, fol. 13, 1.
[q] Vid. loc. cit. §. 186. lit. f.
[r] Siphri, citante Ialkut Schimoni ad Sect. בהעלותך fol. 217. 2.
[s] Babha mezia, fol. 87, 1.
(t) Miſchna Pſachim, cap. 9. fol. 93, 2.
(u) Brachoth, cap. 1. fol. 4. 1.
(w) Pſachin, fol. 117, 1.

iam debere? Altius enim qui adſcendere velit, quod probare nequeat, aſſeret. *Elias Leuita* ſane, qui in aliis Maſorae antiquitatem oppugnat, haec *Viris ſynagogae magnae* tribuit. Nos autem, vbi probatio deſideretur, nullam in partem illius mouet auctoritas. Addita eſſe à recentioribus, quae intacta reliquerint Talmudici, non eſt cur dubitemus.

IV. DE LITTERIS

Litterae numeratae

§. 191. *Litteras* non minus quam voces ſacri codicis librorum *numerarunt* critici ſacri; & quae vniuscuiusque libri *media* ſit, annotarunt. Secundum Gemaram [x] & Maſorethas, ו maiusculum vocis גחון Lev. XI, 42. media totius Pentateuchi littera eſt: Et ע ſuſpenſum vocis מיער Pſ. LXXX, 14. media Pſalmorum voluminis. Huius vero criticae ſacrae partis non niſi veſtigia quaedam & imperfectae ad nos peruenerunt laciniae. (y)

Inſolitae litterarum figurae.

§. 192. Sunt praeterea nonnullarum litterarum *inſolitae figurae ſitusque inſolitus.* Sunt nonnullae ceteris maiores, quas *maiusculas* (רבתי) appellamus; (z) Aliae ceteris minores, quas *minusculas* (זעירא); (a) Aliae

(x) Kidduſchin, fol. 30, 1.
(y) Vid. hac de re *Buxtorf.* Tiber. Part. I. cap. 18 pag 42-45.
(z) Vid. de illis *Buxtorf.* Tiber. Part. I. cap. 14 pag. 34-37.
[a] Ibid. cap. 15. pag. 37. 38.

Aliae ſupra lineam elatae, quas *ſuſpenſas* [תלויות]; Aliae *inuerſae* [הפוכות]. [b] Quibus *Mem clauſum* [מ סתומה] in media voce (למרבה) Eſ. IX, 6. & *Mem medianum* (מ פתוחה) vocis המ Neh. II, 13. iungimus.

§. 193. Quaerunt in his *myſteria* Iudaei, & cum illis Chriſtianorum non pauci; vt in inſolitis fieri cum admiratione ſolet. Nos *rationes ignorare*, confiteamur oportet. De nonnullis tamen coniecturas exponere liceat. Lev. XI, 42. in voce גחון maiusculum ג indicare videatur, hanc *mediam*, quae ſecundum Maſorethas & Gemaram eſt, totius *pentateuchi litteram* eſſe. Lev. XIII, 30. in voce והתגלח maiusculum ג indicet, *ſecundum Germaram pentateuchi* hunc *medium* eſſe *verſum*. Pſ. LXXX, 14. in voce מיער ſuſpenſum y indicet, hanc *mediam*, quae ſecundum Talmudicos eſt, *pſalmorum* voluminis *litteram* eſſe. (c) Par ceterarum ratio eſſe videatur. Haec autem inueſtigare vix operae pretium eſt. Num in iis myſteria lateant.

§. 194. Talmudicos doctores docere, (d) quod *per criticos ſacros* [סופרים] ſacri codicis *litterarum initus calculus* ſit, aliquoties Veſtigia in Talmude.

(b) De נ inuerſo & litteris ſuſpenſis vid. *Buxtorf.* Tiber. Part. I. cap. 16. pag. 38-41.

(c) Vid. Kidduſchin, fol. 30, 1.

(d) Ibidem.

ties iam monuimus. Apud eosdem legitur, (e) sectionem Num. X, 35. 36. *litteris octoginta quinque* constare. De parenthesi, vel duobus *Nun* inuersis, quibus haec sectio includitur, supra (§. 178.) iam diximus. *Suspensi* y in voce רשעים, Iob. XXVIII, 15. rationem quoque exponunt Talmudici. [f] Plura huius farinae in *Megillath Sophrim*, quam in ipso Talmude, leguntur. E. g. *litteram* ל vocis וישליכם Deut. XXIX, 27. *maiusculam*; & litteram י vocis תשי Deut. XXXII, 18. *minusculam*, esse debere. (g) Et talia multa.

Antiquitas criseos circa litteras.

§. 195. De *criseos circa litteras antiquitate* haec abunde testantur; eam *non post Talmudicorum* doctorum *tempora* demum esse natam; sed hos circa illam occupatissimos iam fuisse. Quorum curis num posteriores recentiorum accesserint, definiri nequit. Ad viros autem synagogae manae qui eam retulerit; num vagae coniecturae criminis absolui possit, ipse viderit.

V. DE LECTIONIBVS DIVERSIS ET DVBIIS.

Diuersarum lectionum species.

§. 196. *Diuersarum* sacri codicis *lectionum* (מקרא סופרים) *plures* sunt *species*. Quarum praecipuae sunt: (1) *Karian vch-*

[e] Schabbath, fol. 115. 2. 116, 1.
[f] Sanhedrin, fol. 103, 2.
[g] Massechet Sophrim, cap. 9. fol. 11, 2.

uchthibhan (קריין וכתיבן), id eſt, *legenda & ſcripta.* (2) *Karian vlo chthibhan* (קריין ולא כתיבן), id eſt, *legenda ſed non ſcripta*: (3) *Khtibhan vlo karian* (כתיבן ולא קריין), id eſt, *ſcripta ſed non legenda.* (4) *Ittur haſſophrim* (עשור הסופרים), id eſt, *extruſio criticorum.* (5) *Tikkun haſſophrim* (תקון הסופרים), id eſt, *correctio criticorum.* (6) Quo *Piska* (פסקא), i. e. *Interſtitium*, quoque referri poſſit.

§. 197. *Kri uchthibh* (קרי וכתיב), id eſt *legendum & ſcriptum*, Iudaeis appellantur *diuerſae lectiones*, quarum *altera in textu* eſt *ſcripta* (כתיב), non legenda, *altera* ab ipſis *legitur*, (קרי). Quare in punctatis codicibus in textu ſcriptae ſigna vocalia ad eam non pertinentia, ſed illi, quae legi debet, accommodata, ſubiiciuntur. Kri uchthibh quid ſit.

§. 198. Praeceperunt autem maſorethae, aliter legendum eſſe textum, atque eſt ſcriptus, [1] vbi *littera deficere* [h], [2] *littera abundare* [i], [3] *litterarum vna pro* Species קרי וכתיב kri uchthibh.

[h] E. g. Deficere putarunt [1] א, Gen. XX, 6. Num. XI, 11. XV, 24. Deut XI, 12. XXVIII, 57. &c. [2] ה, Gen. XXIV, 14. 16. 28. 55. 57. &c. [3] ו, Gen. X, 19. XXVII, 29. Num. III, 51. &c. [4] י, Gen. XXXIII, 4. Exod. XVI, 13.

[i] E. g. Abundare putarunt ו, Exod. XXXVII. 8.

pro altera esse *scripta* (k), (4) *litterae* & *transpositae* esse & *corruptae* (l), (5) *vox vna in duas discerpenda* esse [m], (6) *voces binae in vnam compingendae* [n], illis visae fuerunt. (7) *Vocabulis obscoenis honestiora* substituerunt (o). Et si qua praeterea sint. Quo referri quoque possit [8], quod Iudaei, ex summa summi numinis reuerentia, nomen Dei *Iehouah* [יהוה], non, vt legi secundum consonas debebat, sed *adonai* vel *elohim*, legunt; horumque vocabulorum puncta vocalia illi subiiciunt.

לא pro לו scriptum.

§. 199. Prae ceteris notanda veniunt loca, in quibus לא pro לו scriptum esse contendunt. Quorum 15. masora numerat; [p] nonnulla his addi debere obseruarunt

[k] E. g. [1] ה pro א, Deut. III. 11. [2] ה pro ו, Gen. XLIX, 11. Ios. XVIII, 12. 14. 19. &c. [3] ו pro י, Gen. VIII, 17. XXXIX, 20. Exod. XIII, 11. &c. [4] י pro ו, Gen. XXIV, 33. XXV, 23. &c. [5] y pro א, Ezech. IX, 5. &c.

[l] E.g. Exod. XXXVII. 8. &c.

[m] E. g. Gen. XXX, 18. Exod. IV, 2. Deut. XXXII, 6. Ezech. VIII, 6.

(n) E. g. 1 Reg. XVIII. 5.

(o) E. g. Deut. XXVIII. 27. 30.

(p) Exod. XXI, 8. Lev. XI, 21. XXV, 30. 1 Sam. II, 3. 2 Sam. XVI, 18. 2 Reg. VIII, 10. Es. IX, 2. LXIII, 9. Ps. C, 3. CXXXIX, 16. Prov. XIX, 7. XXVI, 2. Iob. XIII, 15. XLI, 4. Esr. IV, 2.

runt recentiores (q). Quibus excutiendis magnum ſtudium *Campegius Vitringa* (r) impendit. Contra ea לו quoque pro לא ſcriptum eſſe [5] obſeruant. Denique, quoties לוא ſcriptum reperiatur, inueſtigant (t).

§. 200. Secunda diuerſarum lectionum ſpecies ſunt *legenda ſed non ſcripta* (קריין ולא כתיבן). Quippe vbi vox aliqua deſiderari in textu criticis his eſt viſa; [u] legere eam praeceperunt; non tamen textui inſerere ſunt auſi. In libris punctatis puncta vocalia ponuntur ſine conſonantibus. Legenda, ſed non ſcripta.

§. 201. Tertia ſpecies ſunt *ſcripta ſed non legenda* (כתיבן ולא קריין). Si quod abundare vocabulum crediderunt (w); ne legeretur, praeceperunt; minime tamen id ſibi ſumſerunt, vt delerent. In punctatis codicibus hae voces vocalium ſignis deſtituuntur. Scripta, ſed non legenda

§. 202. Quarta ſpecies *criticorum extruſio* (עטור הסופרים) eſt. Noli verborum ſono Extruſio criticorum.

(q) Eſ. XLIX, 15 Iob. VI, 21. 1 Chron. XI, 20.
(r) Obſeruat. ſacr. lib. III. cap. 14-19.
(s) 1 Sam. II, 16
(t) E. g. Gen. XXXI, 35. Lev. V, 1. 1 Sam. II, 24. XIX, 4. 2 Sam. XVI, 19. 1 Reg. XVIII, 5. Ier. XLVIII, 27. &c. Vid. Maſoram, ad Lev. V, 1.
(u) E. g. 2 Sam. VIII, 3. Ezech. IX, 11.
(w) E. g. 2 Reg. V, 18.

ſono ſeduci, vt caſtratum per eos textum eſſe ſuſpiceris. Nihil illi eſt demptum. Sed monuerunt tantummodo, *quinque in locis*, [x] vbi *praefixum* ו, licet in ſacro codice expreſſum non eſſet, vulgo tamen legeretur, id *legi non debere*. Ex vitioſa igitur lectione, non ex codice ſacro, criticorum aliquid abſtulit extruſio.

Correctio criticorum.

§. 203. Non magis in ſacrum codicem violentas manus ſic dicta *criticorum correctio* (תקון הסופרים) intulit. Sunt 18. loca, (y) ad quae annotarunt, *paulo aliter*, *atque ſcriptum ſit*, *ſcribi potuiſſe*; nifi ita ſcribendi, vt ſcriptum ſit, ſat praegnantes cauſas ſacri ſcriptores habuiſſent. E. g. Gen. XVIII, 22. ואברהם עודנו עמד לפני יהוה ſcriptum eſſe pro, ויהוה עודנו עמד לפני אברהם. Item, Num. XI, 15, pro ברעתי, ſcribendum videri, ברעתם. Et ſic in ceteris. Putat quidem *Buxtorfius*, (z) Iſaacidem (a) accuſare maſorethas, quod Malach. I, 13. pro אותו ſcripſerint אותי: ſed hoc ego non video. Iſaacidae verba non ſatis eſt aſſequutus. Superſedere hoc labore potuiſſe criticos

[x] Quae vid. in Maſora, ad Gen. XVIII, 5.

[y] Vid. Maſora, ad princip. libri Numerorum, & Pſ. CVI, 20.

(z) In Lex. Talmud. voce תקון, pag. 2631.

[a] Commentar. ad Malach. I, 13.

criticos ſacros, non praeter rem fortaſſe iudicat Aben Eſra. (b)

§. 204. *Interſtitium* vel *pars deciſa* (פסקא) dicitur *vacuum ſpatium in mediis 25. verſibus*, (c) quaſi lacuna ibi eſſet, relictum: Cui *in vulgaribus* libris circellus quoque *imprimi* ſolet. Non crediderim, ſuſpicatos eſſe criticos ſacros, textui ibi aliquid deeſſe; ſed indicare tantummodo voluiſſe, traditionem ore propagatam habere, quod ibi inſerat. Quales traditiones in Targumim & alibi leguntur. Spatium vacuum in medio verſu.

§. 205. *Nulla* fere *harum* ſpecierum eſt, cuius *in Talmude* non reperiantur *veſtigia*. De *legendis & ſcriptis* [קרי וכתיב] ſaepiſſime [d] In locis, vbi de ſcriptione לא & לו diſputatur, vtramque lectionem ſuum habere vſum exiſtimant. [e] In *Maſſechet ſophrim* Veſtigia in Talmude.

[b] Commentar. ad Num. XI, 15.

(c) E. g. Gen. IV, 8. XXXV, 22. Num. II, 8. XXVI, 19. Vid. Maſor. ad Geneſ. XXXV, 22.

(d) E. g. Sanhedrin, fol. 3, 2. 4, 1. Item Schabbath, fol. 58, 2. Conf. ad h. l. Raſchi & Toſephoth. Obſeruant auctores τῶν Toſephoth, Talmud ibi ab hodierna codicum lectione diſſentire. Item Pſachim, fol. 3, 2. &c. &c.

[e] E. g. Erachin, fol. 32, 1. Vbi commentatores diſſentiunt. Raſchi dicit ſcribi לוא. Toſephoth autem, ſcribi לו, & legendum eſſe לא.

phrim [f] haec in pentateucho obuia loca enumerantur. Denique *lectionem criticorum* (בקרא סופרים), *criticorum extruſionem* [עשור סופרים] *legenda ſed non ſcripta* (קריין ולא כתיבן), & *ſcripta ſed non legenda* (כתיבן ולא קריין) *ſtatutum Moſis ex Sinai monte* (הלכה למשה מסיני) eſſe, doctores Talmudici contendunt. (g) Quod ſi ita intellexerint, iniunctum per Moſen eſſe, vt tam caute, quam maſorethae fecerunt, circa criticam ſacram verſentur; quod contradicamus non habemus. Denique nomen dei tetragrammaton aliter, quam ſcribatur, pronunciare doctores Talmudici iubent. [h]

Antiquitas.

§. 206 Haec de huius criſeos antiquitate ſatis teſtantur. Et hanc *Elias Leuita* i) quoque agnoſcit; qui *diuerſas lectiones* non propter reperta in textu menda recentius annotatas eſſe, ſed *in pentateucho* ipſi *Moſi*, *in propheticis* autem *ſcriptis* & *hagiographis originem ipſis prophetis* iſtorumque ſeculorum *doctoribus, debere* contendit. Hoc vero nobis creditu tam difficile eſt quam quod difficillimum. Antiquitatem, quam fides

(f) Cap. VI. fol. 11, 1: שלשה לא כותבים ב"למד א"לף וקוראים בל"מד ו"יו. Nimirum Lev. V, 1. XI, 21. XXV, 30.

[g] Nedarim, fol. 37, 2.

[h] Pſachim, fol. 50, 1. Kidduſchin, fol. 71, 1.

[i] In libri Maſoreth hammaſoreth praefat. tertia.

fides hiſtorica dat, agnoſcimus: vlteriorem non fingimus. Eorum quoque, quorum nulla in Talmude mentio fit, per recentiores nonnulla ſucceſſiue addita eſſe, non valde repugnamus.

§. 207. Quid de *diuerſarum lectionum origine* Iudaei ſtatuant, *diuinam* eam eſſe perhibentes, modo vidimus. Quae ſententia licet ſatis ſit portentoſa; in Chriſtianis tamen quoque inuenit, quibus non diſpliceret. (k) Babylonico exilio durante *codices* paſſim *corruptos* eſſe, *per Eſram* & Viros ſynagogae magnae *integritati reſtituendos*, Iudaeorum nonnulli ſuſpicati ſunt. (l) Commiſſos alicubi *per ipſos ſcriptores ſacros errores* corrigendes duxiſſe Eſram, ſuſpicari non veritus fuit *Abarbanel.* (m) Veroſimilior eorum ſententia eſſe videtur, qui *ſcribarum oſcitantiam* accuſant, *diuerſas lectiones producentem*, per criticos ſollicite collectas. Cui nimiam Iudaeorum ſuperſtitio-

Diuerſarum lectionum fontes.

(k) In his eſt *Matthaeus Hillerus*, in libro de Arcano Kthibh & kri. Tubing. 1692. Conf. *Io Chriſtoph. Wolf.* Biblioth. Hebr. Part. II lib. 3. cap. 2. §. 32. p. 514-518.

(l) *David Kimchi*, in praefat. ad Prophetas priores. *Ephodeus*, Grammat. Hebr. cap. 7.

(m) Praefat. in Ieremiam.

ſtitionem nonnulli iungunt. [n] *Scribarum* ſane *incuriae* manifeſte tribuendus eſt is *codicum diſſenſus*, quo iu textu alicubi hi habent, quae illi in margine; & hi in margine, quae illi in textu. [o] Quin *a maſorethis nonnunquam Talmudici diſſident.* [p] Nec vllum eſt dubium, quin, quo plures deſcriberentur codices, eo plures quoque diuerſae lectiones exiſtere inceperint; per diligentes criticos annotandae. Vnde ſit, quod *diuerſarum lectionum non* omnes *eundem* dant *numerum. Vnde diuerſas lectiones petierint* maſorethae, diſputatur. *Ex melioribus codicibus* putant alii. *Ex* illorum *ingenio* deſumptos eſſe, alii contendunt. Minus fortaſſe errauerit, qui vtrumque fontem coniunxerit. De diuerſorum codicum collatione teſtatur hiſtoria trium diuerſae ſcriptionis codicum in templi atrio inuentorum. (q)

Quaenam diuerſarum lectionum ſint praeferendae.

§. 208. *Vtra praeferenda lectio* ſit, num illa quam textus habet, an illa quam criti-

ci

(n) *Campeg. Vitringa*, Obſeru. ſacr. lib. III. cap. 19. *Humfred Prideuux*, Connex Hiſt. V. & N. T. Tom. I. pag. 331 ed. ſec. in 8.

(o) Vid. *Dan. Erneſt. Iablonsky* praefat. ad Bibl. Hebr. Berolin §. 13.

(p) Vid. quae §. 205. lit. d. e. de diſſenſu Talmudis & commentatorum in illud diximus.

(q) Maſſecheth Sophrim, cap. 6 fol. 11, 1. Talm. Hieroſol. Taanith, cap. IV. fol. 68, 1.

ci ſubſtituerunt, diſputatur. *Quam textus habet*, eam ſolam rotatilia Iudaeorum pentateuchi volumina habent; in ſolenni autem praelectione eam, *quam critici ſubſtituerunt*, & ipſi ſemper ſubſtituunt. *Neutram negligendam* eſſe ſtatuunt Chriſtianorum alii [r] *maſoretharum lectioni* [קרי] alicubi plus tribuunt. Alii autem eam, *quae in textu comparet*, [כתיב] vbique praeferendam eſſe contendunt. Quod demonſtrandum *Io. Andr. Danzius* [s] ſuſcepit; non praeſtitit. Nos *quam contextui conuenientiorem* eſſe *lectionem* deprehendimus, eam *praeferimus*. Sunt enim *lectiones in textu* [כתיב], quae ſine controuerſia *in mendo* ſunt, per maſorethas bene emendatae. [t] Et fortaſſe nonnullae, quae eorum induſtriam effugerunt. Sunt vero etiam, *quae* eorum *criſi non indiguiſſe* videantur; (u) niſi ex probatae fidei codicibus *lectiones*

(r) E. g. *Campeg. Vitringa*, Obſeru ſacr. lib. III. cap. 14 19.

(s) Litterator. Hebr. pag. 67. ed 1696.

(t) E. g Exod XIII, 11. Ioſ. XVIII, 12. 14. 19. 2 Sam. XVI, 18. Pſ. CII, 24. & ſimil.

(u) E. g. נער pro נערה in pentateucho vicies & ſemel ſcriptum; vt Gen. XXIV, 14. Ex hac enim ſcriptione toties repetita veroſimile ſit, Moſis aetate vocabulum נער & *puerum* & *puellam* ſignificaſſe. Item, Gen. XXX, 11. 1 Sam. XXVI, 22. 2 Reg. VIII, 10.

nes per eos *subſtitutae* (כתיין) ſint deſumtae. In nonnullis *praepoſtera* quoque *& vitioſa emendatio* eſſe videatur: (w) Quam tamen non damnamus, ſi ex bonis codicibus appoſita ſit. Praeferamus autem ſuperſtitioſe lectionem alterutram. Quid vero tum fiet de iſtis locis, vbi in textu ea habent codices alii, quae in margine alii? Denique cur inter legendum, vocabulis obſcoenis honeſtiora ſubſtituendo, auribus tam caſtis quam laſciuis non parcatur, cum genuina lectio ſimul ſeruetur? Quam intactam relinquendi criticorum Iudaeorum inſtitutum laudibus ſatis extolli nequit.

VI. DE VOCALIBVS.

Vocales earumque ſigna.

§. 209. Venio nunc ad pomum illud eridos, *vocales* earumque *ſigna*. De quorum aetate, ſi qua de re alia, acerrime & inimico animo depugnarunt viri eruditi. Antequam belli huius litterarii ſpectatores fiamus, quibusnam in rebus circa vocales verſata maſoretharum induſtria ſit, quam fieri poterit breuiter exponemus.

Quibus vocalibus voces legendae.

§. 210. Quoniam *veteres codices vocalium ſignis* erant *deſtituti*; in locis, vbi lectione peccari poſſet, *annotarunt, quo vocalium ſono*

[w] E.g. Gen. VIII, 17. 1 Sam. XXV, 34.

ſono vocabula eſſent pronuncianda; (§. 187. num. 2.) num obſcuriori, an clariori & exiliori; grauiori, an tenuiori. Hoc proprie eſt, quod *lectionem criticorum* (מקרא סופרים) Talmudici appellarunt; quod e. g. docerent, quando ארץ, *erez* & quando *arez* ſit pronunciandum; שמים, non *ſchamim*, ſed *ſchamaim*, eſſe legendum; מצרים, non *mizrim*, ſed *mizraim*. Et hanc ſe à Moſe accepiſſe dicunt pronunciationem, perpetua viua traditione ad poſteros propagatam, (הלכה למשה מסיני), non per ſigna. (x) Id quod veriſſime dici, nos perſuaſiſſimum habemus.

§. 211. Cum ceteras gentes *vocales* non minus quam conſonas *ſcribere* viderent; & rudioribus non contemnendum ex eo facilioris doctrinae ſubſidium ſperari poſſe intelligerent, ſi *ſacra* quoque *ſcriptura vocalium ſignis inſtrueretur*: talia *ſigna excogitarunt*, & *vulgaribus* ſacri codicis *libris* ea *adiecerunt*. *Minime* tamen *rotatilibus* ſuis *voluminibus*, ex quibus ſolenniter in proſeuchis praelegunt, ea addere ſunt auſi: Quoniam in his nihil, quod remotam antiquitatem non ſapiat, conſpici debet; nec ſcripturae foecunditatem argumentorumque

Vocalium ſigna inuenta.

[x] Nedarim, fol. 37, 2.

que quorundam Talmudicorum vim per addita vocalium ſigna labefactare fas erat. Vt ne vero per vocales antiqua ſcriptio nimium alteraretur; non niſi per *puncta* (נקודות) & exiguas lineolas, quae conſonis, quales erant, relictis ſubſcriberentur & imponerentur, eas expreſſerunt. Vtque diſtingui poſſet, vbi grauius & vbi tenuius quaeuis vocalis efferenda eſſet; *bina* ſingularum *vocalium ſigna* dederunt. Quin ne vel *ronchus* ex antiqua pronunciatione periret; certa quoque diuerſorum *ronchorum* vel rapidiſſimi vocalium vix ac ne vix quidem audiendi ſoni *ſigna*, quae *chatephin* (חטפים) appellant, excogitarunt. Signa cetera huc pertinentia ſilentio praeterimus, Grammaticis nota. Et hoc *recentius inuentum* eſt. Licet enim ſine vocalibus antiqui non magis quam nos pronunciare vocabula potuerint; earum tamen adſcripta ſigna non habuerunt. Quoniam autem inde à Moſis temporibus pentateuchus ab Ebraeis ſemper lectus fuit; nullum eſt dubium, quin à nobis hodie recentiorum horum ſignorum beneficio eodem modo legatur, quo quondam ſine illis fuit lectus.

Veſtigia in Talmude.

§. 212. Vt fidem dictis faciamus; *loca*, quae *de vocalibus in Talmude* occurrunt, nonnulla excutiamus. Largiamur autem, huc

huc trahi non debere ea, vbi, de vocis vocalibus disputantes, Talmudici dicunt: אל תקרי כך אלא כך, *Ne istis, sed his, vocalibus istud vocabulum legito.* [y] In his enim doctores de vera lectione non dubitare, nec adeo serio disputare; sed elicere tantummodo voluisse *sensum allegoricum verbis illatum* [על דרך אסמכתא], quo *symbolum* darent, *quod rei* viua traditione cognitae, *memoriae* rectius *imprimendae inseruiret* [סימן שמיקל עליהם זכרם], certum est. Rectius ad id prouocatur: יש אם למקרא ויש אם למסורת, *Et lectioni per vocales & secundum nudas consonas antiquitus scriptas sua est auctoritas.* [z] Pertinet huc *historia de Ioabo praeceptori suo succensente*, quod se Deut. XXV, 19. SACHAR pro SECHER legere docuerit. [a] Serio disputant Gemarici, num Iob. XXIX, 35. vocabulum ינחם legendum sit forma Piel *inachem*; an forma Niphal, *iinnachem*. [b] Docent, Exod. XIII, 3. vocabulum יאכל, non forma Kal, *iochal*; sed forma Niphal, *ieachel*, legi debere. [c] Lev. XI, 38. vocabulum

[y] E.g. Schabbath, fol. 30, 2. Brachoth, fol. 15, 2. fol. 20, 1.

[z] E. g. Sanhedrin, fol. 4, 1. 2. Kidduschin, fol. 18, 2.

[a] Babha bathra, fol. 21, 1. 2.

[b] Moëd katan, fol. 28, 2. Kthubhoth, fol. 69, 2.

[c] Pschim, fol. 21, 2.

bulum יתן, non forma Kal, *iitten*, ſed forma Hophal, *iüttan*, legi debere. (d) Exod. XXIII, 17. ראה, non forma Kal, *iireh*, ſed forma Niphal, *ieraëh*; & v. 19. vocabulum חלב, non *chelebh*, ſed *chlebh*, legi debere. (e) Quod Cant. I, 2. vocabulum דודיך, non cum ſuffixo femineo, *dodaich*, ſed cum maſculino, *dodecha*, legi debeat, ex v. 3. ſequentis collatione in Miſchna probatur. (f) Quomodo vocabula, Ier. XXXII, 34. יקנו, & Deut. XXII, 13. יקח legi debeant, diſputant, & tandem *in dubio relinquunt*. (g) Plura ſedulus Talmudis lector inueniet. In omnibus autem hiſce de vocalibus diſputationibus *nullum vocalis nomen* occurrit; *multo minus ſignorum mentio* fit. Sed ſine hiſce artis terminis ita omnia ſunt diſputata, vt, ſi tecte, prout viua voce diſputata tum ſunt, legendo repetantur, diſputationis quidem ſenſus clarus ſit & perſpicuus; ſin vocabula, de quibus diſputatur, per diuerſas vocales, vt fieri debebat, efferre Talmudis lector neſciat, obſcuriſſimus & nullus. Quae cauſa ſit, cur à pauciori-bus haec intelligantur.

§. 213.

[d] Babha mezia, fol 22, 2. Conf. Miſchna Machſchirim, cap. 1. fol. 149, 2. ſeq.

[e] Sanhedrin, fol 4, 1. 2.

[f] Miſchnah, Abhodah ſarah, fol. 29, 2.

[g] Kidduſchin, fol. 9, 1.

§. 213. Quis ex his non videt, *à Moſe vocalium ſigna profecta non eſſe?* (1) Si enim Dauidis tempore fuiſſent, *Ioab & magiſter eius* SACHAR pro SECHER legere nequiuiſſent. At fabula haec eſt. At vero eſto fabula. *Id ſaltem* elucet, ſtatuiſſe Talmudicos, quod Dauidis aetate vocalium ſigna *nondum* fuerint; nedum Moſis temporibus. Cuius aſſerti veritas euincetur; ſi multis poſt Dauidem ſeculis ea nondum extitiſſe demonſtratum dederimus. (2) Satis probabile id vel ſola *chaldaica vocalium nomina* faciunt; quae non Moſaicam vel recentiorem etiam ante Babylonicum exilium aetatem, ſed *inuentionem* poſt hoc exilium, produnt. *Eſra* igitur *inuentor* eſto. Sed *non eſt.* Quia *ne quidem Talmudicorum doctorum tempore vocalium vel ſigna vel nomina fuerunt.* (3) Solum de iis *ſilentium Talmudicorum*, qui minoris momenti res, vt numeratas per criticos litteras, vt finales litterarum figuras, (h) & ſimilia, ſilentio non praeterierunt, non contemnendi teſtimonii inſtar ſit, eos *vocalium figuras & nomina ignoraſſe.* Sed à ſolo ſilentio non argumentabimur. Quid ex eorum de pronunciatione per vocales diſputationibus euinci queat, ordine ſuo luſtrabimus: Nimi-

Signorum vocalium recentior aetas.

[h] Megillah, fol. 2, 2. 3, 1.

Nimirum *puncta vocalia non fuisse Mosis aetate*; non, *ceterorum diuinorum scriptorum*; non, ipsorum *Talmudicorum* doctorum temporibus. (4) *De vocalibus* dubiae lectionis vocabulorum *disputare* quid opus fuisset, si illarum signa diuina auctoritate in codicibus expressa fuissent? De eo enim non disputant in locis supra [§. 212.] allatis, num in codice sacro genuina vocabulis istis adscripta vocalium signa sint, necne; sed, *quo vocalium sono pronunciari* debeant, simpliciter quaerunt. De scriptionis sinceritate non dubitant; sed in *genuinam lectionem, quam dubiam scriptio relinquat,* inquirunt. [5] Deque *genuina lectione* quid *per argumenta aliunde petita iudicium ferre* opus fuisset, si signa ante oculos habuissent? Non sane contra scriptam diuina manu litteram per argumenta disputant Iudaei. Cur denique, argumentis vel deficientibus vel sibi non satisfacientibus, *genuinam* certorum vocabulorum *lectionem in dubio reliquerunt?* [6] Imo quid argumentis ab his *Talmudicorum* disputationibus petitis opus est, cum *ingenua* eorum *confessione*, quod sacri codicis per vocales lectio non per signa sed viuam legentium traditionem ad se peruenerit, non destituamur? Quippe *lectionem* pentateuchi *per vocales* [מקרא] in *traditionibus Mosis ex Sinai* [הלכה למשה מסיני] numerant. [§. 210.] Hoc autem nomi-

nomine non niſi *viua voce à Moſe acceptae* & ad poſteros *propagatae res* inſigniuntur. Excipias, textum per nudas conſonas ſcriptum *maſoreth* (מסורת), id eſt, *traditionem*, quoque appellari. At vero diuerſa huius appellationis ratio eſt; quam ambiguo ſignificatu gaudere, vt nec ſcriptam excludat doctrinam, ſupra didicimus. Quare vocabulo *maſoreth* (מסורת) hoc ſenſu accepto *Kthibh* (כתיב), id eſt *ſcriptum*, non raro aequiualet. (i) (7) Axioma, *quod ſua lectioni & ſecundum vocales & ſecundum nudas ſcriptas litteras auctoritas ſit*, condi prorſus non potuiſſet, ſi per Moſen tam vocales quam conſonae ſignis expreſſae fuiſſent. Quod ne ex rotatilibus ſuis voluminibus exulet, ſine vocalibus ea ſcribi iubent. (8) Haec ipſa igitur *volumina*, qualis antiqua ſcriptio fuerit, in hodiernum diem teſtes ſunt. Eoque fide digniores ſunt teſtes, quo certius, ſi vocalium ſigna adiiciantur, ad ſolennem praelectionem inepta fiunt. At haec non niſi de pentateucho antiquis temporibus vocalium ſignis deſtituto teſtantur. De *ceteris ſacri codicis libris* vnde id probabitur? (9) At vero de lectione dubia vocabulorum in libris, qui in recentiſſimis ſacri codicis ſunt, obuiorum Talmudicos non minus conqueri, ſupra (§. 212.) vidi-

[i] E. g. Sanhedrin, fol. 4, 1.

vidimus. *Talmudicos punctorum vocalium antiquitatem non agnoscere*, demonstrauimus. (10) Quorum fidem corroborant loca, in quibus *Alexandrinus & paraphrastae Chaldaei à punctis* & hodierna lectione *abierunt*. Plus, quam debebant, aduersariis eorum antiquitatem propugnantibus dant, qui hos coeco impetu Rabbinorum figmenta sequutos esse dicunt. Non Iudaeorum, sed ipsorum horum virorum, figmenta accusare debebant. His igitur doctorum Talmudicorum auctoritatem nos opponimus. Non autem solam hanc. (11) Num enim ipse *Moses & ceteri viri diuini vocabulis in textu obuiis* (כתיב) *diuersarum lectionum* in nostrorum librorum margine hodie comparentium (קרי) *vocales subiecerunt*? Quid quaeso absurdius statui possit! (12) Num ipsis his diuinis viris *anomalas praefixorum ante nomen dei tetragrammaton vocales* tribuemus? His argumentis, coniecturam eorum, qui vocalium signa consonantibus coaeua esse fingunt, neque historica fide neque vlla probabilitate niti, demonstratum esse confidimus. Aliquam nostram *pro recentiori signorum vocalium aetate coniecturam* subiungere liceat. (13) *Ebraea lingua* omnium *simplicissima* est, & in plerisque ad grammaticam ceterarum linguarum perfectionem non pertingit. Id quod *pro illius antiquitate* pugnare nobis

bis quidem videtur. Sola *signorum vocalium multitudine & ingenioſiſſimo artificio* ceteras omnes longe poſt ſe relinquit. Cum igitur ſimplicitas in ceteris antiquitatem, annon *ſummum in vocalium ſignis artificium nouitatem arguat?* Supereſt, vt doceamus, *Talmudicorum doctorum aetate vocalium nomina & ſigna nondum fuiſſe.* (14) Quid quaeſo illos mouit, vt in ſuis de genuina per vocales lectione diſputationibus tam obſcure, vt vix intelligi poſſint, loqui mallent, quam *vel minimam vllius vocalium nominis facere mentionem*, ſi diuerſi vocalium ſoni ipſorum aetate certis nominibus iam ſunt gauiſi? *Terminorum artis defectus* illos vel inuitos *obſcuros eſſe coëgit. Signis* autem *nomina* non profecto recentiora ſint, ſi non *antiquiora.* Puncta igitur vocalia & eorum nomina poſt conſcriptum demum Talmud ſunt excogitata. Quod vero quam mature vel ſero ſit factum, definiri non poſſe credimus; niſi coniecturis locum relinquere velimus.

§. 214. *Argumenta ſecus ſentientium* (k) non recenſebimus. Quae euoluere cui volupe fuerit; is videbit, in illis ipſis eſſe, Reſponſiones ad diſſentientium argumenta.

[k] Quae vid. apud *Buxtorfios*, in Tiberiade, & Tract. de Punctorum vocalium & Accentuum Antiquitate &c.

esse, quae nos ictu, vt confidimus, certiori retorserimus. Ad cetera reponimus, [1] *Iudaeos* criticos & historicos *recentiores* hac in causa *non* magis *competentes* esse *iudices*, quam Christianos. (2) Si quibus in libris, qui Talmude recentiores non esse creduntur, *τῶν nekuddoth* (נקודות) mentio sit iniecta; signorum hoc ipso antiquitatem nondum esse demonstratam. *Nekudah* [נקודה] non *punctum* semper significat. *Ipsae vocales*, antequam vlla earum signa extarent, ita appellari potuerunt. Quod idem de *singulorum sonorum nominibus* dictum esse volumus. (3) Quod *lingua ebraea*, si pauciſſima loca excipias, *sine his punctis*, nisi nodum in scirpo quaerere velis, *cum certitudine legi possit*, norunt eius non imperiti; qui non solum codicem sacrum sine vocalium signis, verum etiam Talmud & tot Iudaeorum scripta, ceteris paribus, satis expedite legunt. Quidni igitur id potuerint Ebraei, cum lingua viua esset?

Bellum litterarium de punctis vocalibus.

§. 215. His ita expositis, *diuersas* variorum hac de re *sententias* paucis attingemus. Nulla sane res maiores vnquam inter eruditos turbas excitauit, quam diuersae *de punctorum vocalium origine & antiquitate* coniecturae. Non defuerunt, qui *Ada-*

mo

mo (l), qui Mosi (m), eorum inuentionem tribuerent. Plures ab *Esra* (n) & viris synagogae magnae ea repetunt. Recentiora qui faciunt, alii *paulo post Esrae tempora*; (o) alii ad *aetatem post deletum iam templum secundum*; (p) alii proxime *post conscriptum Talmud*; (q) alii per errorem ad *seculum* à Christo nato *vndecimum*, (r) eorum inuentionem reiiciunt. *Post absolutum* demum *Talmud* natales haec signa habuisse, ex Iudaeis *Elias Leuita* (s) docuit. Cuius vestigia legit in Christianis *Ludouicus Cappellus* (t). Eorum autem, qui *hanc sententiam impugnarunt*, ex Iudaeis *Ephodeus*, (u) & ex Christianis *Buxtorfii* (w) prae ceteris nominari merentur. Multos

[l] Vid. *R. Asarias*, in Meor Enaim, cap. 59.

[m] Vid. *Wolf.* Bibliothec. Hebr. Part. II. lib. 3. cap. 2. §. 5. pag. 477.

[n] *Ephodeus*, in opere suo Grammatico, cap. 5.

[o] *Humfredus Prideaux*, in Connection of the History of the Old and New Testament, Part I. p. 352.

(p) *Campegius Vitringa*, Observ. sacr. lib. I. Dist. III. cap. 2. §. 4. 5. 6. pag. 185. 188. ed. Ien. 1723.

(q) *Elias Leuita*, in libro Masoreth hammasoreth.

(r) *Gilb. Genebrardus*, Chronograph. p. 451.

(s) loc. cit. lit. q. praeced.

(t) Io. Arcan. punctat. revelat.

[u] loc. cit. lit. n. praeced.

(w) loc. cit. §. 214. lit. k.

tos vtraque ſententia aſſeclas habuit; qui ea, quae à ſectae ſuae anteſignanis acceperant, non bis ſed centies recoxerunt. Diu *ipſius ſacrae ſcripturae certitudinem impugnare* plerisque viſi ſunt, qui punctorum vocalium diuinam originem non agnoſcerent. Hodie tamen *cordationes*, quod antea ipſe *Lutherus* (x) iam fecerat, horum ſignorum *nouitatem propugnant*.

Matres lectionis.

§. 216. Eorum, quibus recentior ſignorum vocalium aetas placuit, non pauci (y) punctorum loco *matres lectionis* (אמות קריאה), quas vocant, id eſt, litteras א"ו vel אה"ויע *olim* adhibitas fuiſſe exiſtimant; quae, ſuccedentibus in ipſorum locum multo commodioribus punctorum ſignis, ex vocabulis *deinceps* paſſim *eiectae* ſint; in paucis locis per errorem relictae. Inueniuntur ſane hodienum *hae litterae* alicubi, vbi *vocalium vice functae* videantur. (z) Quod autem, poſt adſcita punctorum ſigna, eiusmodi matres lectionis per Iudaeos vllo ex loco *ablatae* ſint, *vero* mihi quidem *quam minime ſimile* videtur.

§. 217.

(x) Commentar. in Gen. XXXVI. fol. 540. b. Item, fol. 700. b. 701. a.

(y) E. g. *Campeg. Vitringa*, loc. cit. §. 215. lit. p.

(z) E. g. In voce וקאם Hoſ. X, 14. In voce וראמות Ezech. XXVII. 16. &c. In vocibus omnibus per ו & י plene ſcriptis.

§. 217. *Legendi* pronunciandique *olim* prorsus *diuersam* fuisse *rationem*, quae per subiecta vocalia signa alterationem non exiguam sit passa, imaginati sunt alii; & in his *Masclefius.* (a) Huius autem tam *vagae coniecturae* sunt, vt nullam omnino attentionem mereantur. Num per signa voc. diuersa lectio sit inuecta.

VII. DE ACCENTIBVS.

§. 218. Quod postremo loco spectandum nobis masoretharum industriae momentum venit, sunt *Accentus* [טעמים vel גינות]. Quorum diuersissimus rerum orientis *studiosis gustus* est, & quam maxima de eorum vsu contentio. Quae nobis se prae ceteris commendauit, sententia est, quod *Oratoriae modulationis* signa sint. Eorum autem artificium in hunc diem neminem Christianorum satis perspectum habere, non est cur dissimulemus. Accentus.

§. 219. Cum *Ebraeorum lingua*, propter conciſam dicendi & scribendi rationem, *accurata* prae ceteris *modulatione indigeat*; de *iusta* sacri codicis *modulatione* [פיסוק טעמים] non parum solliciti fuerunt critici sacri. Cuius industriae permulta & varia in masora vestigia reperiuntur. Modulationem oratoriam docuerunt masorethae.

§. 220.

[a] In Designatione nouae Grammaticae ad linguam Hebr. addiscendam.

Accentuum signa inuenerunt.

§. 220. Quoniam autem viua voce, sine vllis signorum pictorum adminiculis, hanc doctrinam propagare admodum difficile est; de *accentuum signis* quoque cogitarunt. De quorum antiquitate non minor fere, quam de signorum vocalium aetate, inter eruditos dissensus fuit; aliis *diuinam* illis *originem* tribuentibus; (b) aliis, *recentius inuentum* esse, contendentibus. In his *Elias Leuita* [c] horum signorum originem post conscriptum Talmud ponit. Quin illorum, qui pro signorum vocalium vltima antiquitate acerrime propugnant, nonnulli tamen recentiorem accentuum aetatem agnoscunt. [d] Cum ad Talmudis auctoritatem vtrique prouocent; huius extantiora de modulatione loca spectemus.

Vestigia in Talmude.

§. 221. Ita doctores Talmudici praecipiunt: *Quicunque legit sacram scripturam sine apta modulatione* [בלא נעימה], *& Mischnam sine cantu* [בלא זמרה]; *de eo scriptura dicit: Ecce! dedi iis statuta non bona.* [e] Esrae temporibus pentateuchum *secundum iustam accentuum modulationem* [פיסוק טעמים] praelectum fuisse, contendunt. [f] Disputatur,

[b] *Matthias Wasmuthus*, in vindiciis Part. II. *Abrah. Calouius*, in Critico sacro &c.

[c] In libro שוב טעם, praefat. & cap. 2.

[d] *Io. Andr. Dantzius*, in Litteratore Hebr. p. 38.

[e] Megillah, fol. 32, 1.

[f] Nedarim, fol. 37, 2. Megillah, fol. 3, 1.

tatur, vtrum Exod. XXIV, 5. vocabulum פרים ad vtrasque voces praecedentes עולות & שלמים, an ad solam vocem שלמים, sit referendum. Et interroganti, quid hoc scire interfit, Mar Sutra respondet, sciri debere *propter iustam modulationem* (לפיסוק שעמים). [g] Dixit Ise filius Iudae, quinque esse pentateuchi loca, quae qua modulatione legi debeant, ignoretur. [h] Plura Talmudis loca sunt, in quibus de genuina modulatione & distinctione disputatur. [i] Praeceptori, vt à discipulo *praemium modulationis* [שכר פיסוק שעמים], ad quam eum erudierit, sumat, permittunt. [k] Si quis aluum exonerauerit, dextra sordes abstergere vetant; quia illa *accentus legis* [שעמי תורה] ostendantur. [l]

§. 222. Apparet ex his, non male *Eliam Leuitam* inter *modulationem oratoriam* [פיסוק שעמים] & *accentuum signa* [שעמים] distinguere. De illa Talmudicos loqui, haec ignorare, contendit. [m] [1] De *modulatione* [פיסוק שעמים] enim, non *accentuum signis* (שעמים), in hisce locis sermonem

Iudicium nostrum de accentuum aetate.

[g] Chagigah, fol. 6, 2.
[h] Ioma, fol. 52, 1. 2.
[i] E.g. Babha mezia, fol. 61, 1. Pfachim, fol. 21. 2. Sbhachim, fol. 24, 1. 2.
[k] Nedarim, fol. 37, 1. 2.
[l] Brachoth, fol. 62, 1.
[m] Loc. cit. §. 220. lit. c.

nem esse, quilibet facile videt. (2) Equidem postremi loci verba, *Taame torah* [טעמי תורה], decipere te possint. At vero *Taamim* [טעמים] id est, *accentus*, tam modulationem significant, quam signa. Accedit, quod nemo somniare debeat, ibi praecipi de ostendendis in libro accentuum signis. Is enim si verborum sensus esse deberet; cur non potius diceretur, verba textus, quam accentus, dextra ostendi? Hoc sane sine illo fieri non posset. Nec accentuum profecto maior, quam ipsorum verborum, dignitas est. De ista igitur *dextrae agitatione* & gesticulatione, *qua musices director* cantantium *concentum moderatur*, haec sunt accipienda. (3) Disputationes de *dubia* nonnullorum locorum *modulatione* manifeste arguunt, *accentuum signa per Mosen* virosque diuinos *adscripta non fuisse*. [4] Et adiudicatum praeceptori *accentuationis praemium* testatur, quod manuductionem ad *iustam modulationem à legis doctrina distinxerint* [שזה אינו דאורייתא]. [5] Si *accentuum signa* doctorum *Talmudicorum tempore* iam fuissent; tam *altum* de iis apud illos non futurum esset *silentium*. [6] Sed fuerint sane. *Eadem* tamen eorum, quae nunc est, *consecutio*, in aliquibus saltem versibus, *esse nequiuit*. Hanc enim versuum mensurae respondere quis nescit? Versus autem minores habuisse Talmudicos,

supra

ſupra (§. 183.) docuimus. Ergo diuerſa quoque fuit accentuatio. Hanc autem, ſi ſigna adſcripta fuiſſent, nequaquam mutaturi fuiſſent recentiores. (7) Silentio denique praeterire non debemus, quod *in rotatilibus* Iudaeorum *pentateuchi voluminibus accentuum ſigna non tolerentur.*

VIII. DE MASORAE HISTORIA.

§. 223. Partes maſorae perluſtrauimus ſingulas. Nihil igitur reliquum eſt, niſi vt de *maſorae* in genere *origine*, *fatis*, *forma*, & *laudibus*, pauca adiiciamus. Maſorae hiſtoria.

§. 224. *Originem* maſorae tribuunt alii nimis antiquam; alii iuſto recentiorem. Priores à *Moſe* (n) & *Eſra* (o) eius initia repetunt. Poſteriores, *doctores Tiberienſes* de ea, *ſeculo* Chriſtiano *quinto & ſexto*, cogitare demum incepiſſe, contendunt. (p) Illi, quod probare nequeunt, aſſerunt. Hos hiſtoriae ex diſertis tam Miſchnae quam Gemarae teſtimoniis contradicere, ex ſupra dictis apparet. Demonſtratum enim dedimus, *nullam Maſorae partem* eſſe, quam Origo.

[n] *Rabbi Gedalia*, in Schalſcheleth hakkabalah, p. 22. Vid. & *Hotting*. Theſaur. Philolog. pag. 396.

[o] *Buxtorf.* in Tiberiade.

[p] *Ludou. Cappellus*, in Arcan. Punctat. reuel. &c.

quam prorſus *intactam doctores ante* conſcriptum *Talmud* reliquerint: Licet nonnulla momenta, vt *vocalium & accentuum ſigna, Talmude* ſint *recentiora.* Teſtimoniis fide dignis deſtituti, de Eſra & viris ſynagogae magnae nihil aſſerere audemus. *Doctores* autem *Miſchnici* quin antiquiſſimis temporibus, *iam ante Chriſtum natum*, in hoc ſtudio deſudarint, nulli dubitamus. Id enim horum virorum & ingenio & moribus erat conuenientiſſimum.

Fata. §. 225. *Non ſegniores* in pertexenda hac tela fuerunt *recentiores* Iudaei. (q) Id quod *variantes lectiones Ben Aſcher & Ben Naphtali* euincunt. Quin hunc in diem non deeſſe inter Iudaeos, qui hunc campum ampliare laborent, nec vnquam eos id facere deſituros, nobis eſt perſuaſiſſimum; ea tamen lege, vt ne mutent à proauis accepta, ſed noua illis ſuperaddant. *Ad Chriſtianos*, qualis in bibliis maioribus hodie comparet, *R. Iacobi Chaiim ſtudio*, qui Bombergio bibliorum editionem molienti pro mercede operam ſuam addixerat, *peruenit*, & per eundem emendata fuit. Ipſorum Chriſtianorum nemini tantum debemus, quantum *Io. Buxtorfio* patri; Qui in ſuis non ſolum multa bibliorum Venetorum

[q] Vid. *Elias Leuita*, Maſoreth hammaſoreth, praefat. tert.

tum errata emendauit; verum etiam Commentarium Maſorethicum, quem *Tiberiadem* inſcripſit, opus tanto viro digniſſimum, dedit. *Mancam* tamen & ſatis corruptam nos *accepimus Maſoram*. Quam ex ſchedis apud Iudaeos latentibus, dummodo protrahi in lucem poſſent, in permultis emendari poſſe crediderim. (r) Certum interim eſt, eum *maſoretharum* in nonnullis eſſe *diſſenſum*, vt omnimoda emendatio neque per Iudaeos ſperanda videatur. *Talmudicorum diſſenſus* ſpecimina ſupra (s) produximus. Qui ſuam in nonnullis incertitudinem, e. g. quod non ſatis cognitum habeant, quae voces plene & defectiue ſcribi debeant, ingenue confitentur. (t)

§. 226. *Apud Iudaeos* critica haec ſacra *in magnis operibus ſeparatim* quondam fuit conſcripta; quae *maſorae magnae* (מסורה גרולה) nomine venit. (u) Cuius ea, quae in noſtris hodie bibliis comparet, non niſi compendium eſt. Ex his, ad bibliorum marginem, per nudas litteras & decurtatas voces, *maſoram paruam* (מסורה קטנה) ador- Forma.

[r] Ibid.

[s] §. 182. 183. 205. lit. d. e.

[t] Kidduſchin, fol. 30, 1.

(u) *Elias Leuita*, Maſoreth hammaſoreth, praefat. tert.

adornarunt. (w) Verum etiam ex magnis iſtis operibus ad bibliorum marginem excerpentes, quod cuique viſum fuit, ſcribae, maſoram miſere lacerarunt. (x) Ad quorum imitationem, *triplici forma*, in noſtris hodie bibliis haec critica ſacra comparet. (1) Prima eſt *moſora parua interlinearis* (מסורה קשנה); à loco, quem in bibliis occupat, ſic cognominata. Haec ſignis & abbreuiaturis eſt conſcripta. (2) Secunda eſt *maſora magna textualis* (מסורה גדולה vel מסורה רבתא); Quae in eodem folio, in quo textus, ad quem pertinet, comparet. (3) Tertia denique eſt *maſora maxima finalis* (מסורה אחרית); alphabethico ordine in bibliorum maiorum calce adiecta.

Laudes. §. 227. Non defuerunt, qui inclementius & *abiecte de maſora ſentirent.* (y) Contra ea *quam maximis laudibus* hanc ſuam criſin *extollunt Iudaei* plerique; (z) & *Chri-*

(w) Ibid.
(x) Ibid. praefat. 2. & 3.
(y) *Rich. Simon*, in Hiſt. Crit. V. T. lib. I. c. 24. *Io. Morinus*, in Exercitat. Bibl. Exercit. 21. cap. 2. p. 557. 558. *Ludov. Cappellus*, in Arcan. Punct. reuel. lib. I. cap. 17. Critic. ſacr. lib. 3. cap. 15. & illius Defenſione. *Io. Clericus*, in Notis ad Dau. Clerici Quaeſt. ſacr. p. 140.

(z) Coſri, Orat. 3. ſect. 31. *Aben Eſra*, in princip. libri יסוד מורה. *Elias Leuita*, in Maſoreth hammaſoreth, Orat. 3. *R. Ioſeph Albo*, in libro Ikkarim, Orat. 3. cap. 22.

Christianorum non pauci. (a) Qui iniquiores in eam sunt, cogitare debebant, Iudaeos non in nostros, sed suos vsus, hanc crisin adornasse. Cuius nulla pars est, quae non ingentia istorum theologiae & doctrinae ferat subsidia. Quam si nos penitius inspicere cupiamus; carere hac crisi non magis poterimus. Verum etiam nostris rebus & exegetico studio eam non contemnendam afferre vtilitatem, intelligent illi, qui in hac arena sint exercitatiores. Illi sane debetur, quod sacrorum monumentorum codices non sunt corruptiores.

CAP. XXXVII.
DE
VERSIONIBVS.

§. 228.

Versiones, earumque virtutes.

Monumenta sacra ex Ebraeo *in innumera* propemodum *idiomata*, partim *à Iudaeis*, partim *à Christianis*, felicius ab aliis, infe-

[a] E. g. *Io. Reuchlinus*, in Speculo oculari. *Nicolaus Fullerus*, in Miscell. Theolog. lib. 3. cap. 13. *Matthaeus Beroaldus*, in Chronic. lib. 3. cap. 2. Vid. & *Hottingeri* Thesaur. Philolog. p. 138. *Pfeifferi* Critica sacr. p. 193.

infelicius ab aliis, ſunt *transfuſa.* Quarum *Verſionum nullam textui authentico aequiparandam*, nedum praeferendam eſſe, quilibet facile largietur, qui non ignoret, quam difficile propter multa ſit, vt interpres ſcriptoris mentem in omnibus aſſequatur. Fingamus autem, dari verſionem in qua ab authentico textu ne in minima quidem re recedatur: certus tamen de eo verſionis lector eſſe nequibit, niſi cum authentico textu eam conferre valeat. Quare *theologiae ſtudioſi nomen non meretur*, qui eos in ebraea lingua profectus non fecerit, vt *verſionum iudex eſſe* poſſit, non ſeruus. Contraria de *verſionum bonitate* iudicia feruntur; his verſiones *de verbo ad verbum*, illis *liberiores* illas, quae *paraphraſium* nomine venire conſueuerunt, praeferentibus. Nos quidem has longe praeſtantiores iudicamus, quae mentem potius quam verba ſcriptoris exprimant; quantum tamen per vtriusque linguae genium liceat, verba quoque. Habet autem lingua quaelibet aliquid ſibi ita proprium, vt, *ſi verbis nimium adhaerere velis*, vel *deſeras mentem*, vel ſaltem obſcuriſſime eam exprimas, neceſſe ſit.

Antiquiores Iudaeorum.

§. 229. *Verſiones antiquiores*, ab ipſis priſcis Iudaeis concinnatae, ſunt *Alexandrina graeca* & *paraphraſes Chaldaicae.* De quibus dein fuſius exponemus.

§. 230.

§. 230. *Graecae*, praeter (1) *Alexandrinum*, celebrantur, (2) *Aquilae Pontici* verſio. Qui ex gentili Chriſtianus, dein vero Iudaeus factus, eam circa A. C. 129. dedit. (b) (3) *Theodotionis Pontici*; Quae A. C. 180. innotuit. (c) (4) *Symmachi*; Qui à Samaritanis ad Chriſtianorum caſtra transiens, eam A. C. 200. edidit. (d) (5) *Quinta*, A. C. 219. *Hierichunte*, (e) & (6) *Sexta*, A. C. 230. *Nicopoli* eſt reperta. (f) Hae vero omnes perierunt. Graecae.

§. 231. *Origenes* verſiones graecas (1) Alexandrinam, (2) Aquilae, (3) Theodotionis, & (4) Symmachi, in quatuor columnas iuxta ponens, *Biblia tetrapla* concinnauit. Quibus cum textum Ebraeum (5) characteribus ebraeis, (6) eundemque graecis characteribus, dein praemiſiſſet; ex tetraplis *hexapla* fecit. His denique quinta & ſexta verſionibus, quas poſtremo loco inuentas diximus, iunctis, *biblia octopla* habuit. (g) Origenis Biblia Tetrapla, Hexapla, Octopla.

§. 232.

[b] Vid. *Hieron.* in Epiſt. ad Pammachium, & Comm. in Eſ. IV.

[c] Vid. *Epiphanius*, lib. de Menſuris & Ponder.

[d] Vid. *Hieron.* Comm. in Ier. XXXII.

[e] *Epiphanius*, loc. cit. litt. c.

[f] Ibid.

[g] Vid. *Epiphanius*; de Menſ. & Pond. cap. XIX.

Graeco-barbara.

§. 232. Graecis ſubiungimus *Graeco-barbaram pentateuchi*: recentiorem eam quidem. Quae characteribus ebraeis in Pentateucho polyglotto Conſtantinopolitano A. 307. A. C. 1547. excuſa eſt. *Graeco-barbara* quoque libri *Iobi* verſio extat. (*h*)

Pentateuchus Ebraeo-Samaritanus.

§. 233. In verſionibus numerari proprie non poteſt *Pentateuchus Ebraeo-Samaritanus*: Cum ſit ipſe textus ebraeus, Samaritanarum litterarum figuris transſcriptus. Huius mentionem veteres iam fecerunt. (i) Habent Samaritani Sichemitae Pentateuchi huius codicem, quem per *Abhiſchuam*, (k) Pinchaſi filium, anno 13. ab Iſraëlitarum in Palaeſtinam ſub Ioſua introitu ſcriptum eſſe fingunt. (l) Tam remotam autem codicis huius ſcriptionis antiquitatem figmentum eſſe, Rob. Huntingtonus, qui illum apud eos vidit, iudicat. (m) In Polyglottis Anglicanis hic pen-

[h] Vid. *Io. Chriſtoph. Wolf.* Bibliothec. Hebr. Part. II. pag. 355. 447. 448.

[i] *Cyrillus*, in Comm. ad Gen. IV, 8. *Hieronymus*, ad Exod. VIII, 21. Praefat. in lib. Reg. tom. IV. fol. 7.

[k] Eſr. VII, 5.

[l] Vid. Epiſtolas Samaritanorum ad Iobum Ludolfum, & ad Fratres ſuos in Anglia; ed. cura Chriſtoph. Cellar. Cizae, 1688.

[m] Vid. eius epiſt. ad Iobum Ludolfum, p. 49. 56. *Th. Smithus*, in Vita Huntingtoni, p. 14.

pentateuchus comparet. Nulla Samaritanorum Pentateuchus, non magis quam cetera eorum ſcripta, habet vocalium ſigna.

§. 234. *Non ſine erroribus*, neque fortaſſe etiam bona vbique fide, hic pentateuchus eſt transſcriptus. [1] *Omiſſa* ſunt quaedum nonnullis in locis. Vt Gen. XXVIII, 9. nomen ישמעאל deeſt. Exod. IX, 5. verba, וישם יהוה מועד לאמר, deſiderantur. [2] Contra ea alibi *adiecta* ſunt, in codice ebraeo non obuia. Vt Gen. IV, 8. verba, נלכה השדה, inſeruntur. [3] *Immutata* ſunt non pauca. E. g. Exod. X, 13. pro נהג, ſcripſerunt נחג. Num. XXX, 6. pro לא יקום, legitur לא יקומו. Deut. XXVII, 4. pro בהר עיבל, ſubſtituerunt בהר גריזים. Plura de falſa Samaritanorum ſcriptione vide apud Hottingerum. [n] Cuius errores.

§. 235. Diſputatum in vtramque partem fuit, num *Samaritanae litterarum figurae* eae ſint, quibus *Moſes &* ceteri ante Eſram *diuini ſcriptores* ſint *vſi*. Fuerunt iam *ex Miſchnicis doctoribus* R. Ioſe & *ex Gemaricis* nonnulli, qui pronunciarent: habuiſſe quondam Iſraëlitas *ebraeas litterarum figuras & linguam ebraeam* [כתב עברי ולשון הקדש]; adſciuiſſe Eſram *figuras Aſſyrias* Num ſit authenticus.

[n] In Exercit. contra Morinum.

syrias & linguam Aramaeam (כתב אשוריות ולשון ארמי); elegisse Iudaeos *figuras Assyrias & linguam ebraeam* [כתב אשוריות ולשון הקודש]; reliquisse Cuthaeis *figuras litterarum ebraeas & linguam Aramaeam* [כתב עבריות ולשון ארמית]. [o] Cui tamen sententiae ceteri, & in his *R. Iuda sanctus*, *contradixerunt.* Recoxerunt priorem sententiam *Io. Morinus*, [p] *Lud. Capellus*, [q] alii; eamque argumentis satis probabilibus ornarunt; quin ea de causa *Samaritanum ebraeo pentateucho praetulerunt. Controuersiam de mutatis* per Iudaeos in Babylonico exilio *litterarum figuris* eius naturae esse existimamus, vt *neque ad affirmatiuam neque ad negatiuam satis tuto accedi* queat. Quod vero *Samaritanus*, qui nunc est, *pentateuchus ab ebraeo* sit *descriptus*, vel soli illi errores, vbi in cognatae figurae litteris ebraeis lapsi sunt, nos dubitare non sinunt.

Versio Samaritana.

§. 236. Habent quoque *Samaritani pentateuchi versionem* in dialectum sibi familiarem. Quae longius ab ebraeo textu recedit. Et hanc Polyglotta Londinensia exhibent.

§. 237.

[o] Sanhedrin, fol. 21, 2. 22, 1.

[p] In Praefat. Bibliis Paris. praemissa, sect. 6.

[q] In Arcano Punctat. reuel.

§. 237. Saecrorum V. T. monumentorum *duplex Syriaca verſio* concinnata fuit; Quarum autem & auctores & aetas ignorantur. Altera verſionis graecae Alexandrinae verſio eſt. Alterius auctor textum authenticum ebraeum non infeliciter eſt ſequutus. Hanc occidenti *Iac. Vſſerii* liberalitas procurauit. [r] In Polyglottis Pariſinis & Londinenſibus cum latina verſione legitur. Syriaca Verſio.

§. 238. *Arabica* totius ſacri codicis verſio, quae vero non vnius auctoris eſt, in Polyglottis Pariſienſibus & Londinenſibus extat. Arabica.

§. 239. *Perſica pentateuchi* verſio, Ioſephi Tauaſii Iudaei, cum interpretatione latina, in Anglicanis Polyglottis quoque exhibetur. Perſica.

§. 240. Denique *Aethiopica Pſalmorum & Cantici canticorum* verſio, cum latina interpretatione, in Polyglottis Anglicanis habetur. Aethiopica.

§. 241. In *Latinam* linguam primus ſacrum eodicem, circa A. C. 400, transtulit *Hieronymus Stridonenſis.* Niſi hac Hieronymi prior fuerit antiqua quaedam verſio *Itala* vel *Vulgata* cognominata. Ex qua Latinae.

&

[r] Vid. *Ioh. Leusden.* Philolog. Hebraeo-Mixtus, Diſſert. IX.

& Hieronymi verſione in vnam conflatis illa, quae hodie *Communis* vel *Vulgatae* nomine venit, facta creditur. Haec per *Tridentinum concilium authentica* eſt declarata. (s) Rectius ebraeum textum expreſſit *Santes Pagninus* Lucenſis. Cuius verſionem *Arias Montanus* interpolauit. (t) Nouam porro verſionem dedit *Sebaſtianus Munſterus*. Quam paulo poſt ſequuta eſt elegantiſſima illa *Sebaſtiani Caſtalionis* interpretatio. Circa eadem fere tempora *Leonis Iudae* latina verſio prodiit. Laude ſua priuanda non eſt *Immanuelis Tremellii* & *Franciſci Iunii* latina verſio. Contra ea exigui vſus eſt illa, quam *Sebaſtianus Schmidius* dedit: quia *nimis ſuperſtitioſe* ſingulorum ebraei textus *verborum veſtigia premit*.

Germanicae. §. 242. Ad *Germanicae Lutheri* verſionis, miſſas enim facimus ceteras, accedimus laudes. Humani quid, pro ſuorum maxime temporum iniuriis, non potuit non pati nonnunquam vir bonus. Hoc tamen non obſtante, tanta dexteritate haec adornata verſio eſt, vt de auctoris, qua polluerit, vtriusque linguae, ſtudii theologici, in primisque exegetici, peritia abunde teſtetur;

[s] Vid. de ea *Ioh. Leusden.* Philolog. Hebraeo-mixt. Diſſert. I. p. 1-10.

[t] De hac verſione vid. *Ioh. Leusden.* Philolog. Hebr. Diſſert. 35. 36. 37.

ſtetur; vtque *interpretum princeps* ſuo iure dici mereatur *Lutherus*. Id quod agnouerunt, qui verſionem Lutheri in ſuas dialectos transfuderunt. Turbas nuper, easque auctori triſtiſſimas, excitauit *Pentateuchi paraphraſis Wertheimenſis*, *Schmidii* cuiusdam. Optandum foret, vt reuerentius in prolegomenis de monumentis ſacris diſputaſſet auctor, & effata de ſoſpitatore ad alia detorquendi ſtudio minus indulſiſſet.

§. 243. *Ebraeo-Germanicae* duae celebrantur. Et maxime quidem prior; quae eſt (1) *Ioſephi Ioſel filii Alexandri*, qui & *Ioſel Witzenhauſen* cognominatur. Prodiit Amſtel. A. 439. A. C. 1679. fol. (2) Altera eſt *R. Iekuthielis filii Iſaaci Blitz* interpretis, typographo Vri Veibhiſch fil. Aaronis, Leuita. Excuſa haec quoque eſt Amſtel. A. 439. A. C. 1679. Ebraeo-Germanicae.

§. 244. Iudaeorum quoque opus eſt *Hiſpanica* quaedam; Quae primo Ferrarae, & deinceps aliquoties Amſtelodami lucem vidit. (u) Hiſpanica.

§. 245. Verſionum Europaeis linguis conſcriptarum correctiores ſunt noua *Anglica*, noua *Bataua*, (w) & *Gallica Dauidis Martini*. Anglica, Bataua, & Gallica.

(u) Vid. *Io. Chriſtoph. Wolf.* Biblioth. Hebr. Part. II. p. 450-453.

w) Huius verſionis, ex Dordracenae ſynodi de-

Martini. Haec autem prolixius perſequi, non huius eſt loci.

CAP. XXXVIII.

DE

VERSIONE GRAECA ALEXANDRINA.

§. 246.

Alexandrina cur verſio LXX. viralis dicatur.

Verſionum graecarum, quae nobis quidem innotuerunt, antiquiſſima *Alexandrina*, Alexandriae Aegypti, regis Ptolomaei Philadelphi auſpiciis, per 72. Iudaeos interpretes, non ſine ſummi numinis afflatu, conſcripta diu credita fuit. Quare in hunc diem *verſionis τῶν LXX.* nomine vulgo venire ſolet.

Ariſteae fabula.

§. 247. Coeca quippe fides *Ariſteae ad Philocratem fratrem relationi* (x) habita fuit. Quam fabulam quoniam fabuloſiorem fecerunt recentiores; momenta eius fideliter excerpta apponemus. (1) Cum Demetrius Phalereus, regis Ptolemaei Philadelphi bibliothecae praefectus, auctor regi eſſet, vt Iudaeorum libros ſacros graece reddi

decreto adornatae, hiſtoriam dat *Ioh. Leusden*, in Philolog. Hebraeo Mixt. Diſſert. X XI.

(x) Quae Ioſephi Operibus in fine eſt adiecta.

reddi & deſcribi curaret; Ariſteas hanc arripit regem rogandi occaſionem, vt omnes Iudaei, qui per Aegyptum mancipia eſſent, libertate donarentur. Id quod factum; pretio pro mancipiis Iudaeis herorum vnicuique per regem ſoluto. (2) *Demetrii Phalerei* de ſacris Iudaeorum libris deſcribendis ad regem facta relatio ſubiungitur. Qua conſilium ſuppeditat, vt ex qualibet tribu ſex viri honeſti, ſenes & eruditi, ab Eleaſare pontifice ad hoc negotium petantur. (3) Rex litteras, addito ingenti auri, argenti & lapidum pretioſorum *pondere, ad Eleaſarem* pontificem mittit; *Andrea, regii corporis* cuſtode, & Ariſtea perferentibus. Quarum litterarum exemplar de verbo ad verbum datur. (4) Sequitur Eleaſaris pontificis ad regem reſponſio. (5) Nomina 72. virorum ad hoc negotium ab Eleaſare miſſorum recenſentur. (6) Munera pontifici à rege miſſa enumerantur. (7) Sequitur deſcriptio Hieroſolymorum, templi, ſacerdotum, pontificis, & terrae fertilitatis. (8) Modus hos 72. viros ad id negotium deligendi eorumque ſapientia exponitur. (9) Diſputatio legatorum Aegyptiorum cum Eleaſare pontifice de cibis lege Iudaica prohibitis ſequitur. (10) Interpretes ad regem accedunt: Qui membranas, quibus libri ſacri aureis characteribus inſcripti erant, miratur.

tur. (11) Interpretes per ſeptiduum lautiſſimis à rege conuiuiis excipiuntur. Singuli ad quaeſtiones per regem ſibi propoſitas ſapientiſſime reſpondent. Tandemque tribus talentis ſinguli donantur. (12) Quo facto, in inſulam ſeptem ſtadiis ab Alexandria diſſitam deportati interpretes, rem aggrediuntur; ita quidem, vt non niſi vnanimi omnium conſenſu ſingula in linguam graecam transferrentur. De quibus autem deliberatione & conſultatione ſatis longa inter eos conuenerat, ea calamo per Demetrium excipiuntur. (13) Interpretatio 72. dierum interuallo conſummatur. (14) In coetum coactis Iudaeis noua verſio praelegitur, & perplacet. Quorum concilium ei, qui quid, vel addendo, vel transferendo, vel auferendo, immutaturus ſit, imprecatur. (15) *Theopompus* vltra 30. dies mente capitur, & *Theodectes* tragicus poëta viſu priuatur: Quod nonnulla ex ſacris Ebraeorum ſcriptis inſerere libris ſuis auſi fuerant. (16) Interpretes, acceptis magnificis à rege donis, dimittuntur. Regiaque Eleaſari pontifici dona mittuntur.

Talmudicorum narratio.

§. 248. Paulo aliter *Talmudici* haec narrant. *Ptolomaeum* primo per *quinque eruditos viros* pentateuchum graece transferri curaſſe tradunt. Deinceps vero eundem regem

regem 72. *viros* ad hoc ipſum negotium conuocaſſe: Quos, antequam illis diceret, quid ab ipſis fieri vellet, totidem *incluſerit cellulis*: Et tum demum, vt graecam pentateuchi verſionem quilibet daret, iuſſiſſe. *In 13. locis* deſtinato conſilio *ab authentico textu ebraeo diſceſſiſſe* interpretes. Non ſine miraculo factum eſſe, vt, facta collatione, *ſingulorum verſiones*, neque illis locis exceptis, vbi ebraeum textum deſeruerint, exacte *concordarent*. Quoniam tamen in extraneam linguam pentateuchus ſatis digne transfundi nequeat; *tempus concinnatae huius verſionis cum tempore conflati aurei* in deſerto *vituli comparant*. (y) Quin *ieiunium in d. 8. Tebheth*, quo hoc negotium perfectum eſſe credunt, indixerunt. (z)

§. 249. Num haec, quae Ariſteas & Talmudici narrant, de toto ſacro codice, an *de ſolo pentateucho*, accipienda ſint, dubitatur. Non niſi τὰ τοῦ νόμου Ptolomaeum accepiſſe, dicit *Ioſephus*. (a) Et de *torah* (תורה) Talmudici loquuntur. Solum igitur Pentateuchum illos 72. viros transtuliſſe; Num ſolius pentateuchi graeca verſio ſit adornata.

[y] Megillah, fol. 9, 1. 2. Maſſecheth Sophrim, cap. 1, fol. 10, 1.

[z] Megillath Taanith, Part. vlt. pag. 114. ed. Meyer. R. *Aſarias*, in מאור עינים, cap. 7. fol. 45, 1.

[a] Prooem. Antiquit. Iud.

tuliſſe; reliquos libros ab aliis, fortaſſe non ita peritis, diuerſiſſimisque temporibus, graece redditos eſſe, viri, qui illam hiſtoriam in dubium non vocarunt, ſunt ſuſpicati, (b) Non valde refragamur. Monemus tamen, à vocabulis *νόμος* & תורה argumenta pro hac ſententia peti non debere. Ceteros ſacros libros ſatis diu ante Chriſtum natum graece iam extitiſſe, ex Siracidae prologo apparet; per quemcunque demum ciuitate graeca fuerint donati. *Abarbanel* (c) ſtatuit, interpretes illos transtuliſſe omnes libros, qni ante Babylonicum exilium conſcripti fuerant, non vero poſteriores.

Ariſteae hiſtoria prorſus reiecta.

§. 250. Vlterius progreſſi ſunt alii; qui *Ariſteae & Talmudicorum* de hac verſione *hiſtorias* penitus eneruantes, & *pro meris fabulis reiicientes*, verſionem hanc à Iudaeis helleniſtis Alexandrinis, iisque diuerſis, neque eodem tempore totam, non publica regis auctoritate, ſed priuato conſilio, elaboratam eſſe contenderunt. In his primas tenet *Humfredus Hody*. (d) Cuius caſtra ple-

[b] E. g. *Buxtorfius*, in Anticrit. Part. II. c. 8. Conf. *Hieronymus*, in Ezech. V.

[c] Commentar. in Dan. p. 21.

[d] In Diſſert. contra hiſtoriam Ariſteae de LXX. Interpret. Oxon. 1684 8. It. in Libris IV. de Bibliorum textibus Original. Oxon. 1705. fol.

plerique hodie ſequuntur. Nos hanc componere nolumus litem: Qui neque nimis creduli ſumus, neque nimis audaces ad ſimpliciter negandum ea, in quibus falſa veris mixta eſſe poſſint per remotam antiquitatem.

Hodierna Alexandrina verſio qualis ſit.

§. 251. Sed in *verſionis, quam hodie* ſub Alexandrinae nomine in manibus *habemus, fidem & auctoritatem* iam inquiramus. Hanc & textum ebraeum in permultis diſſidere, in vulgus notum eſt. Plus graecae verſioni, quam aequum eſt, *Iſaacus Voſſius, Ludov. Cappellus*, alii, tribuerunt: Ex qua *textum ebraeum*, quem per Iudaeos corruptum eſſe credunt, *integritati reſtitui poſſe* ſomniant. Huius autem criminis Iudaeos facile abſoluent, qui, quanto in pretio illi ſacra ſua ſcripta habeant, non ignoreut. Contra ea graeca illa *Alexandrina verſio*, cuius autographum igne periit, ſi qua genuina vnquam fuit, citiusque fortaſſe periit, quam in multorum manibus apographa eſſent, innumeris *deprauationum periculis expoſita* fuit. Quin alia quaedam in genuinae locum & nomen ſuccedere facile potuit; vel genuina ex ſpuria interpolari; maturius, ſerius. *Plures* enim *graecas verſiones* antiquiſſimis iam temporibus fuiſſe, vero non admodum diſſimile

eſt. *Ariſtobulus Peripateticus* (e) ſane, qui genuinam illam Alexandrinam ſingularibus laudibus ornat, diu ante Demetrium Phalereum Ebraeorum hiſtoriam & ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησιν graece lectam fuiſſe contendit. Quin ipſi *Iudaei de duabus graecis verſionibus* loquuntur. (§. 248.) *Iacobum Vl[illemium]* (f) igitur & *Io. Lightfootum* [g], qui hodiernam noſtram vel ſpuriam vel deprauatam eſſe crediderunt, veroſimiliorem defendere ſententiam perſuaſum habemus.

Allegatio illius in N. T.

§. 252. *Apud priſcos Chriſtianos graecos* verſio haec *tantam* eſt nacta *auctoritatem*; quod illi *ebraea ignorabant.* Cui acceſſerit id, quod frequentes ex illa *in N. T.* reperiebantur *allegationes.* Quam ob cauſam in hunc diem ſunt, qui aegre ferant, vt iniquius de ea ſentiatur. Nos ita ſtatuimus. Sacri *noui foederis ſcriptores non ſemper* ſaltem *eam ſunt ſequuti.* (h) Quoniam autem proſelyti ex gentilibus ebraea legere nequibant, ſed graeca verſio in horum ma-

[e] Apud Euſeb. de Praepar. Euangel. lib. XIII. c. 12.

[f] Syntagm. de LXX. Interpretibus.

[g] Opp. Poſthum. in λειψάνοις de Verſ. τῶν LXX. & paſſim in Horis Hebraicis.

[h] Conf. Matth. II, 15. cum Hoſ. XI, 1 Conf. Matth. VIII. 17. cum Eſ. LIII, 4. &c.

manibus erat; *Retinere* hanc *consultum duxerunt*, quotiescunque ebraeum textum vel quoad verba vel quoad sensum exprimeret; vbi autem illum desereret, explicationem saltem daret, quam ex textus authentici verbis ipsi Iudaei doctores eruere quoque solerent. Sic ipsis *consulebatur proselytis*, vt ne dubii redderentur de antiqui foederis scriptis. Neque *Iudaei, quod calumniarentur*, habebant. Citationibus suis hanc *versionem non commendabant* doctores Christiani; sed, in defectu melioris, *tolerari eam posse aiebant.*

§. 253. A *Iudaeis hellenistis* versionem hanc post authenticum textum *in synagogis* publice quondam praelectam fuisse, nonnulli statuunt. (i) Quod vero *Io. Lightfoot* strenue negat. (k) Patrocinari sane illi sententiae *Nouella* 146. videatur. Ne de ipsis quidem Iudaeis *Rabbanitis* id satis confidenter negare posse Lightfootum vt credamus, nonnulla Talmudis loca nos mouent. (l) Quin *Karaei* id aliquando fecerint, & de his Nouella ista intelligenda sit, nulli dubitamus.

Vsus illius apud Iudaeos.

§. 254.

[i] *Rich. Simon*, Hist. Crit. V. T. lib. II. cap. 17. pag. 92. ed. lat.

[k] Vid. Opp. posthum. in λειψάνοις de τῶν LXX. vers. cap. I. p. 5-8.

[l] E. g. Megillah, fol. 8, 2. 9, 1. Schabbath, fol. 115, 1.

Vſus apud Chriſtianos.

§. 254. Magnum verſionis huius *in V. & N. T. exegeſi vſum* viri eruditiſſimi commendarunt. (m) Equidem *parum* ſubſidii ad inueſtigandum genuinum ſcriptorum *V. T. ſenſum* adferat. Attamen non contemnendus illius vſus ſit is, quod ex ea perſpicere liceat, quomodo *loca controuerſa à Iudaeis tunc temporis* fuerint *intellecta*; & quales multi eorum fuerint *ritus*: Maior futurus, ſi incorrupta ad nos peruenisſet. *Ad N. T. exegeſin* autem verſio haec *tantum confert*, vt ſpeciali prouidentia diuina hunc ipſum in finem conſeruata nobis quidem videatur. Quoniam enim *ſtylo helleniſtico* ſacra *N. T. monumenta* non minus, quam *haec verſio*, ſunt conſcripta; parum praeſidii illorum explicationi ex ceteris quidem graecis ſcriptoribus expectari poteſt. Permultum autem ex hac verſione. Cuius verba & phraſes ſi cum textu ebraeo conferat ebraeae litteraturae bene peritus; indubium de genuino eorum in N. T. ſignificatu iudicium ferre poterit.

Stylus helleniſticus.

§. 255. *Stylum* autem *helleniſticum* appellamus eum, qui, ſi Graecorum genere loquendi conſuetudinem ſpectes, non ſatis eſt graecus; ſed *Hebraiſmos*, *Chaldaiſmos*, *Syriaſmos*, aliarumque orientis dialectorum genium

[m] *Io. Pearſon*, Praefat. ad edit. LXX. Interpr. Londinenſ. *Io. Henr. Michaëlis* in Diſſert. de Vſu τῶν LXX. in N. T.

genium potius, quam purioris graecae linguae, ſapit. Ita enim in oriente graeciſſabant. Quare non mirum eſt, interpretes hos Iudaeos ita ſcripſiſſe. N. T. ſcriptores θεόπνευστοι autem, ſi ab iſtis hominibus intelligi vellent, vt aliter dicerent vel ſcriberent, conſultum non erat. *Barbari illis eſſe noluerunt.* [n] Fuiſſent autem; ſi graeca purius ſcripſiſſent. Neque eſt, cur nos conqueramur; qui commentarium in N. T. orationis genus habemus verſionem Alexandrinam; ſiue genuina illa ſit, ſiue ſpuria. *Non ignoramus, à magni nominis viris, qui, ſi hoc concederetur, noui foederis diuinitati timebant, veritatem hanc quam acerrime eſſe impugnatam.* At vero nihil ex hac ſententia periculi noui foederis ſcriptoribus, qui non graecae linguae ſed doctrinae puritatem nos edocere voluerunt, metuendum eſſe, aduerſoque Marte à ſecus ſentientibus pugnari, dudum demonſtrarunt viri non docti magis quam religioſi.

§. 256. *Editiones* verſionis Alexandrinae nobiliores ſunt *quatuor.* (1) *Complutenſis*, in Polyglottis. Sed haec, per editores correctiones ad ebraeum textum paſſa, non eſt genuina. (2) *Veneta*; quam Aldus Manutius A. 1518. ex multis vetuſtiſſimis exem- Editiones.

[n] 1 Cor. XIV, 11.

exemplaribus excudit. (3) *Alexandrina*; à codice nitido in pergameno, quem Cyrillus Lucaris Angliae regi dono misit, cognominata. Haec in Polyglottis Londinensibus exhibetur. (4) *Romana*; quae ex antiquissimo MSC. Vaticano Romae A. 1587. prodiit.

Concordantiae.

§. 257. Concordantias in hanc versionem dederunt *Conradus Kircherus*, & *Abrahamus Trommius*: Opus, quo noui foederis interpres carere non potest.

CAP. XXXIX.

DE

TARGVMIM VEL PARAPHRASIBVS CHALDAEIS.

§. 258.

Targum quid sit.

Targum [תרגום] Chaldaeorum ebraeo *haatakah* [העתקה] respondet. Vi vocis vnamquamque quidem, ex quacunque in quamcunque linguam, tralationem vel & paraphrasin significat. Vsu autem obtinuit, vt vocabulum *Targum* Chaldaicis sacri codicis paraphrasibus, tales enim verius sunt quam nudae versiones, veluti proprium vindicaretur.

Targumistae qui?

§. 259. *Chaldaei interpretes*, praeter anonymos, tres vulgo celebrantur: *Onkelos*,

los, Ionathan, & R. *Ioſe ſ. Ioſephus Luſcus.*

§. 260. *Onkelos* [אונקלום] vel *Aquilas* [עקילס], *Calonymi* [קלונימוס] filius, ex Iudaeorum traditione *proſelytus* [הגר] fuit; [o] Hillelis & Schammaei diſcipulus, [p] *Rabban Gamalieli ſeniori ſuperſtes.* [q] *Seruatori* igitur *aequalis* fuit, & poſt illius ſupplicium vitam protraxit. Mentio fit in Talmude [r] *Onkeloſi* [אונקלוס] cuiusdam, filii *Callinici* [קלוניקוס], ſororii Titi imperatoris; qui poſt Titi obitum ad ſacra Iudaica tranſierit. Cum quo hunc noſtrum confundentes nonnulli, paulo recentiorem eum faciunt. Quod male fieri alii contenderunt. [s] Minorem adhuc veri ſimilitudinis ſpeciem habet *Iſaaci Voſſii* [t] coniectura; qui hunc noſtrum eundem, quem *Aquilam interpretem graecum*, eſſe ſuſpicatus eſt. Et Iudaei [u] & Chriſtiani [w] contradicunt. Dedit *Onkelos pentateuchi* Onkelos.

[o] Abhodah ſarah, fol. 11, 1.

[p] R. *Aſarias*, in מאור עינים, Orat. IV. cap. 45. pag. 145. ex Sohar.

[q] loc. cit. lit. o. praeced.

[r] Gittin, fol. 56, 2.

[s] R. *Aſarias*, in Meor Enaim, p. 148, 2,

[t] In Tract de LXX. Interpretibus.

(u) R. *Aſarias*, loc cit. lit s. praeced.

(w) *Humfredus Prideaux*, Hiſt. V. & N. Teſt. Part. II. lib. VIII. p. 535. ſeq.

teuchi paraphraſin. [x] Totum ſacrum codicem ab eo in chaldaeam linguam transfuſum eſſe, ſine auctore tradit *Galatinus.* [y]

Ionathan. §. 261. *Ionathan Vſielides* (יונתן בן עוזיאל) in praecipuis *Hillelis ſenioris diſcipulis* à Iudaeis memoratur. [z] *Chriſto* igitur hic quoque *coaeuus* fuit. Etymologicis argutationibus decepti Chriſtiani nonnulli, eundem, quem *Theodotionem graecum interpretem*, eſſe ſuſpicati ſunt; per Schickardum [a] dudum exploſi. Duplex *Ionathani paraphraſis*, altera *in prophetas priores & poſteriores*, [b] altera *in pentateuchum*, [c] haec autem minus vt videatur vere, tribui ſolet. Tertiam *in Hagiographa* addunt alii, (d) ſed ſine teſte.

Ioſephus luſcus. §. 262. *Ioſe* ſiue *Ioſephus luſcus* ſeu *coecus*, κατ' ἀντίφρασιν *Saggi nahor* (סגי נהור) i. e. *lumine plenus*, vel ſi mauis *coecus videns*, cognominatus, ſec. IV. à Chriſto nato vixit. Nam. A. Iud. 4082. id eſt A. C. 322. *academiae Soranae* in Babylonia *Rector* fuit crea-

(x) Megillah, fol. 3, 1.
(y) In Arcanis Cathol. veritatis, lib I. cap. 3.
(z) Succah, fol. 28, 1. Babha bathra, fol. 134, 1.
(a) In Bechinath Happeruſchim, pag. 25.
(b) Megillah, fol. 3, 1.
(c) Vid. R. *Aſarias*, in Meor Enaim, Part. III. c. 9.
(d) E. g. *Chriſtoph. Helvicus*, de Paraphraſ. Chald. p. 11.

creatus. (e) Huic à plerisque *paraphraſis in Hagiographa* accepta fertur. Quam vero incertum id ſit, infra docebitur.

§ 263. Hi ſi veri auctores ſint; ex iis, quae de horum virorum aetate diximus, apparet, *paraphraſes in pentateuchum & prophetas* circa *Chriſti & apoſtolorum aetatem* eſſe conſcriptas. De paraphraſibus autem *in hagiographa* res *in dubio* eſt relinquenda. Non defuerunt in Chriſtianis, qui, propter Ioſephi, Hieronymi & Origenis de iis ſilentium, propter fabulas in iis obuias, aliasque his non praegnantiores rationes, chaldaeas paraphraſes *ante ſeculi IV. finem extitiſſe negarent.* (f) Haec autem debiliora eſſe argumenta, quis non videt? Aetas conditarum paraphraſium.

§. 264. *Paraphraſes Chaldaicas*, non ſcriptas quidem, attamen viua voce datas & propagatas, proauos ſuos iam in Babylonico exilio, vel *Eſrae* ſaltem *temporibus* habuiſſe, tradunt Iudaei. (g) Silentio praeterimus Chriſtianorum & conſenſum & diſſenſum. Nobis quidem vera narrare Iudai videntur. *Chriſti* enim *tempore Chaldaicum idioma* Iudaeis *Palaeſtinis familiare* fuiſſe, ex non paucis N. T. locis (h) diſci- Paraphraſes antiquiores non ſcriptae.

(e) Horaioth, fol. 14, 1. 1. Brachoth. fol. 64, 1.

(f) *Io. Morinus*, in Exercit. Bibl. lib. II. Exerc. VIII. c. 2. p. 321.

(g) Megillah, fol. 3, 1.

(h) E. g Mar. I, 41. Ioh. XIX, 17. Actor. I, 19.

discimus. Hic autem *Babylonici exilii fructus* fuit. Quoniam igitur Chaldaica lingua Iudaeorum vulgo vernacula esse coeperat, & Ebraea peregrina; opus erat, si sacra monumenta intelligi ab illis deberent, vt viri inter eos eruditi de versionibus Chaldaicis cogitarent. Quod quin primis statim post id exilium temporibus sit factum, non est cur dubitemus.

Paraphrasium vsus in synagogis.

§. 265. Attamen *authenticus textus* non negligebatur; sed *in proseuchis* publice *praelegebatur.* Ita tamen, vt adstans *interpres* praelecto *vni ex pentateucho versui versionem Chaldaicam* statim *subiungeret. Ex prophetis* autem *ternos versus* praelectos, & tum demum Chaldaicam versionem subiunctam fuisse tradunt Talmudici. (i) Nec est quidquam, quod nos vetet, quo minus de his fidem illis adhibeamus.

Auctoritas paraphrasium.

§. 266. Quanti has paraphrases faciant Iudaei, ex eo adparet, quod *Onkelosum* Versionem suam ex *traditione Mosis ex Sinai* (הלכה למשה מסיני), R. Eliesare & R. Iosua adprobantibus, conscripsisse; *Ionathanem* autem suam *à Chaggaeo, Zacharia & Malachia* prophetis accepisse, gloriantur. (k) Ridere hanc Iudaeorum gloriam solent

(i) Mischna & Gemara, Megillah, fol. 23, 2. 24, 1.

(k) Megillah, fol. 3, 1. Tosephoth ad Kidduschin,

ſolent Chriſtiani. Sed ab illis viciſſim ridentur; quod non intelligant, hunc verborum eſſe ſenſum, quod hae *verſiones Moſis & ceterorum diuinorum ſcriptorum mentem apprime referant*: Quippe hos verborum ſuorum optimos fuiſſe interpretes; horumque interpretationem, viua voce ad ſua tempora propagatam, Onkeloſum & Ionathanem eſſe ſequutos. Quod quam vere ſit dictum, illi intelligent, qui verſiones haſce cum textu ebraeo diligenter contulerint. Ipſa Chaldaica *verſionum verba Moſi & prophetis minime tribuunt* Iudaei. Qnae tamen magna ſui parte neque Onkeloſo & Ionathani tribuenda videantur. Cum enim moris inter Iudaeos tum eſſet, vt ipſiſſima magiſtrorum verba, quantum quidem per memoriam fieri poſſet, retinerent diſcipuli; vero non diſſimile ſit, quod verba paraphraſtarum ſe antiquiorum in litteras illi redegerint. Ipſos *Talmudicos doctores* quam maximi hos viros feciſſe, certum eſt. (l) Qui paſſim confitentur, *niſi hae paraphraſes eſſent; ſe genuinum* quorundam ſacri codicis effatorum

ſchin, fol. 49, 1. *Abarbanel*, Commentar. in Num. XV, 30, Conf. *R. Aſarias*, in Meor Enaim, p. 145.

(l) Vid. e. g. Succah, fol. 28, 1.

rum *ſenſum aſſequuturos non fuiſſe.* (m) Recentiores Iudaeorum interpretes, vt *Raſchi, Aben-Eſra, Kimchi,* ceteri, *ad eas* frequentiſſime *prouocant.* Vbi duplex interpretatio locum habere poſſit; eam plerumque, quae cum Chaldaica paraphraſi conſpiret, praeferunt. Ita tamen *in eas non iurarunt,* quominus ab iis confidenter interdum diſcedere integrum ſibi putauerint. In Chriſtianis pauci inclementius de iis ſenſerunt. Iuſtum illis pretium decernunt peritiores omnes. Nec immerito; cum *in V. & N. T. exegeſi* inexſpectatas nobis non raro *ſuppetias ferant.*

Verbum dei pro *deo* ſaepe ponunt.

§. 267. Saepiſſime apud paraphraſtas chaldaeos legitur, *Verbum dei* (מימרא דיוי), vbi textus ebraeus de *deo* loquitur. Contendunt Iudaei, factum id eſſe, vt corporeae de eo ideae lectoribus eximerentur. Quotiescunque enim de deo ita loquantur ſcriptores ſacri, vt corporeas de eo ideas ſibi formare poſſit lector incautus; toties pro *deo* vel *verbum dei* [מימרא דיוי] vel *gloriam dei* (יקרא דיוי) vel *maieſtatem diuinam* (שכינתא) poſuiſſe paraphraſtas. (n) Numeroſus autem Chriſtianorum exercitus in hac phraſi *argumentum pro Chriſti diuinitate* videre

(m) Megillah, fol. 3. 1. Sanhedrin, fol. 94, 2.

(n) Vid. *Maimonides*, in Moreh Nebhochim, Part. I. cap. 21. fol. 16, 2.

videre ſibi eſt viſus. Quippe paraphraſtis eam idem ſignificare, quod Iohanni euangeliſtae λόγος, id eſt, *Chriſtus*, ſuſpicati ſunt. [o] Contra ea alii id negarunt. p] Excuſari vtrique debent; quod illi pro religione Chriſtiana pugnarunt; *hi Iudaeorum* teſtimonio nos non indigere, & tam debilibus armis pugnari non debere, exiſtimarunt. Id autem excuſari non poteſt, quod inimiciori, quam par erat, animo nonnulli inter ſe digladiati ſunt. (q) Noui foederis monumenta attente legens, intelliget, longe aliam iſtorum iam temporum Iudaeos de *Meſſia habuiſſe* notionem, quam vt eiusmodi teſtimonium ab *illis* expectari potuerit.

§. 268. Laudanda autem eorum opera eſt, qui ſacri codicis effata per hos paraphraſtas *de Meſſia explicata* collegerunt. (r) Habet enim ſuum omnino vſum, vt ſciamus, quaenam loca de Meſſia interpretati ſint iſtorum temporum Iudaei. A quibus in multis defecerunt recentiores. Effata per paraphraſtas de Meſſia explicata.

CAP.

(o) E. g. *Stephanus Rittangelius*, in Libra veritatis.

(p) E. g. *Io. Lightfoot*, Tom. II. p. 599. 600. Hor. Hebr. in Ioh. I.

(q) Vid. *Io. Chriſtoph. Wolf.* Biblioth. Hebr. Part. II. p. 1185-1189.

(r) E. g. *Ie. Buxtorfius*, Lex. Talmud. in voce משיח, pag. 1267-1273.

CAP. XL.

DE

PARAPHRASIBVS CHALDAEIS PENTATEVCHI.

§. 269.

Paraphraſes tres Pentateuchi.

Tres in Pentateuchum chaldaeae *paraphraſes* hodienum ſuperſunt: (1) *Onkeloſi*, (2) *Pſeudo-Ionathanis*, [3] *Hieroſolymitana.*

I. ONKELOSI PARAPHRASIS.

Onkeloſi paraphraſeos aetas.

§. 270. De *Onkeloſi paraphraſeos aetate*, niſi illam Onkeloſo falſo tribui credere velimus, iudicare difficile non eſt; ſi cogitemus, quando hic vir vixerit. Tempore autem *Rabban Gamalielis ſenioris* & diutius vixit. (§. 260.) *R. Elieſaris & R. Ioſuae* coaetaneus fuit. (§. 266.) Qui viri cum iisdem, quibus *apoſtoli*, *temporibus* vixerint; haec aetas Onkeloſi paraphraſi conſcriptae tribuenda erit. *Circa templi ſecundi excidium* concinnatam fuiſſe, non male putat *Sam. Bochartus.* (s) Talmude Hieroſolymitano & plerisque Medraſchim recentiorem eſſe, ſiculneis adſtruere argumentis nititur *Morinus* (t)

§. 271.

(s) Tom. II. pag. 860. in Ep. ad Iſ. Voſſium.
(t) Exercitat. Bibl. lib. II. Exercit. VIII. c. 6. p. 341. ſeq.

§. 271. Non immerito in maximo apud Iudaeos pretio eſt: Quae *ceteris omnibus palmam* longe *praeripit*. *Maimonides* [u] eam ex illo capite ſummis effert laudibus, quod *corporeas à deo ideas* ſollicite *remoueat*. Laudatur etiam à noſtris, quod *authentici textus genuinum ſenſum* oratione chaldaea puriori & nitida *feliciter exprimat*. Quod preſſius, quam ceterae, litterali ſenſui inhaereat. Quod *à fabulis* & excurſionibus ſit *aliena*. Quod Chriſtianorum interpretationes non raro iuuet. Et quae praeterea encomia ſunt. Laudes.

§. 272. *Satis correcta* ad nos peruenit haec paraphraſis. Non obſtante tamen, quod *opus criticum* (מסורת התרגום) in eam adornatum ſit, quibusdam in locis diſſentire codices fatetur *Elias Leuita*. [w] Integritas.

§. 273. *Latinitate* Onkeloſi chaldaeam paraphraſin donarunt *Alphonſus de Zamora*, *Paulus Fagius*, *Bernardinus Baldus*, *Andreas de Leon Zamorenſis*. Verſiones Latinae.

II.

(u) Moreh Nebhochim, Part. I. cap. 27 28. fol. 18, 2. 19, 1. & cap. 48. fol. 29, 2. 30, 1.

(w) Maloreth hammaſoreth, in praefat. 3. pag. 25. Conf. *Maimon*. Moreh Nebhochim, Part. I. cap. 48. fol. 30, 1.

II. IONATHANIS PARAPHRASIS.

Paraphraſeos Ionathani tributae auctor & aetas.

§. 274. *Pſeudo-Ionathanis* altera in Pentateuchum *paraphraſis* eſt. Hanc Ionathani non tribuunt Talmudici. Fuerunt tamen, qui Ionathani eam deberi crederent. (x) Quare *Ionathanis* in pentateuchum paraphraſis *vulgo* quoque appellari ſolet. Sed Ionathanem eam non agnoſcere auctorem, (1) ex maxima huius & illius in prophetas, quae Ionathanis eſt, ſtyli diuerſitate; [2] ex rebus Ionathanis aetate multo recentioribus in ea obuiis; denique (3) ex fabularum in ea copia, demonſtrarunt philologi. (y) *Dubius* igitur illius *auctor*, & *incerta* conſcriptae *aetas* eſt.

Iannae & Iambrae nomina.

§. 275. *Iannae* & *Iambrae*, Aegyptiorum magorum, in N. T. obuia (z) *nomina*, haec quoque paraphraſis habet. (a)

Verſio latina.

§. 276. *Verſionem* huius paraphraſeos *latinam Antonius Ceualerius* dedit.

III. HIEROSOLYMITANA PARAPHRASIS.

Hieroſolymitanae auctor & aetas.

§. 277. Tertia *Hieroſolymitana* in pentateuchum *paraphraſis* (תרגום ירושלמי), quae

(x) Vid. *R Aſarias*, in Meor Enaim, Part. III. cap. 9.

(y) E. g. *Schickardus*. in Bechinath happeruſchim, p. 25. ſeq. *Humphredus Prideaux*, Harmon. Hiſt. V. & N. T. Part. II. pag. 580 ſeq.

(z) 2 Tim. III, 8.

(a) Exod. VII, 11.

quae ab impuriori Hieroſolymitana dictione nomen ſortita videtur, *non totum* exhibet *pentateuchum:* Sed nunc aliquot verſus, pauciores, plures, nunc integra etiam capita, tranſilit. Contra ea interdum *vnius eiusdemque verſus duplicem* dat *interpretationem.* Huius ſe non minus *auctorem* quam *aetatem ignorare* confitentur Iudaei. (b) Eandem, quam Pſeudo-Ionathanis eſſe, nonnullorum coniectura eſt. (c) Diuerſae autem *paraphraſeos*, quae integra olim extiterit, *fragmenta* eſſe, alii ſuſpicantur. (d) Sane *non omnia*, quae aliquando extiterunt, de ea *ad nos peruenisſe*, nonnullae *Dauidis Kimchii citationes*, in ſuperſtitibus fragmentis fruſtra quaerendae, teſtantur. De recentiori eius aetate *Turcarum*, *Barbariae*, & alia recentiora nomina in ea obuia (e) teſtari, non male fortaſſe augurati ſunt viri eruditi. (f)

§. 278. *Fabulis* ſcatet; & *lacinias* non-nul- Notatu digna in ea.

(b) *Elias Leuita*, in praefat. ad Methurgeman.

(c) Vid. *Pet. Allixius*, in Iudicio Eccleſ. Iud. contra Vnitarios, p. 92.

[d] *Brianus Waltonus*, Prolegom. XII. in Bibl. Polyglott. Londineſ. §. 11-13.

[e] In Sectione נח.

[f] *Morinus*, Exercitatt. bibl. p. 345. *Thomas Smithus*, de Chald. paraphr. p. 93 *Humphr. Prideaux*, Harm. Hiſt. V. & N. T. Part. II. p. 541.

nullas *authentico textui inserit.* (g) Non paucae *N. T. phrases* in hac paraphrasi leguntur. Quas ab antiquioribus vtrique sine dubio acceperunt.

Versiones latinae.

§. 279. In *latinum idioma* eam conuerterunt *Franc. Tailerus, Antonius Ceualerius.*

CAP. XLI.

DE

PARAPHRASI CHALDAEA PROPHETARVM.

§. 280.

Auctor & aetas.

Paraphrasis Chaldaea *in prophetas* priores & posteriores *Ionathani* vnanimi Iudaeorum [h] & plerorumque Christianorum consensu ttibuitur. Adeoque *circa Christi aetatem* est conscripta. [§. 261.] Non enim audiendus est *Morinus*; [i] qui eam *Talmude recentiorem* facere debilibus argumentis annititur. Ab homine tamen parum sibi constante, qui vel 700. annis Ionathane posterior fuerit, interpolatam esse, viri eruditi obseruarunt. [k] Id quod *Lud. Capellus* [l] quoque vidit.

§. 281.

[g] E. g. Gen. IV. de Caino, si non atheo, saltem Sadducaeo.

[h] Megillah, fol. 3, 1.

[i] Exercitatt. bibl. lib. II. Exercitat. VIII. cap. 2. pag 321. seqq.

[k] *Pet. Allixius*, in Iudicio Eccles. Iud. contra Vnitarios, pag. 70.

[l] In Arcan. Punctat. reuel.

§. 281. Hanc quoque paraphrasin *Maimonides* [m] ex eo capite *laudat*, quod in locis, in quibus authenticus textus ἀνθρωποπαθῶς de deo loquitur, *corporeas ideas* lectoribus *eximat*. Satis etiam Christianis se commendauit. Laudes.

§. 282. *Latine* hanc paraphrasin reddiderunt *Alphonsus de Zamora, Conr. Pellicanus, Andreas de Leon Zamorensis.* In XII. prophetas minores, *Imman. Tremellius.* Versiones latinae.

CAP. XLII.

DE

PARAPHRASI CHALDAEA HAGIOGRAPHORUM.

§. 283.

Paraphrasis denique Chaldaea *in hagiographa* extat, exceptis Daniele & Esra. In posteriorem quoque Chronicorum librum lucem serius vidit. In nonnullos Psalmorum versus *duplex vel & triplex interpretatio* comparet. Neque minus *in totum Estherae volumen duplex* paraphrasis exstat. Paraphrasis Chaldaea in Hagiographa.

§. 284. *Iosepho coeço* tribui solet: [n] sed sine Auctor.

reuel. lib. II. cap. 3. §. 4. Conf. Vindic. lib. I. cap. 8. §. 18.

[m] Moreh Nebhochim, Part. I. c. 28. fol. 19, 1.

[n] Vid. *Th. Smithus*, de Paraphras. Chald. p. 102.

ſine fundamento. Dicunt de hoc [o] & de *Rabh Scheſcheth*, [p] niſi pro hoc Rabbi Ioſeph legendum ſit, Talmudici, quod loco textus ebraei paraphraſes chaldaeas ſibi reddiderint familiares; quia nimirum coecis authenticum textum memoriter recitare non licuerit. Quod vero *Ioſephus luſcus* paraphraſin in hagiographa ipſe concinnauerit, de eo magis ſunt muti quam piſces. *Elias Leuita* [q] alios *Aquilae*, alios *R. Ioſepho*, alios *anonymo* cuidam *Hieroſolymitano*, hanc paraphraſin adſcribere ait: *verum* autem *auctorem ignorari* confitetur. *Plures* fuiſſe, admodum veroſimile ſit.

Aetas. §. 285. *Nihil certius* de conſcriptarum harum paraphraſium *tempore* dici poteſt. *Poſt Talmud concinnatas* demum eſſe, ex eo colligi poſſe creditum fuit, quod non ſolum Miſchnae verum etiam Talmudis alicubi mentio fiat. [r] Iſto autem argumento nihil efficitur: Cum non ſolum de libris, verum etiam de doctrina non ſcripta, vocabula iſta vſurpent Iudaei.

Laudes. §. 286. Paraphraſtae hi loca non pauca obſcuriora non inepte quidem illuſtrarunt. *Ab authentico* autem *textu* nimis longe ſaepiſſime

[o] Babha kama, fol. 3, 1. Conf. Toſephoth, ad h. l.

[p] Sotah, fol. 48, 2.

[q] In Praefat. ad Thisbi. It in Praefat. ad Methurgeman.

[r] E. g. Cant. I. 3. V. 10.

piſſime *recedunt*; & traditionibus vehementer indulgent.

§. 287. *Verſiones* paraphraſeos huius *latinas* dederunt *Alphonſus de Zamora, Bened. Arias Montanus, Conradus Pellicanus, Andreas de Leon Zamorenſis.* Singulorum librorum praeter hos alii. [s] Verſiones latinae.

CAP. XLIII.

DE *CODICIBVS MANV SCRIPTIS MONVMENTORVM SACRORVM CELEBRIORIBVS.*

§. 288.

Varii *antiqui* monumentorum ſacrorum *codices* laudantur; Quos ignorare non debemus, licet de eorum aliquibus, num vnquam extiterint, dubitari poſſit. Codices MSC. antiqui.

§. 289. *Moſen 13. Pentateuchi volumina exaraſſe*, quorum 12. diſtributa Iſraëlitarum tribubus fuerint, *vnum in arcam foederis reconditum*, tradunt Iudaei. [t] Sunt, qui ſuſpicentur, hunc ipſum fuiſſe codicem Pentateuchi Moſaica autographa.

[s] Vid. *Io. Chriſtoph. Wolf.* Biblioth. Hebr. Part. II. pag. 1180-1181.

[t] *Maimonides*, praefat. in Iad chaſakah. Conf. Babha bathra, fol. 14, 1.

cem per Chilkiam pontificem, Iosia rege, in templo repertum. [u]

Ezechielis liber.

§. 290. *Libri magni* [ספר גדול] *Ezechielis* prophetae manu scripti, qui in synagoga prope huius sepulchrum exstructa asseruetur, mentionem facit *Beniamin Tudelensis*. [w]

Esrae autographum.

§. 261. *Esrae* sacrorum monumentorum *autographum* hodienum alii *Cabillone*, [x] alii *Bononiae*, [y] supereſſe fabulantur.

Sichemiticus codex.

§. 292. De *Ebraeo-Samaritano Pentateuchi Sichemitico codice* supra [§. 233.] diximus.

Codices tres reperti in templo.

§. 293. *In* Hierosolymitani *templi atrio tres* repertos fuisse *codices*, qui dicti fuerint primus codex מעיני, secundus זעשוני, tertius היא, Talmudici narrant. [z]

Hillelis codex.

§. 294. *Hillelis codicem* (ספר הלאלי) & Iudaei & Christiani celebrant. (a) Tam iucerta

[u] *Hugo Grotius*, in Notis ad 2 Reg. XXII, 8.

[w] In Itinerar. pag. 79.

[x] Vid. *R. Asarias*, in Meor enaim, Orat. I. cap. 9. pag. 53 2.

[y] *Adrianus Finius*, Ferrariensis, in Flagello Iudaeorum.

[z] Massecheth Sophrim, cap. 6. fol. 11. 1. Hierosol. Taânith, cap. IV. fol. 68, 1.

[a] *R. Abr. Sachuth*, in Scpher Iuchasin, pag. 99, 2. ed. Amstel. 477. *Io Buxtorfius*, de Antiquitate Punctorum, Part. II. cap. 7. p. 350. seqq. *Wilh. Schickardus*, in Bechinath happeruschim, pag. 51. *Io. Henr. Hottingerus*, in Thesaur. Philolog. p. 105.

incerta autem ſcripti huius codicis aetas eſt, vt alii *Hilleli ſeniori*, alii *Hilleli iuniori*, alii *Hilleli* cuidam *Hiſpano*, eum tribuant.

§. 295. *Codicem* quendam *Aegyptium*, qui antea Hieroſolymis fuerit, & quem *ben Aſcher* correxerit, laudat Maimonides. (b) Vnde etiam *Palaeſtinus* vel *Hieroſolymitanus*, item *Codex ben Aſcher*, denique *Liber Iſraëlis* (ספר ישראל), id eſt *Iudaeorum Palaeſtinorum*, appellari ſolet. Hunc codicem Iudaei occidentales, id eſt Palaeſtini, pro norma ſua ſunt amplexi. Codex ben Aſcher.

§. 296. Huic opponitur *Codex Babylonius* (ספר בבלי); quem induſtriae *ben Naphtali* acceptum ferunt. Hunc Iudaei orientales ſiue Babylonii vt normam ſunt ſequuti. (c) Codex ben Naphtali.

§. 297. Nomina codicum ſuperſunt: (1) *Codex Sinai* (ספר סיני); (2) *Pentateuchus Hierichuntinus* (חומש יריחו vel תמרי) (3) *Sepher Sanbuki* (ספר זנבוקי). De quibus, quod certi praeter nomina dicamus, non habemus. (d) Codices ſolis nominibus celebres.

§. 298.

[b] In Hilchoth Sepher Torah, cap. VIII. Sect. 4. Conf. R. *Aſarias*, in Meor enaim, Orat. I. cap. 9. pag. 53. 2.

[c] De Codicibus ben Aſcher & ben Naphtali vid. *Io. Chriſtoph. Wolf.* Bibliothec. Hebr. Part. I. pag. 126. 127.

[d] Vid. de his *Elias Levita*, in Schibhre luchoth. *Menachem de Lonzano*, in אור תורה. *Hottingerus* in Bibliothec. Quadripart. p. 158.

Codices recentiores.

§. 298. *Codices MSCti recentiores* apud Iudaeos infiniti ſunt; & in omnibus proſeuchis eſſe debent. Verum etiam in Chriſtianorum bibliothecis non pauci aſſeruantur. Quorum eos, qui vel propter pretium vel hiſtoriam vel viciniam notatu digniores nobis videntur, nominabimus. (1) *Phorcenſia Biblia* ebraica, A. Iud. 4866. A. C. 1106. ſcripta. (e) (2) Biblia ebraica *Reuchlino* à Maximiliano I. Imperatore donata; in bibliothecam Phorcenſem ac poſtea ad Marchionem Badenſem delata. (f) (3) *Pentateuchus* bibliothecae *ſenatus Regiomontani*, A. C. 1313. ſcriptus. (g) (4) Biblia ebraica *Erfurtenſia*, bibliothecae templi Auguſtiniani, ſcripta A. Iud. 5103. A. C. 1343. Habet haec bibliotheca codices praeterea quatuor. (h) (5) *Helmſtadienſes* Pentateuchi codices duo; quos ab antiquitate commendat Saubertus. [i] (6) *Lipſienſis* ſenatoriae bibliothecae codices Pentateuchi duo. (k) (7) *Pariſienſis* regiae bibliothecae aliquot codices. In his *volu-*

[e] Vid. *Io. Henr. Maii* Vita Reuchlini, p. 536.

[f] Ibid. p. 530.

[g] Vid. Noua litteraria german. Lipſienſ. A. 1718. pag. 384. It. *Henr. Opitii* praef. ad Bibl. Ebr.

[h] Vid. *Io. Henr. Michaëlis* Differt. de his codicibus, Halae 1706.

[i] In Appendice ad Varias lectiones Euangel. Matth. p. 261. ſeq.

[k] Vid. *le Long*, Bibliothec. ſacr. pag. 300.

lumen rotatile Pentateuchi, quod *Naſrallah*, medicus arabs, Damaſco oriundus, Galliarum regi A. C. 1700. obtulit. Quod olim in vico *Iubar* iuxta Damaſcum fuiſſe, & tanti à Iudaeis factum dicitur, vt vel iurare ſuper illo vel in eo legere nefas crederent. [l]

CAP. XLIV.

DE *EDITIONIBVS MONVM. SACR. CELEBRIORIBVS.*

§. 299.

Editiones variae.

Poſt inuentam typographiam, monumenta ſacra lucem toties viderunt, vt ſatis exiguo pretio hodie facile acquirantur. Non eſt animus, editiones enarrare ſingulas: Sed eas tantummodo dabimus, quae vel propter famam, vel vtilitatem, accurationem & nitorem, ceteris praeferendae videbuntur.

Polyglottorum contenta.

§. 300. In his eminent *Biblia Polyglotta* ad Origenis imitationem adornata. In quibus, praeter variarum *rerum philologicarum apparatum*, complures *verſiones* ſunt compilatae. Habent haec pauciores, illa plures. Vt breuitati conſulamus, dabimus hic

[l] Vid. Animaduerſiones Hiſtoric. Hamburg. A. 1701. pag. 94.

hîc idiomatum, quae in canonicis V. T. libris in illis exhibentur, ſchema; vt dein ſolarum litterarum hic praemiſſarum beneficio ſingulorum contenta indicare poſſimus.

α) *Textus Ebraeus.*
β) Textus ebraei *verſio recentior latina.*
γ) *Targum Onkeloſi* Pentateuchi.
δ) Huius *Verſio latina.*
ε) *Targum Ionathanis* Pentateuchi.
ζ) Huius *Verſio latina.*
η) *Targum Hieroſolymitanum* Pentateuchi.
ϑ) Huius *Verſio latina.*
ι) *Targum* Ionathanis *in Prophetas.*
κ) Huius *Verſio latina.*
λ) *Targum in Hagiographa.*
μ) Huius *Verſio latina.*
ν) *Pentateuchus Ebraeo-Samaritanus.*
ξ) *Verſio Samaritana* Pentateuchi.
ο) Pentateuchi Ebraeo-Samaritani & Verſionis Samaritanae *Verſio latina.*
π) *Verſio Syriaca.*
ϱ) Huius *Verſio latina.*
σ) *Verſio Arabica.*
τ) Huius *Verſio latina.*
υ) *Verſio Perſica* Pentateuchi.
φ) Huius *Verſio latina.*
χ) *Verſio Aethiopica* Pſalmorum & Cantici canticorum.

ψ) Hu-

ד) Huius *Verſio latina.*
ω) *Verſio Graeca Alexandrina.*
א) Huius *Verſio latina.*
ב) *Verſio Vulgata latina.*
ג) *Verſio Germanica.*
ר) *Verſio Sclauonica.*

De librorum Apocryphorum & N. T. idiomatibus in Polyglottis obuiis ſuo loco dicetur.

§. 301. *Polyglotta Complutenſia* (α. γ. δ. ω. א. ב), mandato & ſumptibus *Francisci Ximenii de Cisneros*, Cardinalis & Archiepiſcopi Toletani, in VI. tomis, Compluti, A. C. 1514-1517. prodierunt. Complutenſia.

§. 302. *Polyglotta Antwerpienſia* (α. β. γ. δ. ι. κ. λ. μ. ω. א. ב.), ſumptibus *Philippi II. Hiſpaniarum regis*, in VIII. tomis, Antwerpiae, A. C. 1569-1572. prodierunt. Antwerpienſia.

§. 303. *Polyglotta Vatabli* (α. β. ω. ב.), in II. voluminibus, Heidelbergae, A. C. 1586. prodierunt. Vatabli.

§. 304. *Polyglotta Hutteri*, (α. β. γ. ι. ω. ג. ר.), Norimbergae, A. C. 1599. prodierunt. Hoc aueem opus totum lucem nunquam vidit. Hutteri.

§. 305. *Heptaglotta Pariſienſia* ſ. *Lutetiana* (α. γ. δ. ι. κ. λ. μ. ν. ξ. ο. π. ρ. σ. τ. ω. א. ב.), conſilio *Petri Cardinalis Berulli*, in Pariſina.

X. Voluminibus, Pariſiis, A. C. 1645. prodierunt.

Anglicana. §. 306. *Polyglotta Anglicana* ſiue *Londinenſia* (α. β. γ. δ. ε. ζ. η. ϑ. ι. κ. λ. μ. ν. ξ. ο. π. ρ. σ. τ. υ. φ. χ. ψ. ω. א. ב.), cura *Briani Waltoni*, in VI. tomis, Londini, A. C. 1653-1657. prodierunt.

Rabbinica Veneta & Baſileenſia. §. 307. Poſt polyglotta proximum damus locum *Rabbinicis* maioribus *Venetis* & *Baſileenſibus*; Quae vtilitate illis praeferenda videantur. In quibus continentur (1) *Textus ebraeus*, (2) *Paraphraſes Chaldaeae*, (3) *Rabbinorum* nonnullorum *Commentarii*, (4) vnacum *Maſora*. *Venetorum* duae primae editiones cura & ſumptibus *Dan. Bombergii* lucem viderunt. Et quidem (I) Opera Felicis Pratenſis, A. Iud. 278. A. C. 1518. (II) *Prima* opera R. Iac. Chaiim, A. Iud. 286. A. C. 1526. (III) *Secunda*, A. Iud. 307-309. A. C. 1547-1549. (IV) *Tertia*, A. Iud. 328. A. C. 1568. (V) *Quarta*, A. Iud. 377. A. C. 1617. (VI) *Qinta*, Baſileenſia, *Io. Buxtorfii* patris, Baſil. A. Iud. 378. 379. A. C. 1618. 1619.

Soncinatis. §. 308. In ceteris celebrioribus primum damus locum editioni *Gerſonis ben Moſe Soncinatis*, Brixiae, A. Iud. 254. A. C. 1494. in 8. minori. Qua Lutherus vſus creditur.

§. 309.

§. 309. *Seb. Münſteri*, cum noua ſua translatione latina. Baſil. 1534. 1535. fol. Quae prima eſt, quae per Chriſtianos in Germania lucem vidit, editio. Iterum prodiit ibidem, A. C. 1546. Seb. Münſteri.

§. 310. *Rob. Stephani*, in 4. Pariſ. A. 1539-1544. Et in 16. ibid. A. 1544-1546. Rob. Stephani.

§. 311. *Ariae Montani*, cum verſ. lat. Xantis Pagnini, in fol. in Burgo Aracenenſi in Hispania, A. 1581. Iterum Antwerpiae, A. 1584. Ariae Montani.

§. 312. *Eliae Hutteri*, Hamburg. 1587. fol. In qua litterae radicales à ſeruilibus diſtinguuntur. Hutteri.

§. 313. *Ioachimi & Frider. Hartmannorum*. Francof. ad Viadr. A. Iud. 355. A. C. 1595. Hartmannorum.

§. 314. *R. Manaſſis ben Iſraël*, ſumptibus Henr. Laurent. A. Iud. 395. A. C. 1635. R. Manaſſis ben Iſraël.

§. 315. *Ioannis Martinelli*, in 4. Venet. A. Iud. 399. A. C. 1639. Martinelli.

§. 316. *Ioſ. Athiae*, cum praefatione Io. Leusdenii, in 8. Prior, Amſtel. A. Iud. 421. A. C. 1661. Poſterior, A. Iud. 427. A. C. 1666. Hae editiones omnium correctiſſimae habentur; Ita tamen, vt priori praeferatur poſterior. Ioſ. Athiae.

Clodii. §. 317. *Dauidis Clodii*, in 8. Francof. ad Moen. A. Iud. 437. A. C. 1677.

Bragadina. §. 318. Ex officina *Bragadina*, per Dominicum Vedelago, curantibus Iehuda & Iac. Aſcher, in 4. Venet. A. Iud. 438. A. C. 1678.

Maii & Leusdenii. §. 319. Dav. Clodii, recognita à *Io. Henr. Maio*, & vltimo reuiſa à *Io. Leusdenio*; Francof. ad Moen. A. Iud. 452. A. C. 1692. in 8.

Iablonskii. §. 320. *Dan. Erneſti Iablonskii*; Berolini, A. C. 1699. in 8.

Van der Hooght. §. 321. *Euerardi van der Hooght*; Amſtelod. & Vltrai. A. C. 1705. in 8.

Opitii. §. 322. *Henrici Opitii*, Kilonii, A. C. 1709. in 4.

Maii. §. 323. *Io. Henr. Maii*; Francof. ad Moen. A. C. 1716. in 4.

Michaëlis. §. 324. *Io. Henr. Michaëlis*; Halae Magdeb. A. C. 1720. Accedunt tria volumina *Vberiorum Annotationum Philologico-Exegeticarum*. Ibid. A. C. 1719. 1720.

CAP.

CAP. XLV.

DE *ROTATILIBVS IVDAEORVM PENTATEVCHI VOLVMINIBVS.*

§. 325.

Iudaeos *pentateucho maiorem* quam ceteris sacri codicis monumentis *auctoritatem* tribuere, iam supra (§. 24.) monuimus. Adeo vero antiquitatis etiam sunt amantes, vt ipsius pentateuchi *rotatile volumen*, more veterum scriptum, quod *sepher torah* (ספר תורה), id est, *librum legis*, appellare consueuerunt, *libro*, in quo pentateuchus vel manu conscriptus vel typis expressus sit, *nostro more compacto* (חומש בעלמא) *multo reuerentius* habeant. Solo isto, non hoc, ad solennes in proseuchis praelectiones peragendas, vtendum esse praecipiunt; neque omni isto, sed tum demum, si ea habeat requisita, vt ad hunc vsum *aptum* (כשר) censeri queat. Quibus si destitutum sit, *ineptum* (פסול) pronunciant. Imo vsque eo ineptum vel esse vel fieri posse tale volumen statuunt, vt ab omni prorsus vsu sit remouendum. Haec igitur, & quae

Rotatilium pentateuchi voluminum apud Iudaeos pretium.

praeterea huc pertinere videantur, iam exponemus. (m)

Ne vendantur.

§. 326. Vendere libros, vt biblia noſtro more compacta, Miſchnam, Gemaram & Commentarios, Iudaeo non licet. Multo minus rotatile pentateuchi volumen; ſi vel ſumma penuria prematur. Quin ſi quis vel complura eiusmodi volumina habeat; vllum tamen eorum vendere prohibetur; (n) niſi pecunia indigeat, vel ad ſoluendum didactrum, vt erudiatur; vel ad faciendas nuptias; vel ad redimendum captiuum. Quae quidem regula omni exceptione non caret. Vendere enim licere vetus, vt accepto pretio nouum coëmatur, nonnulli ſtatuunt; ea tamen lege, ne in hoc emendo ſegnem ſe praebeat. Volumen autem multis erroribus ſcatens vendere nemo vetat.

Quilibet Iudaeus vnum ſcribat.

§. 327. Res praecepti eſt, vt Iudaeus tale pentateuchi volumen, licet per alios ſcriptis deſtitutus non ſit, ſibi deſcribat. (o) Cui praecepto non ſatisfecit, ſi emerit, & obuios in illo errores non correxerit. Quodſi vero vel ipſe ſcribat; vel, ſi id ipſe praeſtare nequeat, ſcribendi artis peritum (סופר) ad id faciendum conducat; vel, qui-

[m] Vid. Maimon. Hilchoth Sepher torah. It. Lebhuſch, in Atereth ſahabh, Hilchoth ſepher torah.

[n] Megillah, fol. 27, 1.

[o] Sanhedrin, fol. 21, 2. 22, 1.

quibus inſcribatur, membranis rite praeparandis operam det; vel ſibi id deſcribentis res familiares interea temporis curet; vel obuios in empto errores ſollicite corrigat, ſi vel vnica tantummodo littera correctione indigeat: Idem praeſtitit, acſi latae legi ad Sinai montem interfuiſſet. (p) Addunt, cum plures hodie ſacri libri necnon Miſchna & Gemara multique Commentarii extent; officio ſuo functum non eſſe niſi eum, qui & hos vel deſcripſerit vel coëmerit.

§. 328. Regis Iſraëlitici officium eſſe contendunt, vt duo pentateuchi volumina ſibi deſcribat; horumque alterum, vbicunque ſit, ad manum ſemper habeat. (q) Rex ſcribat duo.

§. 329. Sex potiſſimum res ſunt, de quibus ſollicitos eſſe oportet, ſi volumen *legitimum* vel *ad ſolemnem praelectionem aptum* (כשר) eſſe debeat. [1] De *materia*, *in qua ſcribatur*. [2] De *inſtrumento*, *quo ſcribatur*. [3] De *colore*, quo litterae pingantur. [4] Vt *ſcriptio legitime fiat*. [5] Vt *ſcriba* ſit *aptus*: [6] Vt *membranae* rite *conſuantur*, & *cylindris* debite *applicentur*. Requiſita legitimi voluminis.

§. 330. Traditionem à Moſe acceptam eſſe dicunt, ne niſi in *pellibus* ſcribatur. In pelli- In mundorum animalium pellibus ſcribatur.

[p] Mnachoth, fol. 30, 1. [q] Sanhedrin, fol. 21, 2.

pellibus autem *mundorum animalium* cicurium vel ferarum vel & auium mundarum. Num vero rite mactata sint ista animalia, an non, an morbida fuerint, nihil interest. [r] Modo immundorum animalium, vel piscium etiam mundorum, pelles non adhibeantur. Studio [לכתחלה] in eodem volumine animalium cicurium & ferarum pelles misceri non debent. Quodsi tamen factum sit [בדיעבד], non impedit, quo minus legitimum habeatur volumen.

Membranarum praeparatio.

§. 331. Vel *gallis* (עפצים) vel *calce* (סיד), vel simili materia, cuius astringente virtute contractae (מכווצין) crassitiem contrahant (מחזיקין), *praeparentur pelles*; nisi ineptae haberi debeant. Neque vero omnes ita praeparatae sunt aptae; sed eae tantummodo, quae hunc praecise in finem sint praeparatae, vt pentateuchi volumini sibi inscribendo inseruiant (לשם ספר תורה). Quare eas in calcem reponens coriarius verba recitet: *Has pelles ego praeparo, vt sacrum pentateuchi volumen iis inscribatur* (עורות אלו אני מעבד לשם קדושת ס"ת) Israëlita igitur esto; non idolorum cultor (ע"א). Vel adiuuet hunc saltem Israëlita, qui haec verba pronunciet. Quod si factum

[r] Maslechet Sophrim, cap. 1. fol. 10, 1 Per היקש concluditur à תפלין ad ס"ת; vid. Maccoth, fol. 11, 1.

ctum non ſit; vel ſi etiam ſcriba tantummodo dixerit, pelles à ſe rite praeparatas non eſſe: Volumen ad publicas praelectiones illegitimum declaratur; nec maior eius quam *vulgaris libri* (חומש בעלמא) ſanctitas eſt.

§. 332. *Membranarum* ex pellibus confectarum, quibus rotatile pentateuchi volumen inſcribi poſſit, *duae* ſunt *ſpecies*. *Vna*, quarum altera tantummodo *ſuperficies*, ea nimirum *quam pili veſtiuerant*, *ad inſcribendum apta redditur* (גויל), altera rudi relicta. *Altera ſpecies* eſt *lamella pellis exterior* (קלף), à qua interior (רוכסוסשום) vel abradendo vel alio modo ſit ſeparata. Traditione Moſaica ſe didiciſſe contendunt, quod *vtrique* ſpeciei *pentateuchus recte inſcribatur*; eo vero diſcrimine obſeruato, vt in *ſpeciei prioris* (גויל) *exteriori ſuperficie*, in qua pili fuerant, litterae pingantur; in *laminae* autem *exterioris ſeparatae* (קלף) *interiori ſuperficie*. Quodſi ſecus fiat, vel vtriusque generis membranae ad idem volumen adhibeantur; illegitimum eſſe contendunt. [s] *Veteres* membranis, *quarum exterior* tantummodo *ſuperficies* ſcripturae *aptata* eſſet, (גויל) vt plurimum vſos fuiſſe; *hodiernos*

Duae membranarum ſpecies.

[s] Hieroſ. Megillah, cap. 1.

hodiernos autem *alteram* earum *ſpeciem* [קלף] praeferre, monent.

Plagulae voluminum.

§. 333. Cum vnicae pelli totus pentateuchus inſcribi nec poſſit nec debeat; vt ex pluribus *plagulis* [יריעות] volumen conſiſtat, neceſſe eſt. Eam autem plagularum latitudinem eſſe debere praecipiunt, vt non pauciores quam 3. nec plures quam 8. *columnae* [דפין], iis inſcribantur. Hinc ſi qua pellis 9. columnas capiat; eam ita diſſecari iubent, vt in parte altera 4, in altera 5. columnae locum inueniant. [t] *Plagularum longitudinem* totius *voluminis conuoluti peripheriam aequare* debere praecipiunt. (u) Vtriusque menſuram *6 palmorum* apud veteres fuiſſe, tradunt: Quae autem hodie non ſemper obſeruetur.

Calamus.

§. 334. Sunt, qui praecipiant, *calamo ex canna* confecto (קולמוס של קנה), non penna [נוצה], ſcribendum eſſe pentateuchi volumen. *Hodie* autem *pennis* ſcribunt.

Atramentum.

§. 335. Ne niſi *atro colore* pentateuchi volumen ſcribatur. Cuius ſi vel vnica littera alio colore, vt rubro vel flauo, picta vel ex auro formata ſit; ineptum habetur. Traditionem Moſaicam eſſe dicunt, quod *ſpecies, ex quibus atramentum* [דיו] confectum

[t] Mnachoth, fol. 30, f.

[u] Babha bathra, fol. 14, 1.

ctum sit, *arboris prouentus* esse debeant. Commendantque *fumum ex oleo* (עשן השמנים) *aqua gallorum solutum* (שרוי במי עפצים) *Atramentum* tamen praeparatum *ex gallis* [מי עפצים] *& vitriolo* (קנקנתום) legitimum quoque esse concedunt. Scriptis atramento litteris inductum aurum praelectioni ineptum volumen non reddit; dummodo nominibus diuinis parcatur. Quodsi tamen & horum aliquibus, modo non multis, aurum fuerit inductum; si tollatur, & atramento litterae de nouo illinantur, legitimum redditur. Biblia vulgaria alio quam atro colore scribere permittunt: Nomina tamen diuina atramento exarare suadent.

§. 336. Ne quid circa ipsam *scriptionem* peccetur, de *quatuor* potissimum *rebus* sollicitus sit scriba. [1] Vt *vacua spatia*, vbi & qualia esse debent, relinquantur. (2) Vt *columnis iusta* detur *mensura*. (3) Vt *lineae ducantur*. (4) *Ne* quid *in scribendo* peccetur. Scriptionis momenta.

§. 337. A scriptura *vacua* relinquatur *margo* (גליון) plagularum *superior* trium digitorum latitudine non angustior; *inferior* autem quatuor ad minimum digitorum (w) *Inter binas columnas* (רפין) *duorum digitorum* vacuum *spatium* maneat. Hinc in vtra- Margo plagularum & columnarum interstitia.

[w] Mnachoth, fol. 30, 1.

vtraque conſuendarum plagularum extremitate tantum vacui ſpatii ſit, vt, facta ſutura, vnius digiti vacuum ſpatium vtrique ſuperſit. Extremarum autem voluminis plagularum extremae columnae tantum à membranae extremitate diſtent, vt, membrana cylindro circumuoluta, duorum inter cylindrum & proximam columnam digitorum vacuum ſpatium appareat. (x) Nihil tamen peccatur, ſi in poſtrema plagula vnica tantummodo columna conſcribatur; dummodo plena iſta columna ſit.

Librorum interſtitia.

§. 338. *Inter* ſingulos pentateuchi *libros* (בין כל חומש וחומש) *quatuor linearum* vacuum *ſpatium* (ד׳ שטין פנויות) relinquatur; & noui libri initium in quinta compareat linea. (y)

Interſtitia ſectionum.

§. 339. De *ſpatiis inter ſectiones* (פרשיות) relinquendis non conuenit inter doctores [פוסקים]. Hinc legitimum volumen eſt, dummodo ad alicuius doctorum nutum interſtitia haec fecerit ſcriba. Quodſi vero ingenio ſuo confiſus, nullius ſententiam ſit ſequutus, illegitimum volumen eſt. Multoque magis, ſi loco *ſectionis apertae* [פרשה פתוחה] *clauſam* [סתומה], vel vice verſa, fecerit. Qui error tantus eſt, vt emendari non poſſit. (z)

§. 340.

[x] Babha bathra, fol. 13, 2. 13, 2. 14, 1.
[y] Babha bathra, fol. 2.
[z] Schabbath, fol. 103,

§. 340. De *interſtitio aperto* (פרשה פתוחה) ſequentem in modum praecipiunt. Vbi id eſſe debet, ſectio poſterior ſemper à lineae principio incipiat. Hinc operam det ſcriba, vt ſectionem priorem in lineae medio ita finiat, vt vacuum maneat ſpatium, cui *9. ad minimum litterae* inſcribi potuiſſent: Faciatque *poſterioris ſectionis* ſcribendae *initium in lineae* proxime ſequentis *principio.* Addit vero Maimonides, ſi ita prior ſectio finiri nequeat; ſed vel ſpatium, quod pauciores quam 9 litteras capiat, relinquendum ſit; vel ſi prior ſectio in lineae fine terminetur: recte quoque procedi, ſi *vacuum totius lineae ſpatium* relinquat ſcriba, & nouam ſectionem à tertiae lineae initio ſcribere incipiat. Quo in caſu, ſi prior ſectio in vltima columnae linea finiatur; ſequentis columnae prima linea vacua relinquatur, & à ſecundae principio ſcribendi initium fiat. Aperta.

§. 341. *Interſtitii clauſi* (פרשה סתומה) hae ſunt leges. Vbi id eſſe debet, *poſterior ſectio nunquam à lineae principio* incipiat. Hinc qua in linea prior ſectio finitur, in eadem poſterior inchoëtur, *nouem litterarum* vacuo *ſpatio* inter vtramque relicto. Verum & hic liberalior eſt Maimonides. Statuit enim, ſi poſt finitam priorem ſectionem non tantum ſpatii in eadem ſu- Clauſa.

perſit

perſit linea, quod nouem litteris non ſcribendis & primae praeterea ſequentis ſectionis voci ſufficiat; iſtius lineae finem & ſequentis initium vacuum relinqui poſſe, & in huius medio ſcribendi initium fieri. Si vero prior ſectio ad lineae finem pertingat, in ſequentis lineae fronte vacuum 9 litterarum ſpatium eſſe relinquendum.

Canticorum vacua ſpatia.

§. 342. *Cantica* ſi eodem modo, quo reliquus textus, ſcribantur; vel ita reliquus textus vt carmina: illegitimum volumen eſt. [a] *Canticum Exod. XV.* [שירת הים] *in 30. lineis* ſcribatur; earumque prima modo ordinario. Dein alternatim, *in prima linea bina ſpatia*, ſimul ſumpta 9. litterarum capacia; *in altera* totidem litterarum capax *ſpatium vnum*, relinquantur; & ita quidem, vt vnius lineae vacua ſpatia alterius ſcripturae, & vice verſa, incumbant. Quam vocant *ſcriptionem ad formam dimidii lateris ſuper integro latere* [אריח על גבי לבנה]. Qua eadem methodo cetera quoque ſacri codicis cantica ſunt ſcribenda. *Canticum* autem *Deut. XXXII.* [שירת האזינו] *lineas* 70. *impleat*: Quae *ſingulae vnum vacuum ſpatium in medio* habeant. Praecipit de hisce pentateuchi canticis ita praeterea Maimonides. Lineae quinque prius eorum proxime prae-

[a] Schabbath, fol. 103, 2.

praecedentes ab his incipiant vocabulis; prima ab הבאים; ſecunda à ביבשה; tertia ab השם; quarta à מח; quinta à במצרים. Quinque autem lineae hoc carmen inmediate ſequentes ab his vocabulis incipiant; prima à ותקח; ſecunda ab אחריה; tertia à סום; quarta à ויצאו; quinta à ויבאו. Poſterius horum carminum proxime praecedentes ſex lineae incipiant, prima à ואעירה ſecunda ab אחרי; tertia ab הורך; quarta à באחרים; quinta à להכעיסו; ſexta à קהל. Quinque linearum hoc carmen proxime excipientium incipiat prima à ויבא; ſecunda à לדבר; tertia ab אשר; quarta ab הזאת; quinta ab אשר.

§. 343. In *poſtrema* totius *pentateuchi* voluminis *linea* ſola verba לעיני כל ישראל ſcribantur; Eaque *non niſi dimidiam lineam* implcant. (b) Vltimae pentateuchi lineae vacuum ſpatium.

§. 344. *Spatium inter lineas* vacuum latitudine ipſarum linearum latitudinem aequet (c) Spatium vacuum inter lineas.

§. 345. Ea *columnarum* (רפין) ſit *longitudo*, vt, quot capere debet, capere poſſit lineas. *In columna* autem vna *non pauciores* quam 48, ſecundum alios 42; *nec plures* quam 60. lineas, ſcribere ſolent. Columnarum longitudo.

§. 346.

[b] Mnachoth, fol. 30, [c] Ibid.

Latitudo.

§. 346. *Latitudo columnarum* autem ita comparata esse debet, vt *lineae* (שטות) 30 *capiant litteras.* [d] Ne sunto breuiores lineae, ne epistolae speciem referant; neque longiores, ne legentium oculi, nouam lineam quaerendo, oberrent.

Lineae ducantur.

§. 347. *Lineae ducendae* sunt, quae scribentis manum dirigant. [ס׳ת צריך שרטוש] *Quod nisi factum sit, illegitimum volumen est.* (e) Illae autem *stylo* membranae sunt *imprimendae*, vt *vestigia depressiora* remaneant; non cerussa, vel alia materia, quae colore membranam imbuat. Quin si quid ex sacris monumentis vel *chartae* (נייר) inscribatur, *lineas duci* iubent.

Scriptio ne fiat nisi post recitatam formulam.

§. 348. Scriba volumen *eo consilio* scribat, vt *legitimum pentateuchi volumen* sit (לשמו). Hinc scribendi initium facturus, haec verba clara voce pronunciet: *Hoc volumen ego scribam, vt sacrum legitimumque pentateuchi Mosis volumen sit.* (ספר זה אני כותב לשם קדושת ספר תורת משה). Quod si in scriptionis saltem exordio pronunciatum non sit; sunt, qui volumen illegitimum esse contendant.

Non nisi ex alio volumine.

§. 349. *Transscribat* (העתיק) *ex volumine alio*, & *ne* vnicam quidem litteram *memoriter* scribat. Quin vnamquamque vocem *clara voce ante pronunciet*, quam eam scri-

[d] Ibid. (e) Megillah, fol. 16, 2.

ſcribat. Sic enim non committet errores. Traduntque Talmudici, Moſen quoque ſingulas voces, priusquam eas ſcriberet, deo dictante, ore ſuo repetiiſſe.

§. 350. *Dextra* ſcribat, non ſiniſtra; quam poſſit *nitidiſſime*; *litteris quadratis* (כתיבה תמה) plene expreſſis, (f) non characteribus Italicis. *Vnaquaeque littera* ſcribatur *ſeparatim* (מוקפת גויל), vt *nulla alteram contingat* (בלא נגיעה), ſed ad minimum pili ſpatium inter eas intercedat. (g) Quare *omnibus* omnino *ſcribendi compendiis* ſollicite eſt *abſtinendum*. Neque tamen nimis magna eiusdem vocis litterarum diſtantia ſit; ne vox vna pro duabus habeatur. Contra ea *inter binas voces* id ad minimum *interuallum* relinquatur, *cui parua littera inſcribi* poſſit; ne duae voces pro vna reputentur. (h) Quae niſi ſollicite obſeruauerit ſcriba, illegitimum volumen erit. Dextra; nitide; & litteris quadratis.

§. 351. Per totum volumen *litterae eandem* habeant *magnitudinem*; nec minores eo fine quarundam linearum litterae pingantur, vt margo ſuperior & inferior, vel etiam ſpatium inter binas ſectiones vacuum Litterae ſint aequales.

(f) Schabbath, fol. 103, 2.
(g) Mnachoth, fol. 30, 1.
(h) Ibid.

cuum relinquendum iuſtam nanciſcatur menſuram. (i) *In ſola poſtrema columna*, & ſi vel vnicus verſus ei inſcribendus ſuperſit, vt compleatur, *litteras* in longitudinem & latitudinem *diducere* licet.

Quid faciendum, vt lineae compleantur.

§. 352. Hinc *neque* pro complenda linea *litterae dilatentur*, *neque* vocis in proxima linea ſequentis primae litterae in vacuo ponantur ſpatio *cuſtodes*. Sed ſi ſequens vox dimidia vel plures eius litterae in ipſa linea ſcribi poſſint; ſcribatur, & ſuperfluae litterae columnae limites tranſiliant; ſi timendum non ſit, ne pro ſeparata voce ab incauto habeantur, vel nomen ſit divinum. Alias ſpatium relinquatur vacuum. *Haec* autem cum ornatus cauſa tantummodo praecipiantur, *volumen non faciunt illegitimum*, ſi nimis ſcrupuloſe non obſeruentur.

Litterae ſingulae ſint illaeſae.

§. 353. Contra ea quemadmodum *illegitimum volumen* eſt, *ſi vel vnica littra imperfecte* ſit *expreſſa*, vel alia quadam imperfectione laboret (אם תפסל שום אות), *in ipſa ſcriptione* (בעיקר הכתיבה); Ita quoque, ſi deinceps imperfecta reddatur, vel *membranae laceratione* (קרע), vel *foramine* (נקב), vel inſperſa *macula* (טשטוש).

Apices litterarum.

§. 354. Litterae שעטנז גץ *apicibus* (זיונין) ſiue *coronis* (תגין) ſunt ornandae. (k)

Ad

(i) Ibid.

(k) Mnachoth, fol. 29, 2.

Ad quos apices Chriſtum alicubi reſpexiſſe, nonnulli opinantur. Sed minus vere, vt videatur.

§. 355. Data opera (לכתחלה) *litterae*, quae in repudii libello *ſupra & infra lineam* extenduntur, diducendae non ſunt. Quodſi tamen factum ſit (כשיעבר), illegitimum volumen non eſt. Litterae ſupra & infra lineam extenſae.

§. 356. Si loco *pleni vocabuli* [מלא] *defectiuum* (חסר), vel vice verſa, ſit ſcriptum; Item ſi loco *vocabuli in ipſo textu obuii* (כתיב), id *quod Maſorethae ſubſtituerunt* (קרי): illegitimum eſt volumen. Voces plenae & defectiuae.

§. 357. *Pentateuchi volumen punctis vocalibus inſtructum & accentibus illegitimum eſt* (ס"ת המנוקד פסול). Cuius rei hanc allegant rationem, quod & *ex lectione per hodierna puncta vocalia, & ex lectione diuerſa, quam nudae conſonantes patiantur, argumenta* pro legibus ſint *depromenda* (יש אם למקרא ויש אם למסרת). Hinc per ſubiecta puncta vocalia rationes legum, quae ex lectione per nudas conſonas deriuentur, ſubuerti. Quare hoc *peccatum tantum* eſt, *vt nec per deleta puncta* vocalia *legitimum reddi queat* volumen. Par ratio eſt, ſi *diſtinctio verſuum ſignis* exprimatur. Nam pro ſtabiliendis nonnullis legibus diuerſi quoque verſus pro vnico nonnunquam ſunt legendi. Addunt, quod Signa vocalium, accentus & diſtinctionis verſuum abſint.

haec ſigna ex monte Sinai originem non habeant.

Litterae maiuſculae, &c.

§. 358. De quibus *litteris maiuſculis, minuſculis*, &c. in Gemara praecipitur; illae religioſiſſime ad Gemarae praeſcriptum ſunt pingendae. De quibus autem in Gemara nihil praecipitur; eas pingunt, quales in voluminibus, ex quibus transſcribunt, inueniunt.

Quomodo omiſſa inſerenda.

§. 359. Si vel vnam vel & plures *voces* ſcriba per errorem *tranſilierit* ſcribendo (שעה ודילג); *lineae* eas, ſi commode fieri poſſit, *ſuperinſcribere licet* (חלות בין השיטין); *non* ſcribere *in ſpatio inter binas columnas* vacuo (ריוח שבין דף לדף). Quodſi vero aliquot lineas ſcribendo tranſilierit; loco plagulae, in qua error ſit commiſſus, aliam ſcribat.

Antequam nomina diuina ſcribantur, formula recitetur.

§. 360. *Septem nomina diuina* (השבעה שמות vel אזכרות) ſequentia, יהוה & אדני & צבאות & שדי & אלהים & אלוה & אל, quibus nonnulli אהיה אשר אהיה addunt, ſcriba quam maxime reuerenter habeat. Diuerſa eorum, quae non niſi attributum diuinum ſignificant, ratio eſt. Iſtorum autem nullum ſcribat, niſi antea hanc recitauerit formulam: *Ego hoc nomen ſcribam, vt in dei gloriam cedat* (שם זה אני כותב לשם קדושת השם). Eamque repetat formulam, quotiescunque horum nominum

minum aliquod ſcribendum occurrat. Quod facere *ſi vel ſemel neglexerit, illegitimum volumen eſt;* (l) Nec legitimum reddi poteſt, ſi iam ſcripto nomine formulam recitet, & atramento litteras de nouo illinat. *Nomina diuina non niſi atro colore* ſcribenda eſſe, iam ſupra monuimus.

§. 361. *Non interrupto actu* & ſine vlla diuiſionis nota *nomina* haec *diuina ſcribat.* Hinc (1) vel ab Iſraëlitarum rege ſalutatus, dum tali nomine ſcribendo occupetur, ne reſpondeat. [m] (2) Quin calamum, dum horum nominum aliquod ſcribat, atramentario ne *inſerat.* Quodſi vero atramentum deficiat, ex *litterarum* eiusdem nominis iam exaratarum aliqua ad ceteras effingendas id petat; non ex atramentario. [3] Si nomen diuinum ſcribere oblitus fuerit; totum illud lineae ſuperinſcribere licet (תולה אותו בין השישות). Quodſi vero vnam alteramue eius litteram ſcribere oblitus fuerit, easque lineae ſuperinſcribat; illegitimum volumen eſt. (4) Nulla nominum diuinorum littera extra columnae limites vagetur; ſed omnes intra eam ſcribantur. Continuo actu & indiuiſim ſcribantur.

§. 362.

(l) Gittin, fol 54, 2.
(m) Maſlecheth Sophrim, cap. 5. fol. 10, 4.

Ne deleantur.

§. 362. *Machak* (מחק) significat, *delere* scripta *atramento adhuc madente*; *Grar* (גרר) autem, *delere atramento iam arido facto*. Id quod sciri debet, si Iudaeorum statuta de nominibus diuinis non delendis recte intelligere velis. Sunt autem sequentia. (1) *Scribere licet nomen diuinum* in loco, *vbi aliud* quoddam *vocabulum* est *deletum* vel madente adhuc atramento (על מקום המחק) vel eo iam arefacto (על מקום הגרר). [2] Ne maculae rasione auferendae inter scribendum occasio detur, *ne* tum demum *potet calamum* scriba, *vbi ad nomen diuinum* scribendum *peruenit*; sed id faciat, antequam vltimam praecedentis vocis scripserit litteram. Vel, si id facere oblitus fuerit, calamo recens potato, antequam nomen diuinum scribat, aliquam praecedentium litterarum non satis expressam denuo illinat. (3) Vti enim *nullibi*, ita nec in pentateuchi volumine, *nominum horum diuinorum aliquod*, quin ne vnicam quidem eorum litteram, *delere licet*. Imo ne suffixum quidem iis subiunctum delere fas est, quamdiu atramentum madeat (למחוק); licet tamen, arefacto atramento (לגרור). [4] *Neque minus*, nomine nondum plene exarato, scriptas iam litteras אל ex אלהים, vel יה ex יהוה, *delere vetant*; Quod illae *solae nomen diuinum iam constituant*. שד autem ex שדי, vel צב ex צבאות, quod nomen diui-

diuinum nondum efficiant, delere licet. Sunt etiam, secundum quos אר ex ארני, & אה ex אהיה delere liceat: Quod tamen plerique vetant. (5) *Quodsi* vero aliqua nominis diuini *littera alteram contingat*; eam, vt debite rescribatur, *tollere licet.* (6) Si pes τοῦ ה sinister in tetragrammato (השם של ר׳) lineolae superiori transuersae ita penitus adhaereat, vt ח referat; totum illum *pedem tollere licet*, vt debite rescribatur (להקן). (7) Si quis loco vocabuli יהורה tetragrammaton scripserit; omissum ר *lineae superinscribere licet.* [8] Si יהורה scripserit, loco tetragrammati; *ex* ר *celeriter* ה *faciat, & posterius* ה *deleat.* (9) Si *atramentum* supra nomen diuinum *effusum* fuerit; *delere* illud & *rescribere licet.* [10] Denique *ex nominis diuini* litteris *superfluum atramentum* penna *depromere*, eoque alias voces scribere, *nefas non est.*

§. 363. Sunt aliqui *scribarum lusus.* (1) Quippe nonnulli ita volumina scribere consueuerunt, vt *verba*, ב״ה ש״מו, id est, בראשית Gen. I, 1; יורוך Gen. XLIX, 8; הבאים Exod. XIV, 18; שני Lev. XVI, 8; מה טבו Num. XXIV, 5; ואעירה בם Deut. XXXI, 28; *prima* sint *in columna.* [2] Alii ita, vt *singulae columnae à littera* ו incipiant; Quae volumina וו העמודים appellari solent. Lusus scribarum.

lent. Quia autem ſcriptionis ornatus hoc artificio facile impeditur; non probatur.

Scriba aptus.

§. 364. Cum tam multa religioſe obſeruanda ſint in pentateuchi volumine rite exarando; ſi legitimum eſſe debeat, *ſcribat* id non niſi peritus & religioſus *ſcriba* [סופר] *Iudaeus*. Qui tamen *ſi* poſt peractum laborem *dicat*, *ſe nomina diuina cum debita circumſpectione non ſcripſiſſe*, [לא כתבתי האוכרות לשמ]; volumen quidem propterea ineptum [פסול] non habetur; *merces* autem *ipſi non ſoluitur*. Volumen etiam, quod *proſelytus* [גר], qui prae timore à Iudaiſmo reſilierit, ſcripſit, genuinum [כשר] habetur.

Scribae inepti.

§. 365. *Illegitima* autem pentateuchi *volumina* ſunt, quae vel [1] *Iſraëlita apoſtata* [איש מרי שהוא מוסר], vel [2] *mancipium* [עבר], vel [3] *femina* [אשה], vel [4] *minorennis* (קטן), [n] vel [5] *Cuthaeus* (כותי), vel [6] *ex inceſtuoſo coitu progenitus* [ממזר] ſcripſerint. Quod vero *epicureus* [אפיקורוס] ſcripſerit, eſt *comburendum*. *Quod* ab ipſo non ſcriptum *apud eum reperiatur*, *ſepeliendum* (יגנז). Quod *idololatra* (ע"א) ſcripſerit, *ſepeliatur*. Quod ab ipſo non ſcriptum

(n) Gittin, fol. 45, 2. Probatur per היקש, quoniam hae perſonae de geſtandis phylacteriis non tenentur. Vid. & Mnachoth, fol. 42, 2.

ptum apud eum inueniatur, ſecundum nonnullos genuinum eſt, ex quo ſolenniter praelegere liceat (כשר לקרות בו); ſecundum ceteros autem eſt ſepeliendum. Redimi tamen ab eo iubent; niſi nimis magni id aeſtimet.

§. 366. *Moſaicam ex Sinai monte traditionem* eſſe contendunt, vt ne alia materia, quam *neruis, plagulae conſuantur* (שאין תופרין ס"ת אלא בגידין). *Nerui* autem eſſe debent *animalium mundorum*. [o] Horum autem cicurium an ferarum ſint, nihil intereſt. *Sin aliter fiat, illegitimum volumen eſt.* Plagulae neruis conſuantur.

§. 367. Ita vero *ſutura* (תפירה) ſit comparata. Superius & inferius aliquantulum non conſutum relinquatur. Media continua ſerie conſuantur; Exterius autem, & ne fila interius conſpiciantur. Si ſecus fiat, illegitimum volumen eſt. Sutura qualis.

§. 368. Si vel vnica plagula cum ceteris conſuta non ſit; licet non deſideretur, ſed *in* ipſo volumine aſſeruetur: praelegere tamen ex eo non licet, donec ſuo loco ſit inſerta. Quodſi vero futurae aliqua pars diſſoluta ſit; dummodo vel quarta vel quinta eius pars adhuc firma haereat, praelectioni ſolenni nihil obeſt. Vitia in conſuendo.

§. 369.

(o) Megillah, fol. 19, 1.

Cylindri. §. 369. *Binis cylindris* [עמודים], quos *lignum vitae* [עץ חיים] ſalutare ſolent, in duabus ſuis extremitatibus *inſtruatur pentateuchi volumen.* [p] His quidem, *neceſſitate cogente* [בשעת הדחק], *ſerico* [משי] circumſuere membranas licet, vt praelegi ex volumine poſſit. *Operam autem dent, vt neruos nanciſcantur.* Qui quam primum ad manus ſint, non amplius praelegere ex volumine licet, donec, ſublato ſerico, neruis circumſutae ſint membranae cylindris.

Emendatio voluminis. §. 370. De *emendatione* [הגהה] *errorum* à ſcriba commiſſorum Iudaei ſequentem in modum praecipiunt. [1] Pentateuchi volumen, *in quo errores ſint* [בעל מום], imo *ſi vel vnica littera abundet aut deſideretur, illegitimum* (פסול) eſt. (q) (2) Quid faciendum ſit, *ſi inter praelegendum inueniatur mendum*, de eo non omnes conſentiunt. Media ſententia, quam ſequi ſolent, haec eſt: Reperto mendo, *reponatur illud volumen; promatur aliud*, inque eo praelegi pergatur. [3] Si quo in volumine *tres errores* fuerint inuenti, non ſufficit, vt illi corrigantur; Sed *praelegere ex eo nefas* eſt, *donec totum perluſtratum* & ab erroribus liberatum fuerit. [4] Nemo in corrigendo ſegnem ſe praebeat; ſed vel *intra* 30. *dies menda*

(p) Babha bathra fol. 14, [q] Babha bathra, fol. 15, 1.

menda tollat (תקננו), vel volumen ſepeliat (יגנזנו). (r) (s) *Volumen*, quod tot *erroribus ſcateat*, vt difficulter emendari poſſit, *ſepelire* iubent. (s) [6] Denique ſalutariter praecipiunt, *ne* quis *in corrigendo vagam ſequatur coniecturam* [על פי הסברא]; ſed vt certo conuictus ſit, corrigenda in mendo eſſe. (בראיה ברורה שיש בו טעות).

§. 371. Si qua voluminis ſacri *plagula laceretur* [שנקרעה], fiſſura vel in columnarum vel binarum vocum vacuum interſtitium, nec vltra ſecundae vel tertiae lineae regionem, penetrante; eam adhibere licet medelam, vt *fiſſurae labia* [שפתי הקריעה] *neruis*, ſerico autem vel lineo filo [במשי או בחושין] non extra ſummae neceſſitatis caſum, *contrahantur*. [t] Caueat autem conſuens, aliquam *litteram* acu tangat vel *laedat*. Licitum quoque nonnulli pronunciant, vt *aſſumentum* membranae *extrinſecus iniiciatur*: Neque minus in iſto caſu, ſi, foramine facto, integra quaedam littera vel vox ſit ablata, iniecto aſſumento de nouo inſcribenda. Quodſi vero *littera aliqua* ſit *laeſa, vel eius* tantummodo *intermedium ſpatium vacuum* [חלל]; medelarum harum neutram adhibere licet: Sed *tollenda*

Medela volumini lacerato adhibenda.

[r] Ktubhoth, fol. 19, 2.

[s] Mnachoth, fol. 29, 2.

(t) Mnachoth, fol. 31, 2.

da est *plagula*, & noua substituenda. Tollere quoque plagulam licet, quae vetustate sit detrita, ceteris saluis, & substituere nouam. Quodsi vero *plagulam* tollere opus sit; *ne pauciores tribus tollantur*, si vel vnica renouatione tantummodo indigeat.

Momenta, per quae volumen ineptum redditur.

§. 372. Repetemus ex Maimonide viginti momenta, quorum vnumquodque rotatile pentateuchi volumen *ineptum* [פסול] reddit, vt in proseucha ex illo solenniter praelegi non debeat. [1] Si animalis immundi pellibus sit inscriptum. (§. 330.) (2) Si pelles non rite sint praeparatae. (§. 331.) (3) Si pelles cetera bene quidem sint praeparatae, non vero hunc in finem, vt sacrum pentateuchi volumen iis inscribatur. (§. 331.) (4) Si membranae גויל interiori, vel membranae קלף exteriori superficiei sit inscriptum. (§. 332.) (5) Si partim in גויל partim in קלף sit scriptum. (§. 332.) (6) Si in pellis interiori lamella (רוכסוסטום) sit scriptum. (§. 332.) (7) Si lineae non sint ductae. (§. 347.) (8) Si bono & durabili atramento non sit scriptum. (§. 335.) (9) Si alio quam Ebraeo idiomate sit scriptum. (10) Si per epicureum ceterasue personas ineptas sit scriptum. (§. 365.) (11) Si nomina diuina debita reuerentia non sint scripta. (§. 360.) (12) Si vel vnica littera desideretur. (§. 370.) (13)

Si

Si vel vnica littera abundet. (§. 370.) (14) Si vel vnica littera alteram contingat. (§. 350.) (15) Si qua littera sit imperfecta, vel vitio scribentis, vel per foramen, vel per fissuram, vel per insparsam maculam, reddita. (§. 353.) (16) Si qua vox in duas sit separata, vel inter duas voces debitum interstitium non compareat. (§. 350.) (17) Si sectionum interstitia iusta non sint. (§. 339. 340. 341.) [18] Si cantica non sint rite scripta. [§. 342.] [19] Si quid de reliquo textu ad carminum formam sit scritum. [§. 342.] [20.] Si plagulae animalium mundorum neruis non sint consutae. [§. 366.] Monet Maimonides, cetera ita quidem, vt praecipiatur, fieri debere: Si quid tamen in iis fuerit peccatum, ineptum volumen non reddi. (שאר הרבריס למצוה לא לעכב).

§. 373. Cum legis doctores honore prosequi fas sit; *libri* quoque *sacri*, quam maxime autem legitimum pentateuchi volumen, *reuerenter* sunt *habendi* (לכבר). De hoc ita praecipiunt Iudaei. (1) *Specialis* illi *locus*, vbi asseruetur, est *assignandus* (ליחר לו מקום); qui *reuerenter habeatur* (לכבר המקום ההוא), & prae ceteris conclauibus *ornetur* (להדרו ביותר). (u) (2) Si quis

Pentateuchi volumen reuerenter est habendum.

[u] Brachoth, fol. 31, 2.

quis tale volumen ſacrum geſtari videat; coram eo *aſſurgat*, & id in locum ſuum *comitetur*, ibique ſubſiſtat donec reconditum ſit. (w) (3) *Nemo conſideat in lecto, in quo* ſit *repoſitum.* (x) (4) *Nemo nudis manibus* id *contrectet.* (y) (5) *Ne* coniiciat vel *reponat in terram*, ne quidem in gradus, per quos ad armarium ſacrum adſcenditur. (6) Volumen ſacrum, & vel vnica illius plagula (יריעה), *ne* ita ſeponatur, vt *ſcriptura deorſum* ſpectet. (7) *Libri alii* ei *ne ſuperimponantur*, (8) *Nemo capiti* inſtar oneris id *imponat.* (לא יניחנו על ראשו כמשוי) (9) In aſino cum tali voiuminc *equitans*, ne ſub ſe, ſed in ſinum ſuum *è regione cordis*, *ponat.* [z] (10) *Tergum* ei *nemo obuertat* (לא יחזיר לו אחוריו), niſi decem palmis in altum elatum ſit volumen, [11] *Ne* quis coram eo *exſpuat* [לא ירוק לנגד ס"ת]. [12] *Ne pede* verſus illud *calcitret* (לא ידשוש רגלו כנגדו). [13] *Genitalia* coram eo *ne denudet* (לא יגלה ערותו כנגדו). (14) In quo conclaui eſt, *cum vxore ne concumbat.* (a) (15) Quemadmodum *in locis immundis* res ſacras vel meditari nefas eſt; ita

[w] Kidduſchin, fol. 33, 2. Maccoth, fol. 22, 2.

[x] Mnachoth, fol. 32, 2.

[y] Schabbath, fol 14, 1. Megillah, fol. 32, 1.

[z] Brachoth, fol. 18, 1.

[a] Brachoth, fol. 25, 2. 26, 1.

ita multo magis, *ſacrum pentateuchi volumen* eo *deferre*; vt in *locum ſeceſſus* (בית הכסא), vt in *balneum* (בית המרחץ), vt in *coemeterium* (בית הקברות). (b)

§. 374. *Immunditiem* autem ſacra pentateuchi *volumina contrahere poſſe negant.* Quare immundis, ipſique feminae menſtruo fluxu laboranti, ea contrectare inque iis legere non eſt interdictum. (c)

Immunditiem non contrahit.

§. 375. Pentateuchi volumen *vetuſtate detritum* vel *illegitimum*, in vaſe teſtaceo, iuxta virum eruditum, eſt *ſepeliendum* (נגנז). (d) Quali ſepultura (גניזה) plagulae quoque vel vetuſtate detritae vel ad vſum non aptae ex hominum oculis ſunt remouendae.

Vetuſtate detritum ſepelitur.

§. 376. *Supellectilia*, quae pentateuchi volumini, vel recondendo, vel ornando, vel vt in iis reponatur, inſeruiant, (תשמישי הספר), ſi hunc in finem facta ſint (הוכנו לזה), & ſi vſui huic non ſolum deſtinata verum etiam ad eum re vera iam adhibita ſint (הונח עליהם); non minus *ſacra* habentur *propter pentateuchi volumen* (יש בהם קדושת ס"ת). Sunt autem haec (1) *Palliolum* (מעיל, חיק), quo ornatur. [2] *Faſciae* (מפה, מתפחות), quibus inuoluitur.

Supellectilia volumini inſeruientia ſacra.

[b] Brachoth, fol. 18, 1. Sanhedrin, fol. 21, 2.

[c] Brachoth; fol. 22, 1.

[d] Megillah, fol. 26, 2.

uitur. [3] *Arca* ſ. *armarium* (ארון, מגרל), in quo reconditur. [4] *Pulpitum* ſ. *menſa* [כסא], cui imponitur, quando ex eo praelegitur. Quare *nec ipſa irreuerenter* ſunt *habenda*; ſed vetuſtate detrita *ſepelienda*. [e]

Pentateuchus in eodem volumine cum ceteris monum. Sacris.

§. 377. *Pentateuchum in eodem cum ceteris ſacris monumentis volumine* ſcribere licet. [f] Tale volumen autem eandem ſanctitatem habere plerique negant. Alii affirmant quidem; *ad publicas* tamen *praelectiones adhiberi debere negant*.

Volumen mutilum ne ſcribatur.

§. 378. Contra ea *volumen, in quo nonnullae tantum pentateuchi ſectiones* compareant, *conſcribere vetant*, niſi vnum ad minimum pentateuchi librum totum complere ſcribae animus ſit. [g] Totum enim pentateuchi librum, vt totam Geneſin vel Exodum, ſeparatim ſcribere licet. Pentateuchi quoque effata in vitta acupingere, nefas eſſe contendunt.

CAP. XLVI.

DE *LIBRIS IN SACRO CODICE CITATIS.*

§. 379.

Libri in ſacro codice citati.

Non pauci in ſacro codice libri paſſim excitantur, vel citari creduntur: Qui

[e] Ibid. 13, 2. 14, 1.
[f] Babha bathra, fol. [g] Gittin, fol. 60, 1.

Qui silentio à nobis non sunt praetereundi.

§. 380. *Librum de delendis Amalekitis* per Mosen conscriptum esse, qui perierit, ex Exod. XVII, 14. qui colligerent, fuerunt. Vel ipsum *pentateuchum*, vel *librum bellorum domini* (ספר מלחמות יי), qui cum aliis perierit intelligi debere suspicatur *AbenEsra*. (h) Sed quod isto loco Mosen scribere iussit deus, id Deut. XXV, 17-19. scriptum est. Quare non est, cur de alio libro somniemus. (i) Liber de delendis Amalekitis.

§. 381. *Libri foederis* (ספר הברית), à Mose populo Israëlitico ad montem *Sinai* praelecti, Exod. XXIV, 7. mentio fit. *Illam* pentateuchi partem, quae latae in Sinai legis historiam praecedit, intelligit *Raschi*. (k) Rectius de legibus Exod. XXI. XXII. XXIII. latis *AbenEsra* interpretatur, (l) quas multitudini propositas, & ab illis receptas, in litteras Moses redegerit, solenniter praelegendas. (m) Decalogum tamen, & quae Exod. XX. habentur, non ex- Liber foederis.

[h] Commentar. ad Exod. XVII, 14.

[i] Cont. *Abarbanel*, Commentar. in Pentateuch. fol. 132, 4. edit. Hanov. 1710.

[k] Commentar ad Exod. XXIV, 7.

[l] Commentar. ad Exod. XXIV, 4.

[m] Exod. XXIV, 3. 4. 7.

excludimus. Num idem hoc Mosaicum scriptum fuerit, quod, Iosia rege, Chilkias pontifex inuenit, & *liber legis* (ספר התורה) (n) item *liber foederis* (ספר הברית) (o) appellatur, an totus pentateuchus, definiri non posse credimus. Hic igitur liber in sacris monumentis quoque comparet.

Liber bellorum domini.

§. 382. *Liber bellorum domini* (ספר מלחמות יהוה) Num. XXI, 14. citatur. Hic procul dubio liber est, qui periit; minime tamen canonicus. Abrahami temporibus scriptum iam fuisse, *Aben Esra* suspicatur. (p) Librum fuisse à gentilibus conscriptum *Abarbanel*, ab eruditis autem istorum temporum Israëlitis *R. Moses Nachmanides*, coniiciunt. (q) Sed quis id definiat?

Liber recti.

§. 383. *Liber recti* (ספר הישר) bis (r) memoratur. Doctores Talmudici (s) librum hunc in sacro codice quaerunt; hoc nomine historiam Abrahami, Isaaci & Iacobi significari contendentes. Putant-

[n] 2 Reg. XXII, 8. 2 Chron. XXXIV, 14. 15.

[o] 2 Reg. XXIII, 2. 21. 2 Chron. XXXIV, 30.

[p] Commentar. ad h. l.

[q] Vid. *Abarb.* Commentar. in Pentateuchum ad h. l. fol. 245, 4.

[r] Ios. X, 13. 2 Sam. I, 18.

[s] Abhodah sarah, fol. 25, 1.

tantque, citatione in libro Ioſuae ad Gen. XLVIII, 19. reſpici; citatione autem in poſteriori Samuelis libro, ad Gen. XLIX, 8. vel Deut. XXXIII, 7. Alii tamen poſteriori hac citatione librum Iudicum ſignificari, & ad Iud. III, 2. reſpici ſuſpicantur. Talmudicorum veſtigia recentiores Iudaeorum interpretes, *Raſchi*, [t] *Kimchi*, [u] & *Abarbanel* [w] premunt; qui tamen alia, ad quae reſpiciatur, loca, vt Gen. XXXVII, 9. Exod. XXXIV, 10. Deut. XXXIII, 17. 26. 27. producunt. Abarbanel, Deuteronomion hoc nomine inſigniri, putat. Nos *R. Leui Gerſonidae*, [x] qui librum intercidiſſe ſtatuit, ſubſcribimus. Chriſtianorum de eo coniecturas qui cognoſcere cupit, ipſos adeat. [y] Qui huius nominis liber hodie circumfertur, is ſuppoſititius eſt.

§. 384. *Liber iuris regii* (ספר משפט המלוכה) 1. Sam. X, 25. commemoratur. Coniecturae variae de hoc ſcripto apud alios quaerantur. [z] Nos cum *Abarbanele* [a] & Liber iuris regii.

[t] Commentar. ad Ioſ. X, 13.
[u] Commentar. in eundem locum.
[w] Commentar. in prophet. prior. fol. 21, 1. 23, 2. ed. Lipſ. 1686.
[x] Commentar. ad Ioſ. X, 13.
[y] Vid. *Io. Chriſtoph. Wolf.* Bibliothec. Hebr. Part. II. p. 219-225.
[z] Ibid. p. 225-228.
[a] Commentar. in Prophet. prior. ad 1 Sam. X, 25. fol 99, 2.

& Gerſonide [b] facimus; qui Samuelis minas, & quos pinxerat, [c] peruerſos regum mores hoc in libro conſcriptos fuiſſe negant; ſed *officia regum & ciuium* illius argumentum fuiſſe contendunt. Haec enim vt vtrisque exponeret, regemque nouum admoneret, quibus legibus imperium ipſi demandarent ciues, hos autem, quomodo illi parere fas eſſet, decebat prophetam, qui diuina auctoritate regem populo daret. Quoniam autem deo potius conniuente quam iubente haec ita gerebantur; & ad ſolam Ebraeorum rempublicam pertinebant, & ad ſtatum illius ciuilem: ad nos non peruenerunt. Ex eo enim, quod in aede ſacra aſſeruatus fuit hic per Samuelem de iure regio conſcriptus liber, non efficitur, quod canonici ſcripti auctoritatem vnquam vel habuerit vel habere debuerit.

Salomonis libri deperditi.

§. 385. *Salomonis* regis *libros prouerbiorum, canticorum, dendrologicos & Zoologicos*, 1. Reg. V, 12. 13. inueniſſe ſibi viſi ſunt interpretes. Quos periiſſe *Kimchi* [d] exiſtimat. *Raſchi* [e] in prouerbiis, eccleſiaſte & cantico canticorum eos quaerit. *R. Leui Gerſonides* [f] autem hos libros per Salomonem

[b] Ad 1 Sam. X, 25.
[c] 1 Sam. VIII, 11-18.
[d] Commentar. ad 1 Reg. IV, 32. Bibl. Baſ. fol. 371, 1.
[e] Commentar. in h. l.
[f] Commentar. in h. l.

monem ſcriptos eſſe recte negat. Non enim eum haec conſcripſiſſe, ſed eloquutum eſſe, ſcriptor ſacer dicit.

§. 386. *Annales Dauidis* (דברי הימים למלך דוד), quorum mentio 1. Chron. XXVII, 24. iniicitur, Iudaeorum interpretibus, vt *Iſaacidi & Kimchio*, (g) ſunt *libri Samuelis*. Chriſtiani autem interpretes (h) *Annales* regis *publicos* malunt. Vtra praeferenda ſententia ſit, definire non audemus; licet ad poſteriorem inclinemus. Annales Dauidis.

§. 387. *Annales Salomonis* (ספר דברי שלמה) 1. Reg. XI, 41. citantur. Hi *annales publici*, regis iuſſu conſcripti, ſunt *Abarbaneli*. (i) Qua ſententia probabiliorem afferri nequire credimus. Annales Salomonis.

§. 388. Idem ſentimus de ceterorum regum annalibus. Qui ſunt: *Annales regum Iudae* (ספר דברי הימים למלכי יהודה) (k) & *Annales regum Iſraëlis* (ספר דברי הימים למלכי ישראל), (l) necnon *Liber regum Iſraëlis* Annales regum Iudae & Iſraëlis.

[g] Commentar. in h.l.
[h] E. g. *Iunius*, in notis ad h. l. *Abr. Calouius*, in Bibl. illuſtrat.
[i] Commentar. in Prophet. prior. fol. 242, 1.
[k] 1 Reg. XIV, 29. XV, 7. 23. XXII, 46. 2 Reg. VIII, 23. XII, 20. XIV, 18. XV, 6. 36. XVI, 19. XX, 20. XXI, 17. 25. XXIII, 28. XXIV, 5.
[l] 1 Reg. XIV, 19. XV, 31 XVI, 5. 14 20. 27. XXII, 39. 2 Reg. I, 18. X, 34. XIII, 8. 12. XIV, 15. 28. XV, 11. 15. 21. 26. 31.

Iſraëlis & Iudae [ספר מלכי ישראל ויהודה] [m] vel *Liber Regum Iudae & Iſraëlis* [ספר המלכים ליהודה וישראל], [n] item *Hiſtoria regum* [מדרש ספר המלכים], [o] denique *Res geſtae regum Iſraëlis* [דברי מלכי ישראל], (p) & *Liber regum Iſraëlis* (ספר מלכי ישראל) [q] Nullum eſt dubium, quin de libris loquantur ſacri ſcriptores, qui in ſacrorum numerum nunquam fuerunt recepti; (r) ſiue publica auctoritate, quod veroſimilius, ſiue à priuatis, ſint conſcripti. Num vero tot diuerſi libri, quot diuerſa nomina, extiterint, nemo facile dixerit.

Annales regum Mediae & Perſiae.

§. 389. De *Annalibus regum Mediae & Perſiae* (ספר דברי הימים למלכי מדי ופרס), (s) qui ſimpliciter quoque *Annales* (ספר דברי הימים) [t] vel *Libri chronicorum* (ספר דכרניא) (u) appellantur, quin profani libri fuerint, nemo dubitauerit. (w)

Hiſtoriae Samuelis, Nathanis & Gadi.

§. 390. *Hiſtoriae Samuelis, Nathanis & Gadi* prophetarum (דברי שמואל הראה ודברי נתן הנביא ודברי גד החוזה), 1 Chron. XXIX, 29.

[m] 2 Chron. XXVII, 7. XXXV, 27. XXXVI. 8.

[n] 2 Chron. XVI, 11.

[o] 2 Chron XXIV, 27.

[p] 2 Chron. XXXIII, 18.

[q] 1 Chron. IX, 1. 2 Chron. XX, 34.

[r] Vid. *Abarbanel*, in prooemio ſecundo ad Libros Regum, fol. 190.

[s] Eſth. X, 2.

[t] Eſth. II, 23.

[u] Eſr. IV, 15. VI, 2.

[w] Vid. *Hottinger.* Theſaur. Philolog. pag. 528.

29. quibus res Dauidis expoſuerunt, doctoribus Talmudicis (x) ſunt *libri Samuelis*. Non dubitamus, quin ex horum prophetarum deperditis iam ſcriptis iſtorum librorum ſcriptor recentior ſua deſumſerit.

Hiſtoriae Nathanis, Achiae & Iddonis.

§. 391. *Hiſtoriae Nathanis, Achiae & Iedonis* prophetarum (דברי נת' הנביא ונבואת אחיה השילוני וחזות יערו החוזה), 2. Chron. IX, 29. de *Salomonis* regis rebus expoſuerunt. Non vnum, ſed diuerſa ſcripta fuiſſe, *Abarbanel* (y) recte monet. De *Nathanis* opere paulo ante iam diximus. *Iddonis* opus quoque *Midraſch hannabhi Iddo* (מחרש הנביא עדו) (z) inſcribitur. Ex his autem deperditis ſcriptis *Salomonis*, (a) *Rechabeami* (b) & *Abiae* (c) hiſtoriam per ſacros ſcriptores deſumptam eſſe, diſcimus.

Hiſtoriae Semaiae & Iddonis.

§. 392. Par *Hiſtoriarum Semaiae & Iddonis prophetarum* (דברי שמעיה הנביא ועדו החוזה) 2. Chron. XII, 15. ratio eſt; quibus *Rechabeami* res geſtae expoſitae fuerunt. Scripſit quisque opus ſuum. *Iddonis* ſcriptum idem eſt, de quo paulo ante diximus. Non amplius ſuperſunt.

§. 393.

[x] Babha bathra, fol. 14, 2.
(y) Commentar. ad 1 Reg. XI. fol. 242, 1.
[z] 2 Chron. XIII, 22.
[a] 2 Chron. IX. 29.
[b] 2 Chron. XII, 15.
[c] 2 Chron. XIII, 22.

Hiſtoria Iehu.

§. 393. *Hiſtoria Iehu filii Chananis* (דברי יהוא בן חנני), 2 Chron. X, 34. *Ioſaphati* regis res geſtas expoſuit; quae *annalibus regum Iſraëlis* (ספר מלכי ישראל) inſerta dicitur. Quod num de archiui regii annalibus, an de regum libris in ſacro codice hodienum ſuperſtitibus, intelligendum ſit, dubitari poſſit.

Hiſtoria Eſaiae.

§. 394. *Hiſtoricum Eſaiae* vatis *opus*, 2. Chron. XXVI, 22, *Vſiae*, ceterorumque fortaſſe ſui aeüi regum, hiſtorias complexum, in iis eſt, quae interciderunt.

Hiſtoria Choſaei.

§. 395. *Choſaei*, quod pro appellatiuo vocabulo nonnullis (d) habitum fuit, *hiſtoricum opus* (דברי חוזי) 2. Chron. XXXIII, 19. *Manaſſis* regis improbitatem perſtrinxit, & eiusdem conuerſionem commendauit. Sed neque hoc ad nos peruenit.

Ieremiae carmen in Ioſiam.

§. 396. De *lugubri Ieremiae in Ioſiam regem carmine*, 2. Chron. XXXV, 25, quod aetatem non tulit, & prophetae fortaſſe non fuit, ſupra (§. 151.) diximus.

Liber Domini.

§. 397. *Liber Domini* (ספר יהוה) Eſ. XXXIV, 16. euoluendus commendatur, qui teſtimonium de minis diuinis non in caſſum pronunciatis ſit perhibiturus. *Aben-Eſra* (e) id de *decreto diuino* (גזרת שמים) inter-

[d] Verſioni Alexandrinae graecae & Vulgatae latinae.

[e] Commentar. ad h. l.

interpretatur. *Kimchi* (f) monet, ex patris ſui ſententia *Leuiticum*; ex ſua autem ipſius, ipſum *Eſaiae volumen* hoc titulo inſigniri. *Geneſin* intelligit *Raſchi* (g) Rectius, vt videtur, de *propheticis ſcriptis* (ספרי הנבואות) *Abarbanel* (h) interpretatur. Quin monumenta pentateucho recentiora intelligenda ſint, nos nulli dubitamus.

Libri genealogici.

§. 398. In deperditis ſunt, *Liber genealogicus* (ספר היוחש) (i) & *Chronicorum* (ספר דברי הימים), (k) qui apud Nehemiam excitantur. Quanta genealogica opera apud priſcos Iudaeos fuerint, ex eo intelligatur, quod *Beruria* femina, integro triennio huic ſtudio impenſo, non tamen hunc campum emenſa dicitur. (l) Quod vero Raſchi de libri Chronicorum in ſacro codice obuii genealogiis interpretatur.

Iudicium de his libris.

§. 399. Patere ex his confidimus, veriſſime dictum eſſe, quod de his libris ſupra (§. 28.) diximus. Cum vero in iis, qui perierunt, libri ſint virorum diuinitus afflatorum; mirari nemo debet, quod virorum θεοπνεύστων non omnia ſcripta θεόπνευστα fuerint, adeoque ſacro codici non

(f) Commentar. ad h. l.
(g) Commentar. ad h. l.
(h) Commentar. in Prophet. poſter. fol. 53. 2.
(i) Neh. VII, 5.
(k) Neh. XII, 23.
(l) Pſachim, fol. 62, 2.

non inſerta. Contradictionem id ſane nullam inuoluit.

CAP. XLVII.

DE *LIBRIS APOCRYPHIS.*

§. 400.

Apocryphi libri.

Breuem librorum apocryphorum (גנוזים) ſubnectemus hiſtoriam. (m) Quos Iudaica eccleſia nunquam agnouit; neque nos agnoſcimus. *Tridentinum* autem *concilium* in canonicis plerosque numerauit. Per Chriſtianos confictos eſſe, Iudaei dicunt. (n)

I. IVDITHAE LIBER.

Iudithae libri argumentum.

§. 401. *Iudithae liber* hiſtoriam, an fabulam, narrat de Holoferne, Nebucadnezaris regis exercituum duce, in Bethuliae vrbis obſidione per Iuditham heroinam, ex tribu Simeonis ortam, obtruncato.

Iudicia de hac hiſtoria.

§. 402. Veram hiſtoriam in hoc libro narrari, nonnulli exiſtimant. In his *Humphre-*

(m) Vid. de his *Io. Chriſtoph. Wolf.* Biblioth. Hebr. Tom. II Sect. III. p. 192 - 209. *Io. Alb. Fabricii* Biblioth. Graec. Lib. III. Cap. 29. pag. 727 - 751.

(n) Vid. *R. Schabtaei* Siphte ieſchenim, p. 84. *R. Aſarias*, in Meor enaim, p. 175. *R. Iſaac*, in חזוק אמונה, vid. Wagenſeilii Tela ignea Satanae, pag. 345-349.

phredus Prideaux [o] ad annum 44. Manaſſis regis eam refert; & dubia, quae contra hanc ſententiam moueri poterant, remouere ſatagit. *Arphaxadum* huius libri *Deiocem* Medorum regem, *Nebucadnezarem* autem *Saosduchinum* Aſſyriorum regem, eſſe ſuſpicatur. Contra ea mythum parabolicum eſſe, Antiochi Epiphanis temporibus conſcriptum, alii ſuſpicantur; cuius lepidam explicationem *Grotius* (p) dat Poſteriori huic ſententiae fauere videntur, quae Iudaei de Iuditha habent, & canticum יוצר, של חנוכה, quod ſabbatho encaeniorum feſti ab illis recitatur. (q)

§. 403. *Idiomate Chaldaeo* ab anonymo Iudaeo hic liber, incertum quo tempore, eſt conſcriptus; ſed chaldaice ſuperſtes non eſt. *Graeca* verſio Theodotioni vulgo tribuitur. Antiquiorem autem illam eſſe, ex Clementis Romani epiſtola ad Corinthios appareat. Ex Chaldaeo in *latinum* ſermonem per Hieronymum transfuſus eſt liber. (r) Ex graeca denique *Syriaca* facta verſio eſt. Quae ſingulae verſiones Idioma.

(o) Harmon. Hiſt. V. & N. T. lib. I. p. 46-55. edit. Dresd. 1726.

(p) In Praefat. ad Annotat. in libr. Iudith.

[q] Vid Machſor, Part. I. Canticorum matutin. fol. 8, 1. 2. ed. Wilhelmersdorf. ann. 479. fol. Conf. *R. Aſarias*, in Meor enaim, fol. 106, 2.

[r] Vid. *Hieronymi* praefat. in libr. Iudith.

nes in Polyglottis Londinenſibus comparent.

II. SAPIENTIAE LIBER.

Libri ſapientiae argument. & auctor.

§. 404. *Sapientiae liber* (ספר החכמה, vel חוכמתא רבתא דשלמה) non contemnendas continet ſententias. Quarum num auctor Salomo fuerit, quis nos edoceat? Libri autem ſcriptorem non fuiſſe Salomonem, ex ipſis Pontificiis ſunt qui confiteantur. (s) Celebri illi Philoni Alexandrino vel auctori vel collectori à nonnullis tribuitur. (t) Malunt alii Philonem quendam antiquiorem. (u) Sed ignoramus auctorem.

Idioma.

§. 405. Sunt in Iudaeis, qui ſe hunc librum *chaldaice* vidiſſe teſtentur. (w) Verſionem *graecam* antiquiori illi Philoni tribuit *Iſ. Voſſius.* (x) Num *vulgata latina* Hieronymi ſit, dubitat *Lud. Cappellus.* (y) *Syriaca* & *Arabica* verſiones recentiores eſſe creduntur. In Polyglottis Londinenſibus *Graece*, *Latine*, *Syriace* & *Arabice* habetur.

III.

(s) *Scipio Sgambatus*, in Archiuis V. T. pag. 525.

(t) Vid. Schalſcheleth hakkabbalah, p. 104, 2. *Schabtaeus*, in Siphte ieſchenim, fol. 84.

(u) *Huetius*, Demonſtr. Euangel. p. 89. *Io. Druſius*, cap. XI. de Henocho.

(w) Vid. *R. Aſarias*, in Meor enaim, p. 175. 2.

(x) Lib. de LXX. Interpr. p. 396.

(y) Opp. Poſthum. p. 563.

III. TOBIAE LIBER.

§. 406. *Tobiae liber* hiſtoriam Tobiae patris & filii exponit, Naphtalitarum; qui in exulibus fuerint per Salmanaſſarem regem Niniuen abductis. Niſi tota narratio ſit ficta; putidiſſimis tamen fabulis interminxta, recentioris aetatis arguit ſcriptorem. Tobiae libri argum. & ſcriptor.

§. 407. *Chaldaico idiomate* conſcriptus videtur liber; quo tamen ad nos non peruenit. Verſio antiquiſſima *graeca* eſt, *latinae* Hieronymi iure praeferenda; quam hic ex ore Iudaei, cum Chaldaica ipſe nondum calleret, vnico die à ſe factam eſſe fatetur. [z] Graeca *Syriacae* verſionis mater eſt. Duplex *Ebraea* verſio, ex editione *Seb. Munſteri* & *Pauli Fagii*, cum vtriusque latina verſione, exſtat; vtraque autem recentior. Omnes hae, de quibus diximus, verſiones in Polyglottis Anglicanis leguntur. Idioma.

IV. IESV SIRACIDAE LIBER.

§. 408. *Liber Ieſu Siracidae* ſiue *Eccleſiaſticus* apophthegmata de moribus rite formandis & ſapientiae virorumque praeſtantium laudes continet. Quem hagiographis accenſendum eſſe, demonſtrare pontificii fruſtra anniſi ſunt. [a] Eccleſiaſtici argumentum.

§. 409.

(z) *Hieron.* praefat. in Tobiam.

(a) Vid. *Scipio Sgambatus*,

Auctor & idioma,

§. 409. *Ieſus* Hieroſolymitanus librum, ſub Eleaſaris pontificatu, *ebraice* ſcripſiſſe; huiusque nepos *Ieſus Siracides* illum, Ptolemaeo Euergeta II. regnante in *graecum* idioma transtuliſſe creditur. (b) Quas tamen non niſi coniecturas eſſe, diffiteri non debemus. Iudaei *filium Sirae* (בן סירא) Ieremiae vatis ex filia nepotem faciunt. (c) Ebraeus textus Hieronymi temporibus ſub titulo *prouerbiorum* vel *parabolarum* [משלים] ſuperfuit: [d] Ad nos autem non peruenit. Verſiones, *Latina*, *Syriaca* & *Arabica*, recentiores ſunt. Interpretationem *Ebraeo-Germanicam* R. Moſes Witmund ſub titulo *Orchoth ioſcher* [ארחות יושר], i. e. *Viae rectae*, Amſtel. A. 421. A. C. 1661. dedit. In Polyglottis Londinenſibus *latine*, *graece*, *ſyriace*, & *arabice*, exhibetur.

Liber Siracidae Iudaeorum.

§. 410. Plane diuerſus liber eſt, quem Iudaei ſub *libri Siracidae* [ספר בן סירא] nomine hodie circumferunt. [e]

Siracidae in Talmude mentio.

§. 411. Siracidae ſaepius in Talmude facta mentio eſt; & complura illius effata

tus, in Archiu. V. T p. 466. 475. *Bartoloccius*, Biblioth. Hebr. Tom. I. p. 680.

(b) Vid. *Fabricii* Biblioth. Graec. lib. III. c. 29. p. 728.

(c) Vid. Schalſcheleth hakkabbalah, fol. 19, 2. Zemach Dauid. ad ann. 3448.

(d) Vid. *Hieronymi* praefat. in Prouerbia, & Epiſt. 115.

(e) De quo vid. *Ioh. Buxtorf.* Bibliothec. Rabbin. p. 51. 52. ed. Herborn. 1708.

ta afferuntur: Quae in illius libro partim comparent, partim non comparent. (f) Licet vero de Siracide ſatis magnifice ſentiant Talmudici; illius tamen librum in *libris exoticis* (ספרים החיצונים), quos legere prohibent, ponunt. (g) Quod de Eccleſiaſtico noſtro dictum non eſſe, ex rationibus ab illis allegatis appareat.

V. BARVCHI LIBER.

§. 412. *Baruchi liber* epiſtolam continet exulum cum Iechonia rege in Babylonia Iudaeorum ad Iudaeos in Palaeſtina relictos, qua ad poenitentiam hos hortantur; quae per Baruchum quinquennio poſt captam per Babylonios Hieroſolymam ſcripta dicitur. (h) Cui ſuppoſititia Ieremiae ad exules epiſtola iungitur; qua 70. annorum exilium illis praenunciat, idola ridet, & ne ad idololatriam ſeduci ſe patiantur monet. (i) Libri Baruchi argum.

§. 413. Librum hunc non agnoſcere Iu- Suppoſititius eſt.

(f) Haec collegernnt R. *Aſarias*, in Meor enaim c. II. p. 29, 1. 2. *Bartoloccius*, Bibliothec. Hebr. Tom. I. p. 680. *Chriſtoph. Cartwrightus*, in Mellificio Hebraeo, V, 13. *Hottingerus*, in Theſauro Philolog. p. 517. *Hugo Grotius*, ad Eccleſiaſt. VI, 6. *Ioſephus Voiſinius*, ad Raym. Mart. Pug. Fid. pag. 125.

(g) Sanhedrin, fol. 100, 2.

[h] Baruch I, 1-14.

(i) Baruch VI.

Iudaeos, teſtatur Hieronymus; (k) idemque recentiores Iudaei teſtantur. (l) A graeciſſante Iudaeo conſcriptum eſſe, non male fortaſſe ſuſpicatur Grotius. (m)

Idioma. §. 414. Num liber hic *ebraice* vnquam extiterit, dici nequit. Dubitatur quoque an *latina verſio* Hieronymum agnoſcat auctorem. (n) In Polyglottis Anglicanis *graece, latine, ſyriace* & *arabice* legitur.

VI. LIBRI MACCABAEORVM.

Maccabaeorum libri quatuor. §. 415. *Quatuor Maccabaeorum libri* numerantur. Qui vero non omnes eiusdem auctoris ſunt; neque hiſtoriam, quae in illis legitur, continuo filo proſequuntur.

Libri I. Maccab. argum. §. 416. *Liber primus Maccabaeorum*, praemiſſis paucis de Alexandro M. eiusque ſucceſſoribus, hiſtoriam ab *A. Contr.* 137, quo Antiochus Epiphanes regnare coepit, orditur; & res principum Chasmonaeorum vsque ad Simonis obitum, ad *A. Contr.* 177, exponit. Hiſtoriam igitur 40. annorum, ſatis bene ſcriptam, complectitur.

Auctor & idioma. §. 417. Auctor ignoratur. Quem tamen ipſum *Iohannem Hyrcanum* eſſe, nonnullis

(k) Praefat. ad Commentar. in Ieremiam.

(l) R. *Aſarias* in Meor enaim, p. 169, 2.

(m) In Commentar. ad Baruch.

[n] Vid. *Lud. Cappell.* Opp. poſthum, p. 564. ſeqq.

nullis vero non dissimile videatur. o] Hunc librum dialecto Chaldaea Hierosolymitana, sub titulo שרביש שר בני אל, i. e. *Sceptrum principis filiorum dei*, conscriptum vidit Hieronymus. p] Sed hac in lingua superstes non est. *Graeca versio* Theodotioni tribuitur: Quam tamen antiquiorem esse *Humphredus Prideaux* q] suspicatur. *Syriaca* versio recentior est. In Polyglottis Anglicanis *latine, graece & syriace* exhibetur.

§. 418. *Liber secundus Maccabaeorum* epistolam Iudaeorum Palaestinorum ad Iudaeos Aegyptios, qua hi admonentur, vt Encaeniorum festum celebrare ne negligant, & fabulae de igne sacro, tabernaculo sacro, & arca sacra, quondam absconditis, narrantur, praemittit. Sequitur dein *epitome quinque librorum Iasonis Cyrenaei* de Maccabaeorum rebus. Incipit historia ab Heliodoro, sub Seleuci Philopatoris regni finem *A. Contr.* 136. aerarium sacrum spoliaturo. Desinit in Nicanore *A. Contr.* 151. per Iudam Maccabaeum proelio victo. Annorum 15. res gestas exponit. Libri 2. Maccab. argumentum.

§. 419.

o] *Humphred. Prideaux*, Harmon. Hist. V. & N. T. Tom. II. lib III. p. 229. 230.

p] Vid. Prolog. Galeat. *Euseb.* Hist. Eccles. VI, 25.

q] loc. cit. lit. o. praeced.

Auctor & idioma.

§. 419. Huius quoque libri incertus auctor est; qui *graece* procul dubio est scriptus. r] *Syriaca* versio recentior est. In Polyglottis Anglicanis *latine*, *graece* & *syriace* legitur.

Libri 3. Maccab. argum.

§. 420. *Liber tertius Maccabaeorum*, qui pro chronologiae ordine primus esse, vel potius Maccabaeorum libri titulo inscribi non debebat, biennii, *A. Contr.* 95. & 96. historiam complectitur Ptolemaei Philopatoris. Qui, reportata ab Antiocho M. victoria, templi Hierosolymitani adytum ingredi tentauerit; &, cum arceretur, Iudaeis infensus in Aegyptum redierit. Vbi in Aegyptiis Iudaeis hanc ignominiam vindicaturus, eos in Alexandrino hippodromo congregari iusserit, elephantorum pedibus conculcandos. Qui tamen prouidentia diuina salui euaserint.

Auctor & idioma.

§. 421. Libri, cuius primus Eusebius s] mentionem fecit, *incertus auctor* est: Qui eum *graece* scripsisse videatur. *Syriaca* versio recentioris aetatis est. *Latina* versio Francisco Iunio debetur. In Polyglottis Anglicanis *graece*, *latine* & *syriace* habetur.

Liber 4. Maccabaeorum.

§. 422. *Liber quartus Maccabaeorum* is dici solet, quem de Maccabaeis Flauius Iosephus

r] Vid. *Hieron.* praefat. s) In Chronico, p. 185, in Libros Regum.

ſephus conſcripſit. t) Narrat autem Sixtus Senenſis, u] ſe Lugduni in bibliotheca Sanctis Pagnini apud praedicatores reperiſſe librum quartum Maccabaeorum alium, plenum Hebraiſmis, & hiſtoriam 31. annorum exponentem, ab his verbis incipientem: Καὶ μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν Σίμωνα ἐγενήθη Ἰωάννης ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἱερεὺς ἀντ' αὐτοῦ. Qui ſi genuinus ille fuit, ad quem in primi Maccabaeorum libri fine prouocatur; quod lucem non viderit, dolendum eſt.

VII. FRAGMENTA ESTHERAE.

Fragmentorum Eſtherae argum.

§. 423. *Acceſſiones Eſtherae* voluminis in verſionibus vulgatis inſertae, ſunt: 1) *Epiſtola Artaxerxis de delendis Iudaeis*, Hamanis inſtinctu ſcripta. 2) *Preces Mardochaei & Eſtherae.* 3) Prolixior *Eſtherae ad regem accedentis hiſtoria.* 4) *Epiſtola Artaxerxis de Iudaeis non delendis*, poſt Hamanis ſupplicium ſcripta. 5) *Mardochaei ſomnium.*

Scriptor & idioma.

§. 424. Sunt in his, quae recentiorem prodant aetatem. Quod *ebraice* vnquam extite-

t] Vid. *Hodi*, de Bibliorum Textibus Originaal. p. 649.

u] Lib. 1. Bibl. ſanct. p. 39.

extiterint, doceri nequit. *Graece* & *latine* in Polyglottis Anglicanis leguntur.

VIII. FRAGMENTA DANIELIS.

Fragmentorum Danielis argum.

§. 425. *Acceſſiones Danielis* volumini inſertae ſunt: (1) *Preces Aſariae*, & (2) *Canticum trium iuuenum* in fornace candente. (3) *Hiſtoria Suſannae*, adulterii per duos laſciuos iudices accuſatae, per Danielem autem ſeruatae. (4) Hiſtoria de *Beli* idolo & fano per Danielem deſtructo; & (5) *Serpente*, quem pro deo Babylonii colerent, per Danielem occiſo. Qui propterea in leonum foueam coniectus, per Chabacucum prophetam cibatus ſit, & ſaluus euaſerit.

Scriptor & idioma.

§. 426. Ignoratur ſcriptor. Nec *ebraice* vnquam extiterint. w) *Graece* primum ſcripta eſſe, ex alluſionibus in graeco hiſtoriae Suſannae textu obuiis appareat. Hiſtoriae de Suſanna, Belo & Serpente *Chabacuco* cuidam *filio Ieſu* ſiue *Iudae* acceptae feruntur. x] Iudaeis ſane non ignotae

w] Vid. *Orig.* in lib. de Oratione, p. 47. *Hieronym.* Praefat. Commentar. in Danielem

x) Vid. *Hieronym.* loc. cit. lit. w. praeced.

tae ſunt hae fabulae. y) Fragmenta haec *latinae*, *graece*, *ſyriace* & *arabice*, in Polyglottis Anglicanis exhibentur.

IX. ORATIO MANNASSIS REGIS.

§. 427. In ſuppoſititiis quoque ſcriptis, *preces Manaſſis regis*, quibus in vinculis diuinam clementiam implorauerit, circumferuntur. Has autem genuinas eſſe, & *ebraice* vnquam ad nos peruenisſe, nemo docere poteſt. *Graece* & *latine* in Polyglottis Londinenſibus habentur. Oratio Manaſſis.

X. LIBRI III. ET IV. ESRAE.

§. 428. *Tertius* & *quartus Eſrae libri* ita dicuntur, quoniam Nehemiae liber Iudaeis ſecundus Eſrae liber eſt. Hos autem recentiores foetus Iudaei non agnoſcunt; neque nos agnoſcimus. Libri 3. & 4. Eſrae.

§. 429. *Tertius Eſrae liber* gentis Iudaicae res ab 18. Ioſiae regis anno, quo illius auſpiciis paſchatis feſtum ſolenniter celebratum eſt, repetit; easque ad Nehemiae in Palaeſtinam aduentum perſequitur. Eadem igitur narrat, quae canoni- Libri 3. Eſrae argum. & idioma.

cus

y) Vid. Breſchith rabba, ſect. 68. fol. 68, 3.

cus Esrae liber; ita vero vt non pauca, quae vera esse possint, aliunde suppleantur. *Latine*, *graece*, & *syriace* in Polyglottis Lodinensibus legitur.

Libri 4. Esrae argum. & auctor.

§. 430. *Quartus Esrae liber* varia Esrae oracula comprehendit. In quibus *filii dei Iesu Christi* z] mentio quoque est facta. Scriptum est putidissimis fabulis repletum. Vnde Iudaei, qui ad Christianorum castra transierit, vel hominis Christiani iudaizantis, parum sibi constantis, recentiorem foetum esse verosimile sit. Non nisi *latine* in Polyglottis Londinensibus comparet.

SE-

z] Cap. II, 47. IV, 28. 29.

SECTIO II.

DE

LIBRIS IVDAEORVM SYMBOLICIS.

Digitized by Google

SECTIO II.

Prooemium.

1. Doctrina viua voce propagata.
2. Miſchna R. Iudae ſancti.
3. Toſiphta.
4. Exotica.
5. Gemara.
6. Talmud.
7. Talmud Hieroſolymitanum.
8. Talmud Babylonicum.
9. Contenta Talmudis.
10. Scripturae ſacrae effata.
11. Quadruplex ſcripturae ſacrae ſenſus.
12. Regulae hermeneuticae doctorum Gemaricorum.
13. XXXII. regulae hermeneuticae R. Ioſae Galilaei.
14. XIII. regulae hermeneuticae R. Iſmaëlis.
15. Argumentum à diſpari.
16. Argumentum à pari.
17. Arg. à Vocabulorum conuenientia.
18. Arg. à Combinatione.
19. Arg. à Connexione.
20. Arg. ab Exemplo.
21. Argumentorum à Genere & Specie diuerſae ſpecies.

22. Arg. à Genere & Specie.
23. Arg. à Specie & Genere.
24. Arg. à Genere & Specie & Genere.
25. Arg. à Specie & Genere & Specie.
26. Arg. ab Incluſione & Exceptione.
27. Arg. ab Exceptione & Incluſione.
28. Arg. ab Incluſione & Exceptione & Incluſione.
29. Arg. à Genere & Speciebus homonymia laborantibus.
30. Arg. à Specie, de qua ſpecialiter quid praecipitur.
31. Arg. à Specie, de qua aliquid, non vero omne id quod de Genere, praecipitur.
32. Arg. à Specie dubia.
33. Arg. à Specie ſpuria.
34. Arg. ab Antecedentibus & Conſequentibus.
35. Arg. à Contradictione apparente.
36. Citatio effatorum Scripturae ſacrae.
37. Traditiones Moſis ex Sinai.
38. Exempla.
39. Deciſiones.
40. Doctrina moralis.
41. Diſputatio Gemarica.
42. Ordo conſcriptae Gemarae.

DE

DE LIBRIS IVDAEORVM SYMBOLICIS.

PROOEMIVM.

§. 1.

Antequam de *Iudaeorum traditione librisque ſymbolicis* ſcribere adgrediamur, rogandus eſt beneuolus lector, ne fidem noſtram temere damnet, ſi nos aliter de nonnullis ſentire videat, quam apud alios legitur. Si libros per nos citatos euoluere placeat; videbit, nos nihil fingere, nec in Iudaeorum gratiam ſcribere. *Argumento* autem *ab inuidia ducto* contra illos abuti noluimus; quia in aduerſarios quoque aequos eſſe oportet. Facile denique intelliget aequus lector, vbi ex Iudaeorum, & vbi ex noſtra mente loquamur. Breuitatis enim ſtudioſi, *inquiunt*, *ſtatuunt*, *tradunt*, ſaepius interponere noluimus. Praemonitio.

Libri symbolici Iudaeorum.

§. 2. Habent Iudaei, praeter monumenta sacra suos quoque *libros symbolicos*; qui doctrinae viua voce propagatae originem debent. Hi sunt, *Mischna* [משנה] *Additamenta* [תוספתא], *Exotica* [ברייתות], *Gemara* (גמרא), & ex Mischna & *Gemara* conflatum *Talmud Hierosolymitanum* (ירושלמי תלמוד) & *Babylonicum* (בבלי תלמוד).

Talmud Babylonicum.

§. 3. In his *Talmud Babylonicum* eminet; in quo ex Additamentis & Exoticis excerpta sunt ea, quae ad *perfectum doctrinae corpus* requirebantur. Est enim hoc Talmud prolixum *credendorum & agendorum Iudaicorum systema*, communi Iudaeorum *Rabbanitarum consensu pro fidei & morum norma receptum.*

Contenta.

§. 4. Continet Talmud totam *legem scriptam* (תורה שבכתב), & *oralem* (תורה שבעל פה); id est, *traditiones* à Mose acceptas, & praeterea doctorum *constitutiones* (תקנות), *scita* (גזירות), *consuetudines* (הנהגות), & *praecepta de officiis* (אגרות). Per totum hoc opus multa quoque *philosophica, mathematica, physica* & *medica*, quibus in explicandis legibus opus erat, sparguntur.

Auctoritas.

§. 5. Ex eo, quod symbolicum librum esse diximus, quilibet facile intelliget, quanta *Talmudis apud Iudaeos auctoritas* sit. Quippe *nullis*, cuiuscunque demum naturae sint, *legibus & statutis in Talmude* obuiis, *legumque explicationibus* Iudaeo Rabba-

Rabbanitae *contradicere vel* eas *negligere fas* eſt. Diſpar *reliquorum omnium* ratio eſt; quae nonſolum *tuto ignorari* poſſunt, verum etiam *diſſentire & contradicere* nihil impedit. Nec ipſa illorum ſacrae ſcripturae effatorum, ex quibus nullae leges eliciuntur, explicatio excipitur. Conferat, cui volupe eſt, *Kimchii*, *Aben Eſrae*, *Abarbanelis* aliorumque explicationes cum Talmudicis; manibusque palpabit, quantum ſaepe diuortium faciant.

§. 6. Accuſantur vulgo *Iudaei*, quod *Talmud* ſuum *ſacrae ſcripturae ad latus ponant*, quin *praeferant*. Hoc vero qui ipſis vitio dant, vel nunquam inſpexerunt Talmud, Iudaeorumque res ignorant; vel ex praemiſſis legitime inferre non didicerunt; vel atrociſſimis mendaciis aduerſarios recte impugnari exiſtimant. Iniuriam Iudaeis fieri, facillimo negotio nos demonſtraturos confidimus. I. *Scriptores ſacros diuini afflatus beneficio libros* ſuos *ſcripſiſſe*, adeoque *ne minimi* quidem momenti *in re* vel *erraſſe* vel errare potuiſſe ſcribendo, non minus quam nos ſtatuunt Iudaei. Hinc ſummae ſe impietatis apud illos reum eſſet facturus, qui vel de hiſtoricis vel geographicis minutiis in ſacro codice obuiis dubitare vellet. Hinc vel circa litteram, quae amanuenſium culpa corrupta videri poſſit, ſcrupuloſiſſimi ſunt. *Longe aliter* autem

Num Talmud ſacro codici aequiparetur & praeferatur.

autem *de Talmude* eos ſentire, modo [§. 4.] vidimus. *Doctores Miſchnicos & Gemaricos* θεοπνεύς85 fuiſſe *negant*; quos *prophetis longe* faciunt *inferiores*, quin infra viros ſynagogae magnae ponunt. a) 2. *Scriptores ſacros* in diuinis ſuis ſcriptis *ſibi contradicere non potuiſſe* contendunt; quia ipſe deus ſingulorum ſcribentium animum calamumque direxerit. Quomodo vero *doctorum* cum *Miſchnicorum* tum *Gemaricorum alteri contradixerit alter*, in omnibus Talmudis foliis videre eſt. Huius ſententia reiicitur; illius adoptatur. 3. Si quis doctor Talmudicus *ſententiam* proferat, *quae ſacrae ſcripturae effato contradicere* videatur; *ſacri codicis* illi *opponitur auctoritas*. Et ſi vel ſacri codicis verba vel doctoris illius effatum interpretationem talem, vt concordent, non patiantur; Talmudici doctoris ſententia, ſine vlteriori diſputatione, vt inepta reiicitur. b) 4. Illis *Talmudicorum deciſionibus*, quae per plures ſunt factae, ipſa *ſcriptura ſacra auctoritatem*, quam ſine illa habiturae non eſſent, *conciliat*. Quippe ſententiam per plures corroboratam praeferri debere, ſtatuunt Iudaei; quia *in ſacris* praecipiatur, quod *pluribus accedi debeat*

a) Babha kama, fol. 50, 1. lin. 43. 44. Sanhedrin, fol. 11, 1. lin. 27-38.

b) Vid. Pſachim, fol. 2, 1. 2. Halichoth olam, pag. 28.

beat. e] 5. Imo *ne* illas *quidem deciſiones* (הלכות), quas *ex ipſo Moſis ore* ad ſe per traditionem peruenisſe Iudaei gloriantur, *pari paſſu cum ſcriptis in pentateucho* (שבכתוב בתורה) ambulare iubent. d) Multo minus eas, ſi ſcriptis contradicere putarent, pro genuinis eſſent agnituri. 6. *Nunquam* videbis, Iudaeum *Talmudis volumen ſacro codici ſuperimponere.* Et ſi ita poſita inueniat; vel liberabit iſto onere codicem ſacrum, vel ſuperiorem illi locum dabit. Luce meridiana clarius ex *Talmudicae diſputationis ratione* id apparebit. At habemus reos confitentes. Quippe hunc in modum ipſi Talmudici e) pronunciare non verentur: תלמיד חכם העוסקין במקרא מידה, ואינה מידה במשנה מידה; ומשלין עליה שכר. גמרא אין לך מידה גדולה מזו *Qui ſacri codicis lectioni operam dederit; is aliquid quidem fecit, non tamen multum. Qui Miſchnae quoque; is plus fecit, & mercede non excidet. Qui vero praeterea Gemarae; is fecit, quo quid maius fieri nequeat.* At vero idem id eſt, quod nos quoque aſſerere non veremur; nimirum pa-

e) Babha mezia, fol. 59, 2.

d) Conf. Chulin, fol 43, 1. & *Maimon.* Iad chaſakah. hilchoth Schechitah, cap. 5. hal 3.

e) Babha mezia, fol 33, 1.

parum egiſſe theologum, qui ſacrum codicem legerit & non intellexerit; plus illum, qui ex ſymbolicis noſtris libris pleniorem hauſerit credendorum & agendorum cognitionem; plurimum vero illum, qui theologicas veritates demonſtrare quoque didicerit. Sed *hoc non eſt, Talmud ſacrae ſcripturae aequiparare.*

Talmud reiicitur à Karaeis.

§. 7. *Sadducaei traditionum* fuerunt *hoſtes*; f) & poſt conſcriptum Talmud, non minori hoc quam traditiones odio proſequuti ſunt *Karaei.* Quippe hi *doctrinae* Iudaeorum *viua voce propagatae originem* in ſeculum ante Chriſtum natum ſecundum, ad tempora *Iohannis Hyrcani I.* ducis & pontificis, referunt. Huius aetate, inquiunt, *Iudam filium Tabbaei* ſubnatis tum *traditionibus ſe ſtrenue oppoſuiſſe*, easque repudiaſſe. *Simonem* vero *filium Schetachi eas* fortiter *tuitum eſſe*, nouoque conſtitutionum cumulo auxiſſe; ex quibus de die in diem incrementa ſumentibus *opus* illud *Talmudicum* tandem ſit conflatum; quod in multis *ſacrae ſcripturae aduerſetur*, *contradictionibus* non paucis *ſe ipſum oppugnet*, quin *abſurda & impia tradat.* g)

§. 8.

f) *Ioſeph.* Ant. Iud. lib. XIII. cap. 18.

g) Vid. *Mardochaeus Karaeus*, in Ioh. Chriſtoph. Wolfii Notit. Karaeorum, pag. 65-72.

§. 8. Non mitius *Christus & apostoli* de multis Iudaicis *traditionibus* tulerunt iudicium; quas hominum *commenta* esse, per quae diuinorum scriptorum, *Mosis & prophetarum, veritas obscuretur*, per quae *cultus* sinceritas & *puritas eliminetur*, per quae *à salutari fidei & virtutis tramite ad inanium rituum inutiliumque quaestionum examen* homines ablegentur, iterum iterumque monuerunt. Equidem tolerari has res in Iudaeis posse docuerunt, dummodo fidei & charitati, quae genuini cultus summa sint, non praeferantur. h) *Proselytis* autem *gentilibus hoc onus imponi noluerunt.* Caueas, Christum Iudaeos accusasse existimes, quod traditionibus maiorem quam verbo dei scripto *disertis verbis* auctoritatem tribuant; & discipulos suos, vt id facerent, doceant. Cuius enim criminis reos non esse Iudaeos omnes eorum disputationes euincunt, illius per veracissimum nostrum seruatorem illiusque discipulos accusari non potuerunt. Sed hae *Christi & apostolorum querelae* sunt, quod, *scrupulosa* sua *circa* externum cultum & *ritus doctrina nimium sibi placentes*, praecipua religionis momenta, *fidem & virtutis studium, negligentius* inculcent. Et quod *nonnulla* ipsorum *statuta*, non quidem aperta fron-

Christi & apostolorum de traditionibus iudicium.

h] Matth. XXIII, 23.

fronte diuina praecepta impugnent, attamen *per cuniculos* ea ſubuertant, vel *impune peccandi occaſionem dent* improbis: quorum impietatem coërcere praeſtaret, quam ſtatutis cumulare ſtatuta. i) *Imprudentiam* igitur *doctorum damnat*, qui neceſſariis praeferant non neceſſaria; & *impietatem* ceterorum, qui *doctorum* ſuis *ſtatutis ad peccata male abutantur.* Ita vero à doctoribus ſuperſtitionis quam non infucatae pietatis amantioribus, & improbis eorum aſſeclis, quotidie peccatur. Cetera *non omnem Iudaeorum doctrinam Chriſtus reiecit*; ſed quae ſancta erant, quae pia, quae pura, ea retinuit, nobisque commendauit.

Fata Talmudis apud Chriſtianos.

§. 9. *Primis Chriſtianis opus Talmudicum non* ita quidem *incognitum* fuerit, vt id exiſtere prorſus ignorarent: Linguarum vero orientis ignari, & rerum Iudaicarum parum curioſi, id *neque legerunt, neque ad ſe pertinere exiſtimarunt.* Quare mirari non debemus, quod vix vlla per veteres eccleſiae doctores illius facta ſit mentio. Sequioribus temporibus *infenſiſſimos inter Chriſtianos*, eos praecipue qui Orientis res ignorarent & contemnerent, nactum eſt *hoſtes*; qui *flammis* id *addixerunt.* Quod primum ſeculo XIII. *Gregorii IX. papae* auctoritate eſt factum. Quia vero *mitius*

de

i) Matth. XV, 5. 6.

de eo ſentire coeperunt *viri periti*, & coeco illorum furori contradicere; ſupereſt in diem hodiernum, non exiguam rebus noſtris vtilitatem allaturum, modo id legendi difficultate, quae tamen inſuperabilis non eſt, plerique non deterrerentur.

§. 10. *Noui foederis* ſane *monumenta explicare* fruſtra conabitur, qui, qualis iſtis temporibus *rerum Iudaicarum ſtatus* fuerit, cognitum non habeat; & qui *N. T. phraſeologiam* ignoret. Vtrumque autem ex Talmude diſcitur. Non igitur errauerit, qui dixerit, plus *ad N. T. exegeſin* conferre *Ioſephum & Talmud*, quam omnes, quos habemus, Commentariorum montes. Ipſi *N. T. orationis generi plus* quoque *lucis ex Talmude, paraphraſibus Chaldaicis & Alexandrina graeca verſione*, quam ceteris omnibus graecis ſcriptoribus, affundetur. Agnouerunt hoc viri cordati, & de N. T. exegeſi optime meriti, *Lightfootus*, k) *Surenhuſius*, l) *Schoettgenius*, m) alii. Negare non ſuſtinebunt, niſi ſoli ii, quibus ad haec ſacra aditus non patet; & tamen, qui non ſunt, videri cupiunt. *Diſputare cum Iudaeis* ne audeat, qui *regulas eorum hermeneuticas philo-*

Vſus Talmudis.

k] In Horis Hebraicis.
l] In Βίβλῳ καταλλαγῆς.
m] In Horis Hebraicis & Talmudicis.

philoſophiamque Talmudicam cognitas non habeat, niſi turpiter ſe dare non erubeſcat.

Num blaſphemiae in Talmude ſint.

§. 11. Quod *irreuerenter & blaſpheme de deo* loquantur, vulgo inſimulantur *Talmudici.* Dici debebat, eos de deo loquentes, orientis more, ſublimibus figuris inſolitaque phraſeologia ſaepe vti, quae noſtras aures, iis non adſuetas, facile offendant. Quae huius farinae corradi poſſunt, *Eiſenmengerus* n) corraſit *aggadoth* (אגדות), id eſt, *Talmudicas fabulas.* Cur vero *Maimonidi*, neganti quod proprie haec intelligi debeant, & in illos Iudaeos qui nimium hiſce rebus delectentur & quae non intelligant explicare tamen audeant ſeueriſſime dicenti, imperitum Iudaeorum vulgus opponit? Quid quaeſo noſtris de rebus iudicaturi eſſent aduerſarii; ſi agricolarum, ſeruorum, ſeruarum, ſartorum, ſutorum, mercatorum, audiri deberent errores? Nobis igitur quod fieri nolimus, Iudaeis ne faciamus. De *dei manibus, brachiis, oculis, auribus,* ipſa *veteris & noui foederis ſacra monumenta* loquuntur. *Commoda* autem *explicatio* omne ſcandalum tollet. Quod *de optimo* noſtro *ſeruatore blaſpheme* loquantur improbi, verum eſt. Sed id facere

n] In ſuo Entdecktem Iudenthum, Part. I. cap. 1.

cere desinent, vbi de Christianae religionis veritate per nos fuerint conuicti. Qui haec scripserunt *Talmudici doctores*, eo ipso *se gratum deo facturos* male fuerunt persuasi: o) Quorum quidem lacrymas nobis exprimat audacia.

§. 12. Ex recentioribus Iudaeis complures *in Mischnam* sunt *commentati*. In quibus *R. Moses Maimonides* & *R. Obadias de Bartenora* eminent. *In totum Talmud*, tam Mischnam quam Gemaram, commentarium dedit *R. Salomo Isaacides*. Quem ab ipso non absolutum compleuerunt *R. Samuel filius Meiri* (רש״בם p) & *Rabbenu Gerschom*, q) & alii. Haec glossa textui Talmudis iuncta tanti est momenti, vt vere dici possit, sine illa vix quenquam difficilem hunc librum intellecturum esse. Accesserunt quoque *Additiones R. Isaaci* (תוספות הר״י), per complures eruditos Iudaeos Gallos & Germanos consarcinatae. Commentarii in Talmud.

§. 13. Post inuentam typographiam, *opus Talmudicum* saepius *lucem vidit*. In editionibus *solius Mischnae* prae ceteris eminent, 1) *Amstelodamensis*, cum punctis voca- Editiones Talmudis.

o) Ioh. XVI, 2. 3.
p) Vid. Babba bathra, fol. 29, 1.
q) Vid. Maccoth, fol. 24, 1.

vocalibus, ex officina *Iosephi filii Israëlis*, A. C. 1646. 2) *Surenhusiana*, cum *versione latina* variorum, & *commentariis Bartenorae*, *Maimonidis*, & *variorum Christianorum*, Amstel. A.C. 1698-1703. In *editionibus totius Talmudis Babylonici* ceteris praeferri merentur, 1) *Veneta*, *Marci Ant. Iustiniani*, A. C. 1546. 2] Ea, quae *Amstelodami & Francofurti ad Moenum* A. C. 1714. & sequentibus prodiit. *Talmud Hierosolymitanum* semel *Venetiis*, & iterum *Cracouiae*, integrum est excusum.

CAP. I.

DE

IVDAEORVM DOCTRINA VIVA VOCE PROPAGATA.

§. 14.

Lex oralis quid sit.

Iudaeorum terminis decepti, *duplicem* Iudaeis *legem* vulgo tribuunt Christiani; nimirum *legem scriptam* (תורה שבכתב), & *legem oralem* (תורה שבעל פה). Non obstantibus autem hisce terminis, *duplicem tamen legem se ignorare Iudaei asserunt.* Quippe *legem oralem* (תורה שבעל פה) non nisi *explicationem* (פירוש) *scriptae legis* esse, vnanimiter contendunt. Dicunt enim-

nim, *omnia praecepta* per Moſen *data* eſſe *cum explicatione* (כל מצוה נתנה בפירושה). Ipſa *praecepta litteris* per Moſen eſſe *conſignata* (המצוה נכתב); *Explicationem* autem eorum *viua voce* eſſe expoſitam (והפירוש על פה). Haec 613. praeceptorum pentateuchi explicatio apud illos nomine *Torah ſchebeal peh* (תורה שבעל פה), id eſt, *Doctrinae viua voce propagatae*, venit. qq] Quippe vocabulum *Torah* [תורה], nunc *legem* vel *pentateuchum*, nunc *totum codicem ſacrum*, nunc omnem *doctrinam* ſignificat. Quod idem de graeco vocabulo *νόμος* dictum eſſe volumus.

§. 15. *Doctrinae viua voce propagatae quinque ſumma capita* ſunt. 1. *Explicationes ab ipſo Moſe* acceptae. 2. *Traditiones Moſis ex Sinai.* 3. *Caſuum deciſiones* per ratiocinia elicitae. 4. *Scita doctorum.* 5. *Conſtitutiones* eorundem, & *Conſuetudines.* Doctrinae ore propagatae ſumma capita.

§. 16. *Explicationes praeceptorum ab ipſo Moſe* acceptae (פירושים מקובלים מפי משה ע"ה) dicuntur illae, *quae quidem per ratiocinia ex ipſo pentateucho elici potuiſſent* שיש להם רמז בכתוב ואפשר להוציאם ברוך סברא]; quod autem facere opus non Explicationes ab ipſo Moſe acceptae.

qq] Vid. haec & ſequentia in *Maimonidis* Praefat. ad Sedet Seraim.

non fuit, quia ipſe Moſes has explicationes dedit. Quare etiam *nemo* vnquam *de illis controuerſiam mouit* [אין בו מחלוקת], ſed acquieuit quilibet, dummodo quis dicere poſſet: כך קבלתי, *Ita accepi.* Talis explicatio illa eſt, quod verba, *Oculum pro oculo, dentem pro dente, &c.* r] non de *poena talionis*, ſed de *mulcta pecuniaria*, ſint accipienda. Huc *praecepta & praeceptorum* referuntur *explicationes*, quae *in prophetarum ſcriptis* leguntur. Illa traditione Moſaica prophetis innotuiſſe contendunt. s]

Traditio Moſis ex Sinai.

§. 17. *Traditiones Moſis ex Sinai* [הלכות למשה מסיני] dicuntur certae *praeceptorum cautelae*, quarum *nulla in pentateucho veſtigia* reperiuntur [שאין ראיות עליהם], & quas ipſi quoque Moſi acceptas ferunt. Hinc *neque contra has* quisquam *controuerſiam* mouere audet. Tales ſunt, quod *lora phylacteriorum nigra* eſſe debeant. Quod *decimae ſecundae ex Moabitide & Ammonitide anno quoque ſabbathico* dari debeant. Quod *pentateuchi volumina atramento ſcribi* debeant.

Caſuum deciſiones per ratiocinia.

§. 18. *Caſuum deciſiones per ratiocinia* [דינין שהוציאו על דרכי סברא] dicuntur, quae cum à Moſe acceptae non ſint, poſt illum ſunt factae. Fieri enim non potuit, vt

r] Exod. XXI, 24. 25.

s] Sbhachim, fol. 18, 2, Moed katan, fol. 5, 1.

vt Moſes omnes caſus, qui infiniti ſunt, proponeret, eorumque deciſionem daret. Sed *id negotii doctoribus* deinceps futuris *dedit*, vt de illis diſquirerent, & per maiora illos deciderent. Ne vero per vagas coniecturas & ſophiſmata in diuerſum agerentur, *tredecim* illis *argumentandi modos* dedit *quorum beneficio pentateuchus* ſit *explicandus* [מדות ד׳ שלוש עשרה הנתונות על ד׳ סיני שהתורה נדרשת בהם]; quibus ſi rite vterentur, *caſuum dubiorum deciſionem ex ipſo pentateucho* ſint inuenturi. Horum beneficio, *Ioſua* & iſtius temporis *ſenatores*, *prophetae*, *Viri ſynagogae magnae*, doctoresque *Miſchnici* & *Gemarici*, caſus illos, quos ex Moſe non didicerant, deciderunt. In nonnullis ita illis felicibus eſſe contingit, vt *nulla* oriretur *controuerſia* [שלא נפלה בהן מחלוקת]. Vbi autem duorum pluriumue *ratiocinandi modorum pugna* locum habuit; de his ſaepe *in partes abierunt* doctores (נפלה בהן מחלוקת). Ne tamen ille doctorum diſſenſus noxium aliquod diuortium gigneret, cautum per Moſen fuit, *vt pluribus accederent pauciores* [כשהיתה מחלוקת ד׳׳ו הולכים אחרי רוב שנאי אחרי רבים להטות] t] Hanc-

que

t] Sanhedrin, fol. 88, 2. Babha mezia, fol. 59, 2.

que *per maiora decidendi consuetudinem* tanto cum rigore obseruandam fuisse contendunt, vt vel 1000 *prophetae* [נביאים], quorum nemo *Elia & Elisa* inferior esset, dissentientibus de casu tali dubio 1001 *doctoribus*, [חכמים], *diuinitus non afflatis, cedere* cogerentur. De eiusmodi praeceptis vel casibus controuersis dici solet: אם הלכה נקבל ואם לדין יש תשובה, *Si res ita iam decisa sit, ei subscribemus: Sin vero per ratiocinium ita inferri debere existimes, est quod opponatur.* Iosuae igitur & istius temporis senatorum decisionibus non contradixerunt sequentes. Et sic semper *antiquiorum decisiones ratas habuernnt recentiores.* Quae autem in quaestionem nondum venerunt; de iis *hodienum Iudaei decernunt.*

Scita doctorum.

§. 19. *Scita doctorum* [גזירות] dicuntnr, quae prophetae & sequiorum seculorum doctores successiue decreuerunt, *vt Mosaicam legem sepimento circumdarent* [שתקנו הנביאים והחכמים בכל דור ודור כדי לעשות סייג לתורה] eum in finem, vt homines, licitis quoque abstinere iussos, ab illicitis longius remouerent. Sic *carnibus auium & lacte* in eodem conuiuio *vesci*, quod per Mosaicam legem liceret, prohibuerunt.

Constitutiones doctorum.

§. 20. *Constitutiones doctorum* (תקנות) dicuntur, quibus per prophetas ceterosque doctores *honesto, decoro, iuribus singulorum & ciuita-*

ciuitatum, pluribusque eiusmodi ad praecepta diuina non pertinentibus rebus, *prospectum* fuit. Quales *Mosis*, *Iosuae*, *Esrae*, multorumque praeter hos constitutiones sunt; de quibus suo loco. u)

§. 21. Accedunt *Consuetudines* (מנהגים); qui sunt certi *ritus & ceremoniae*, quae à scitis & constitutionibus illo respectu differunt, quod non legi publicae doctorum, sed vel vnius vel paucorum religiosorum arbitrio, originem debeant. Quos dein ceteri, ne sectis occasio daretur, sunt imitati. *Pro regionum* tamen *diuersitate*, harum *consuetudinum aliquae* sunt *diuersae*. Habent hodie *consuetudines* alias *Iudaei Poloni*, alias *Germani*, alias *Lusitani*. Consuetudines.

§. 22. Haec singula iam *doctrinae viua voce propagatae* (תורה שבעל פה), *doctrinae acceptae* (קבלה), vel *traditionis* [מסורת] nomine venire solent. Ex quo apparet, esse *traditiones*, quae *ab ipso Mose* repetantur; esse vero etiam traditiones, quas *Mosi originem non debere* ipsi Iudaei confiteantur. Quae Moses scripta & viua voce reliquit, eaque quae per ratiocinia ex pentateucho eruuntur *diuinitus iniuncta* [מדאורייתא], cetera *per doctores iniuncta* (מדרבנן) dicuntur. Traditio.

§. 23.

u] Sect. VI. §. 358. 450. 751. 1302. 1310.

Prima traditionum origo.

§. 23. Quam *Mosi* acceptam ferunt legum scriptarum explicationem, hanc illum ex Sinai monte in castra reducem *Aharoni, proceribus* & sui temporis *piis aliquoties*, donec memoria tenerent, *recitasse* tradunt.w) *Vltimisque* ante obitum suum *diebus* hortatum esse singulos, si quis forte auditam ex se *decisionem* [הלכה] obliuioni tradiderit, vt veniret, eamque se de nouo edoceri peteret. Vel si quis *dubium* (שאלה) habeat; se illud soluturum.

Traditionis propagatio.

§. 24. Acceptas à Mose, neque minus eas, quae deinceps accesserint *traditiones, per prophetas* à Iosuae temporibus *ad Viros synagogae magnae*, perque hos ad *doctores Mischnicos* vsque ad *R. Iudam sanctum bona fide propagatas* esse contendunt. Quam *traditionis catenam* [שלשלת הקבלה] appellant; virosque nominant, per quos illa propagatio sit facta. x) R. *Iuda sanctus* autem doctrinam viua voce acceptam *in Mischnis* suis scriptam reliquit. Quare traditionis catenam vltra R. Iudam sanctum non extendunt; licet in Gemaricis quoque doctoribus nondum desierit. Sic quidem Iudaei de rebus suis credi volunt. *Christiani* autem ipsam *traditionum originem Misch-*

w] Vid. Sect. VI. §. 359. x] Sect. VI. §. 451. 752. 1301.

Miſchnicorum doctorum temporibus antiquiorem eſſe *negant.*

§. 25. Si quis doctrinae viua voce propagatae aliquod caput proponeret; antequam Talmud conſcriberetur, *effati auctor reticeri nec poterat nec debebat*, ſi fides docenti haberi deberet. y) Quin *verba praeceptoris ſine vlla immutatione*, vt prolata ab illo fuerant, erant *recitanda*: z) ne diuerſa illi affingeretur ſententia. Fit hoc per totam Miſchnam & Gemaram, ceterosque Iudaeorum libros ſymbolicos. Quare non eſt cur dubitemus, quae in illis antiquioribus doctoribus tribuuntur effata, *ipſiſſimis* verbis ab *ipſis* fuiſſe vel concepta, vel à ſuis praeceptoribus accepta. Prouocatio ad praeceptorum auctoritatem.

§. 26. Ea, *quae Moſi accepta habentur, ab illo veniſſe, doctoribus* ſuis *pie credi* volunt Iudaei. *Quae* vero doctores poſt Moſen *deciderunt & ſtatuerunt*, ea ſibi *praeceptorum inſtar* non minus eſſe debere contendunt. Quippe dicunt, *nullum eruditorum conſeſſum irrita facere poſſe, quae per alium eruditorum conſeſſum ſint decreta, niſi recentior antiquiorem & doctrina & doctorum numero vincat* אין ב"ד יכול לבטל דברי חבירו [אלא אם כן גדול ממנו בחכמה ובמנין Obedientia doctoribus debita.

a] Moſen autem ceteris prophetis, pro-

phe-

y] Brachoth, fol. 28, r. a] Abhodah ſarah, fol.
z] Schabbath, fol. 15, 1. 36, 1.

phetas viris synagogae magnae, hos Mischnicis doctoribus, hos Gemaricis, hos illis qui deinceps fuerunt, praestantiores faciunt. Quippe *cum tempore sapientiam decreuisse*, vt posteriores prioribus semper essent deteriores, statuunt. b] Et haec causa est, cur *antiquiorum statuta & decreta* non possint non *aeternae* esse *auctoritatis*. Quae *qui non admiserit*, vel *de doctoribus antiquis abiecte sentiat*; ille *Epicurei* (אפיקורוס), vel *Cuthaei* (כותי), vel *Sadduducaei* (צדוקי) vel *Baithosaei* (ביתוסי), vel *Karaei* (קראי) nomen apud illos meretur. c) Licet vero tam à ceteris doctoribus quam à Mose accepta rata esse debeant; *magnum* tamen *inter traditiones à Mose acceptas & recentiorum doctorum statuta discrimen* agnoscunt; quippe *illis auctoritatem diuinam, his non nisi humanam* tribuunt. Et haec ratio est, cur *de re, de qua ipse Moses praecepit*, in casu dubio *grauiorem* semper *sequantur sententiam*; de re autem, *de qua recentiores* tantummodo *doctores* praeceperunt, *mitiorem* [בשל תורה הלך אחר המחמיר בשל סופרים הלך אחר המיקל] d]

§. 27.

b] Erubhin, fol. 53, 1. c] Sanhedrin, fol. 99, 2, 100, 1. d] Abhodah sarah, fol. 7, 1.

§. 27. Quoniam non plures, ſed *vnum* tantummodo *legislatorem*, *vnamque legem perfectam*, nullorum vel incrementorum vel decrementorum patientem, genti ſuae dare voluit ſummum numen; *nulli prophetae* vel viro diuinitus afflato *legi Moſaicae* vel minimum *addere* (להוסיף), vel quicquam ab illa *detrahere* (לגרוע), integrum fuit. *Nullum* potuit proprie ſic dictum *praeceptum* [מצוה] *addere*; *nullum demere*. Quorum alterutrum qui auſus fuerit, is verus propheta agnoſci non debet, ſed *laqueo* [חנק] *e medio tolli*. Quodſi quis tamen ſe *veri prophetae* nomen mereri ſatis demonſtratum dederit; illi *circa legem Moſaicam, quod nulli ceterorum mortalium, facere licet* (לעשות בתורה דבר שלא יוכל כל בשר וולתו לעשותו). Quippe *quodlibet praeceptum*, dummodo ſolam *idololatriam excipias* (חוץ לע"ז), *ad tempus* (לפי שעה), minime tamen *in perpetuum* [לעד], is homines *transgredi iubere* poteſt. Et qui illi hac in re non pareant, illi peccant. Id quod praeter prophetam nulli hominum licet. *Totus* tamen *eruditorum conſeſſus* (בית דין), *ad tempus neceſſitate cogente* (בהוראת שעה), non minus *praeceptum* aliquod diuinum vel *transgredi*, vel vt alii id faciant iubere, poteſt. *Nonnulla* quoque *Moſaica praecepta*, vbi propter temporum iniuriam illa obſeruari non poſſe intelligerent,

Nonnulla immutandi licentia.

rent, *ad diuturnius tempus ſuſpenderunt*; non abrogarunt. e]

CAP. II.

DE

MISCHNA R. IVDAE SANCTI.

§. 28.

Vocabuli *Miſchna* ſignificatus.

Miſchnah (משנה), Chaldaeorum ore, *Mathnita* (מתניתא), ſignificat *vberiorem doctrinam.* In qua qui ſe exerceat, ſola codicis ſacri lectione non contentus, de eo demum praedicatur, quod *diſcat* vel *litteris operam det* [שנה chald. תנא]. Appellabant hoc vocabulo Iudaei, aliquot ante & poſt Chriſtum natum ſeculis, ſuam doctrinam. Vnde iſtorum temporum doctores *Tannaim* (תנאים) audiebant. Cum vero vberioris huius doctrinae potior pars pentateuchi ex Iudaeorum mente explicatio ſit; omnes *in ſacrum codicem commentarii* [פירוש תורה שבכתב] hoc nomine apud Iudaeos venire ſolent. Prae ceteris autem illi *doctrinae corpori*, quod *R. Iuda ſanctus* conſarcinauit, hoc nomen tribuitur.

§. 29.

e] Sect. VI, §. 1311.

§. 29. Ne enim viua voce inter Iudaeos tradita doctrina vel obliuioni traderetur, vel nimis magnam cum tempore alterationem pateretur; *R. Iuda ſanctus*, qui A. C. 120. *Sepphori* natus, ab A. C. 150. *vsque ad ſecundi ſeculi finem & diutius, Antonino pio, Aurelio, Vero, & Commodo* imperatoribus, qui ipſi Iudaeisque fauerent, *floruit*, hancce doctrinam in illud ſatis magnum corpus, quod nomine *Miſchnaioth* (משניות), id eſt, *Corporis doctrinae Iudaicae*, vel *Inſtitutionum Iudaicarum*, vel *Iudaici iuris ſanctionum*, celebre eſt, congeſſit. Vulgo creditur, libri huius rubrum ſignificare δευτέρωσιν, id eſt, *legem ſecundam* vel *repetitam*; à *ſchinnah* (שנה), *innouare, repetere*; quare etiam à Iudaeis *miſchneh torah* (משנה תורה), id eſt, *repetita lex*, appellari ſoleat. f) In hiſce tricis grammaticis nos quidem faciles ſumus. Quid nos ſtatuamus, diximus. Miſchnaioth R. Iudae ſancti.

§. 30. Continet hoc R. Iudae ſancti opus omnem ſacram Iudaeorum *doctrinam ore propagatam* (תורה שבעל פה), id eſt, totum eorum *ius ciuile & canonicum*; omnia *praecepta Moſaica cum explicatione, ſcita, ſtatuta, conſuetudines*; quae quidem illius tempore iam fuerunt. Contenta.

§. 31.

f] Halichoth olam, fol. 14.

Diſpoſitio & diuiſio.

§. 31. *Doctrinam* omnem ad *ſex ſumma capita* magnus ille *Hillel* iam reduxerat. g) Huius ad imitationem, *R. Iuda ſanctus* ſuas *Inſtitutiones iuris* in *VI. Ordines* vel *Partes* (ששה סדרים) diuiſit. Singulas partes in certos *Tractatus*, vel *Libros*, vel *Codices* (מסכתות); quorum totum opus 63 habet, ſubdiuiſit. Codices in *Capita* (פרקים) ſubdiuiduntur; quorum 523. in toto opere comparent; & quae primis ſuis vel primarum praecipuis vocibus citari ſolent. Habet quodlibet caput ſuas *miſchnaioth* [משניות], id eſt, *ſanctiones* vel *decreta*; vel *halachoth* (הלכות), id eſt, *deciſiones*, vel *regulas iuris*. Breuiter totum opus, per praecipuas ſuas diuiſiones, delineabimus.

Pars I. Seraim.

§. 32. PARS I. SERAIM (זרעים), id eſt, *de Seminibus*; continet omnes leges ad agrorum, vinearum hortorumque culturam, necnon ad fruges & fructus, pertinentes. Habet *XI. codices.*

Cod. I. Brachoth.

§. 33. *Codex I. Brachoth* [ברכות], *de precibus*. De *precibus*, cuiuscunque demum generis ſint, &, quae ad eas pertinent, vt de *phylacteriis* (תפלין), *peniculamentis* (ציצית), & *officio legi operam dandi* [תלמוד תורה) praecipit. Huic tractatui in toto opere primus locus datur, quia officium in

g) Sect. VI. §. 1334.

in deum continet; & tale quidem, quod ſingulis diebus eſt praeſtandum. Sed nec incommode ad hanc partem refertur; cum nullis vel frugibus vel fructibus, nullo vel cibo vel potu, ſine praeuia precatiuncula frui liceat. Habet IX. capita.

§. 34. *Codex* 2. *Peah* (פאה), *de Angulo.* Agit de plerisque *eleemoſynis* (מתנות עניים) *ex meſſe* erogandis. Habet VIII. capita. Codex 2. Peah.

§. 35. *Codex* 3. *Demai* [דמאי], *de Re dubia.* Praecipit de frugibus & fructibus, & ex his praeparatis cibis vel potionibus, de quibus dubitatur, vtrum *deo debita* (מתנות הק"בה), id eſt, *primitiae & decimae* [תרומה ומעשר], ex illis ſint perſoluta. Item, *de quibus ſcitur, quod data non ſint* [שבל]. Habet VII. capita. Cod. 3. Demai.

§. 36. *Codex* 4. *Kilaim* [כלאים], *de Heterogeneis.* De heterogeneis *frugum, fructuum, olerum, arborum,* [כלאי זרעים]; *animalium* (כלאי בהמה); & *veſtium* [כלאי בגדים], praecipit. Habet IX. capita. Cod. 4. Kilaim.

§. 37. *Codex* 5. *Schbhiith* (שביעית), *de Anno ſeptimo.* Praecipit de *agricultura*, & quae ad illam pertinent, *anno ſabbathico intermittendis* (שמטת קרקעות). Deque *debitis* iſto anno *remittendis* (שמטת כספים). Habet X. capita. Cod. 5. Schbhiith.

Cod. 6. Trumoth.

§. 38. *Codex* 6. *Trumoth* (תרומות), *de Primitiis.* Agit de primitiis *ex frugibus & fructibus ſacerdotibus* dandis. Habet XL. capita.

Cod. 7. Maaſeroth.

§. 39. *Codex* 7. *Maaſeroth* (מעשרות), de *Decimis.* Praecipit de Decimis *ex frugibus, fructibus, & oleribus, Leuiris* perſoluendis. Habet V. capita.

Cod. 8. Maaſer ſcheni.

§. 40. *Codex* 8. *Maaſer ſcheni* (מעשר שני) de *Decimis ſecundis.* Praecipit de decimis ſecundis *ex frugibus* (מעשר דגן) ab ipſis dantibus Hieroſolymis conſumendis. Nec non de *decimis pecorum* (מעשר בהמה) ibidem pro victimis offerendis & conſumendis. Denique de *fructibus arborum quarto,* ex quo plantatae fuerant, *anno genitis* [כרם רבעי] ibidem conſumendis. Habet V. capita.

Cod 9. Challah.

§. 41. *Codex* 9. *Chullah* [חלה], de *Placenta.* Agit de placenta ex farinae maſſa, quoties panes pinſantur, *pro ſacerdotibus ſeparanda.* Habet IV. capita.

Cod. 10. Orlah.

§. 42. *Codex* 10. *Orlah* (ערלה), de *trium primorum annorum fructibus.* De fructibus, quos recens plantatae arbores tribus primis annis ferant, *nec comedendis nec in vſus ſuos conuertendis,* praecipit. Habet III. capita.

Cod. 11. Biccurim.

§. 43. *Codex* 11. *Biccurim* (בכורים), de *Primitiuis.* Agit de primitiuis *ex nonnullis* frugi-

frugibus & fructibus [Deut. VIII, 8.] *sacerdotibus* dandis. Habet IV. capita.

§. 44. PARS II. MOED. (מועד), id est; de *Festis;* leges de sabbathis diebusque festis rite obeundis exponit. Habet *XII. codices.* Pars II. Moëd.

§. 45. *Codex* 1. *Schabbath* (שבת), de *Sabbatho.* De *quiete sabbathica, operibusque* sabbatho *licitis & illicitis*, praecipit; vt & de *sabbathi festiuitate.* Incidenter de *Encaeniorum festo* disputatur. Habet XXIV. capita. Cod. 1. Schabbath.

§. 46. *Codex* 2. *Erubhin* (עירובין), de *Mixturis.* Leges de *itinere sabbathico dierumque festorum*, & de *rebus ex loco in locum* hisce diebus *deportandis*, deque *cibis die festo* in sabbathi vsum *licite coquendis*, continet. Habet X. capita. Cod. 2. Erubhin.

§. 47. *Codex* 3. *Pschim* (פסחים), de *paschate.* De paschatis *festo, fermento remouendo, azymis* rite pinsendis, *agno paschali, sacrificiisque* cum illo offerendis, ritibus in *coena paschali* obseruandis, necnon de *secundi mensis paschate*, praecipit. Habet X. capita. Cod. 3. Pschim.

§. 48. *Codex* 4. *Bezah* (ביצה), de *Ouo*, vel *Iom tobh* (יום טוב), de *Diebus festis.* De iis, *quae diebus festis facere fas & nefas* sit, praecipit. Habet V. capita. Cod. 4. Bezah.

§. 49. *Codex* 5. *Chagigah* (חגיגה), de *Victimis festiuis.* Docet, *quibusnam* in tri- Cod 5. Chagigah.

bus festis maioribus *Hierosolymam confluere incumbat*; quas ibi *victimas* offerre, & quando, teneantur; necnon quomodo *munditiei diebus festis studeri* debeat. Habet III. capita.

Cod. 6. Moëd katan.

§. 50. *Codex 6. Moëd katan* (מועד קטן), de *Interfestis diebus.* Continet leges de iis, quae intermediis paschatis & scenopegiae festorum diebus *facere fas sit & nefas* sit. Nec non, quomodo *in luctu constitutus sabbatho & diebus festis* gerere se debeat. Habet III. capita.

Cod 7. Rosch hasschanah.

§. 51. *Codex 7. Rosch hasschanah* (ראש השנה), de *Nouo anno.* De diuersis *anni epochis, ordinandis mensibus*, nouique anni *festi ritibus praecipit.* Habet IV. capita.

Cod. 8. Ioma.

§. 52. *Codex 8. Ioma* (יומא), de *Expiationis die.* De *functionibus summi pontificis* die expiationis peragendis, deque huius festi *victimis, ritibus & ieiunio exponit.* Habet VIII. capita.

Cod. 9. Succah.

§. 53. *Codex 9. Succah* (סוכה), de *Scenopegiae festo.* Leges de construendis hoc festo *tabernaculis, fasciculis ramorum & pomo citreo* gestandis, *festique* tabernaculorum *ritus*, exponit. Habet V. capita.

Cod. 10. Taanith.

§. 54. *Codex 10. Taanith* (תענית) de *Ieiuniis.* De *ieiuniorum publicorum ritibus, quibusque diebus ieiunare nefas* sit, exponit. Habet IV. capita.

§. 55

§. 55. *Codex* 11. *Megillah* [מגילה] de *Volumine.* De *Bacchanaliorum festi* (פורים) ritibus praecipit; quomodo *volumen Estherae scribi* debeat; & quomodo *praelectiones solennes in Synagogis* sint instituendae; denique de *Synagogis earumque iuribus.* Habet *IV.* capita. Cod. 11. Megillah

§. 56. *Codex* 12. *Schekalim* (שקלים) de *Siclis.* De *dimidiis siclis, in cultus publici & templi vsus* dandis & colligendis, praecipit. Habet VIII. capita. Codex 12. Schekalim.

§. 57. PARS III. NASCHIM (נשים), id est, de *Vxoribus*; de re vxoria tradit. Habet *VII. codices.* Pars III. Naschim.

§. 58. *Codex* 1. *Iebbamoth* (יבמות), de *Fratria.* De *iure leuiratus* (יבום) praecipit; & de *exuendo calceo*, si defuncti fratris viduam ducere nolit frater (חליצה). De iis, *quibuscum matrimonia inire Israelitis nefas* est (פסולי לבא בקהל). De *secundis vxoris nuptiis*, si de prioris mariti morte vel falsa vel incerta nunciauerint testes (עגונה). Habet XVI. capita. Cod. 1. Iebbamoth.

§. 59. *Codex* 2. *Ktubhoth* (כתובות), de *Contractibus matrimonialibus.* De *re pecuniaria coniugum* praecipit. Vt de pactis matrimonialibus; de vxorum & maritorum priuilegiis & praestandis; de *virginum & viduarum iuribus*; de *haereditatibus.* Habet XIII. capita. Cod. 2. Ktubhoth.

Cod. 3. Kiddu-schin.

§. 60. *Codex* 3. *Kiddaſchin* (קידושין), de *Sponſaliis.* Continet leges, quomodo *ſponſalia, vt rata ſint*, fieri poſſint & debeant. De *patris in liberos officiis.* De *inceſtis matrimoniis.* Habet IV. capita.

Cod. 4. Gittin.

§. 61. *Codex* 4. *Gittin* [גטין], de *Libello repudii.* Exponit leges de Diuortiis & Libello repudii. Habet IX. capita.

Cod. 5. Nedarim.

§. 62. *Codex* 5. *Nedarim* (נדרים), de *Votis.* Praecipit de votis; *quomodo* illa, & *per quos*, *fieri* poſſint. Quorum, quomodo, & per quos, *vota diſſolai* poſſint. Ad hanc partem hic tractatus refertur; quia penes maritum eſt, vtrum vxoris vota rata eſſe debeant, necne. Habet XI. capita.

Cod. 6, Naſir.

§. 63. *Codex* 6. *Naſir* (נזיר), de *Naſiraeis.* De Naſiraeorum *ſpeciebus, officiis, victimis, iuribus*, praecipit. Quia, inuito marito, Naſiraeatum ſubire vxori non licet, huc refertur. Habet IX. capita.

Cod. 7. Sotah.

§. 64. *Codex* 7. *Sotah* [סוטה] de *Adultera.* De *vxore adulterii ſuſpecta; quaenam talis* haberi debeat; quali *admonitione* ſit terrenda; & de *aquis amaris ritibusque* concomitantibus, praecipit. Subiunguntur omnes *leges*, quae *praelectionem ex pentateucho requirunt*; inque his praeceptum *de vitula decollanda.* Docetur ſimul, quibus in caſibus *praelectio* illa *lingua ebraica* fieri debeat; & in quibus etiam *diuerſis in linguis* fieri poſſit. Habet IX. capita.

§. 65. PARS IV. NESIKIN (נזיקין), id est, de *Damnis*. De *iure ciuili*, cauſisque forenſibus, tribunalibus, delictis, reis, poenis, teſtibus, iuramentis, &c. praecipit. Habet *X. codices*. Pars IV. Neſikin.

§. 66. *Codex* 1. *Babha kama* (בבא קמא), id est, *Porta iudicialis prima*. Agit de *damnis alterius vel corpori vel bonis*, per alicuius vel malitiam vel incuriam, per ipſum vel illius res, *illatis*. Quo leges de *furto* & *latrocinio* pertinent. Habet IX. capita. Cod. 1. Babha kama.

§. 67. *Codex* 2. *Babha mezia* (בבא מציעא) id est, *Porta media*. De *re deperdita* & inuenta (אבדה), de *depoſito* [שומרים], *emtione & venditione* (מקח ומכר), *vſura & foenore* (רבית), *locatione & conductione* [נושא שכר] *vicinorum iuribus* [שכנים] &c. praecipit. Habet X. capita. Cod. 2. Babha mezia.

§. 68. Codex 3. *Babha bathra* (בבא בתרא), iſt eſt, *Porta poſtrema*. De *communionibus* (שותפות); *ſeruitutibus* (הרחקת דברי המזיקין); *poſſeſſione* & *praeſcriptione* (חזקה); *rerum emtarum* & *venditarum*, ſiue immobilia ſint ſiue mobilia, *acceſſoriis* [דיני שפל לעיקר הנמכר סתם בקרקעות ומשלטלין]; *haereditate & ſucceſſione* (נחלות); *inſtrumentis* (גטי חוב); *mutuo datis & acceptis* (הלואה); *fideiuſſionibus* (ערבות), praecipit. Habet X. capita. Cod. 3. Babha bathra.

Cod. 4 Abhodah ſarah.

§. 69. *Codex* 4. *Abhodah ſarah* (עבודה זרה), vel *Abhodath Elilim* [עבודת אלילים], vel *Ahodath Cochabhim* (עבודת כוכבים) [, de *Idololatria.* Hic codex de idololatria, *rebus quas ab idololatris emere* & illis *vendere* liceat vel non liceat, *vino idololatrarum*, extraneorum hominum *vaſorum vſu, rerumque illicitarum & immundarum vſu*, praecipit. Habet V. capita.

Cod. 5. Sanhedrin

§. 70. *Codex* 5. *Sanhedrin* (סנהדרין), de *Tribunalibus* Praecipit de *tribunalibus ſuperioribus & inferioribus*; de *ſummi pontificis & regis iuribus*; de *teſtibus* eorumque *examine*; de *quatuor ſuppliciorum generibus*; de *filio immorigero*; de *ſenatore ad plures accedere nolente*; de *prophetarum delictis & poenis.* Caput poſtremum, quod *Chelek* [חלק] inſcribitur, de *vita aeterna* agit; & quinam illius participes ſint futuri, docet. Habet XI. capita.

Cod. 6. Maccoth.

§. 71. *Codex* 6. *Maccoth* (מכות) de *Fuſtuario.* De *teſtibus mendacibus* eorumque poena praecipit. De *homicidio per errorem commiſſo* & *aſylis.* De *fuſtuario.* Habet III. capita.

Cod. 7. Schbhuoth.

§. 72. *Codex* 7. *Schbhuoth* [שבועות], de *Iureiurando.* Praecipit de iuramentis, eorum *ſpeciebus*, & *periurio*: Nec non de *victimis maius & minus recipientibus* (קרבן עולה ויורד). Habet VIII. capita.

§. 73. *Codex* 8. *Edüioth* (עדויות) id eſt, *Teſtificationes*: Caſuum variorum *deciſiones* exponuntur. Habet VIII. capita. Cod. 8. Eduioth.

§. 74. *Codex* 9. *Horaioth* [הוריות], de *Reſponſis*. *Exponitur* de *male datis reſponſis*; & quibus *victimis* hi errores expiari debuerint. Item de *praecedentia perſonarum*. Habet III. capita. Cod. 9. Horaioth.

§. 75. *Codex* 10. *Pirke Abhoth* [פרקי אבות] id eſt, *Apophthegmata patrum*. Virorum celebrium de bonis moribus praecepta & ſcite ſapienterque dicta continet. Habet 6. capita. Caput poſtremum per *R. Iudam ſanctum* non ſcriptum eſſe creditur. Cod. 10. Pirke Abhoth.

§. 76. PARS V. KODASCHIM (קדשים), id eſt, de *Sacris*. Praecipit de rebus & locis deo ſacris. Habet *XI. codices*. Pars V. Kodaſchim.

§. 77. *Codex* 1. *Sbhachim* (זבחים,) de *victimis*. De omnibus *victimarum ſpeciebus*, earumque *ritibus*, *quando legitimae & illegitimae* ſint, *per quos* offerri debeant & non debeant, praecipitur. Habet XIV. capita. Cod. 1. Sbhachim.

§. 78. *Codex* 2. *Mnachoth* (מנחות), de *Fertis*. *Fertorum & libaminum ſpecies* enumerantur. Agitur de *candelabro ſacro*, de *pentateuchi volumine* (ספר תורה,) de *phylacteriis* (תפלין), de *ſchedis portis affigendis* (מזוזה) de *peniculamentis* [ציצית,] de de *manipulo paſchali* [עומר], de *ſacrificio* Cod. 2. Mnachoth.

eu-

eucharistico [תורה] illiusque ritibus; de *sacrificiis pro toto coetu* offerendis [קרבנות ציבור]; de *manibus victimae imponendis* [סמיכה], & *supponendis* (תנופה); de duobus *panibus pentecostalibus* [שתי הלחם]; & de *panibus in aede sacra exponendis* [לחם הפנים]. Habet XIII. capita.

Cod. 3. Bchoroth.

§. 79. *Codex* 3. *Bchoroth* (בכורות) de *Primogenitis. Ex quibus animalium speciebus* & quando *primogenita deo consecrari* debeant, praecipitur. Quid cum *integris* (תמים) & *vitio laborantibus* (בעלי מומים) sit faciendum. De *vitiis perdurantibus* [מום קבוע] & *non perdurantibus* (מום עובר) praecipitur. Item de *vitiis corporis humani* [מומי אדם]. De *primogenitis filiis*, eorumque iuribus. De *decimis pecorum*. Habet IX. capita.

Cod. 4. Chulin.

§. 80. *Codex* 4. *Chulin* (חולין) de *Cibis communibus* vel vulgaribus. Quid in *mactandis pecoribus & auibus* (שחיטה) obseruandum sit, exponitur. De *non comedendis morbidis* (טריפה) eorumque *signis*. De non comedendis *sebo* (חלב) & *sanguine* [דם]. De *auium mundarum & immundarum signis*. De *ouorum* ab auibus & reptilibus excluforum *signis*. De *aquatilium* mundorum & immundorum *signis*. De *non mactandis eodem die matre & vitulo*. Quorum animalium mactatorum *sanguis terra contegi* debeat (כיסוי הדם) docetur.

De

De *neruo coxendicis* [גיד הנשה]. De *non comedendis simul carne & lacte* (בשר בחלב). De *animalium partium immunditie*. De *sacerdotum reditibus* (מתנות כהונה). De *aue* in ouis vel pullis capta *dimittenda* (שילוח הקן]. Habet XII. capita.

§. 81. *Codex* 5. *Erachin* (ערכין) *de Aestimationibus.* Praecipit *de redemtione rerum deo consecratarum*, quae redimi possunt. Habet IX. capita. Cod. 5. Erachin.

§. 82. *Codex* 6. *Tmurah* (תמורה), de *Permutatione.* Exponuntur leges, quibus praecipitur, *quae victimae* deo consecratae, quomodo & quando, *permutari* possint. Quid inter *priuatorum victimas* [קרבנות יחיד] & *sacrificia publica* (קרבנות ציבור) intersit. *Quae pecora* pro victimis *offerre non liceat.* Quid inter ea, quae *altari* [קדשי מזבח] & *templo consecrata* sunt [קדשי בדק הבית], intersit. Quaenam ex hominum conspectu remouendorum sint *sepelienda*, quae vero *comburenda.* Habet VII. capita. Cod. 6. Tmurah.

§. 83. *Codex* 7. *Crithuth* (כריתות), de *Exterminatione.* Recensentur *delicta*, per quae delinquens *vindictae diuinae*, quam *Carath* (כרת) Iudaei appellant, reum se faciat, si nimirum *ex proaeresi sint commissa* (במזיד); & propter quae *per errorem* commissa *sacrificium piaculare* sit offerendum (חטאת בשוגג). Necnon ea, propter quae Cod. 7. Crithuth.

sa-

ſacrificium maius & minus recipiens (קרבן עולה ויורד) ſit offerendum. Porro de *ſacrificio pro delicto dubio* (אשם תלוי) agitur. Item de *delictis, quae pluribus quam vno ſacrificio expiari* debeant. Habet VI. capita.

Cod. 8. Meilah. §. 84. *Codex* 8. *Meilah* (מעילה), de *Sacrilegio. Quibus rebus ſacrilegium committatur*, & quid ſacrilegii reo faciendum ſit, docetur. Habet VI. capita.

Cod. 9. Tamid. §. 85. *Codex* 9. *Tamid* [תמיד], de *Quotidiano cultu. Functiones ſacerdotum quotidianae* recenſentur. Habet VII. capita.

Cod. 10. Kinnim. §. 86. *Codex* 10. *Kinnim* (קנים), id eſt, *Nidi.* De *holocauſtis & ſacrificiis piacularibus ex auibus* praecipitur. Habet III. capita.

Cod. 11. Middoth. §. 87. *Codex* 11. *Middoth* (מידות), id eſt, *Menſurae. Templi ſecundi deſcriptionem* dat. Habet V. capita.

Pars VI. Taharoth. §. 88. *Pars VI. Taharoth* (טהרות), id eſt, de *Munditie.* Leges de *munditie, immunditiebus & purificationibus* continet. Habet XII. codices.

Cod. 1. Niddah. §. 89. *Codex* 1. *Niddah* (נדה), id eſt, *Fluxu menſtruo laborans.* De *omni feminarum ſanguinis fluxu*, mundo & immundo, necnon de *puerperio*, praecipit; legesque illuc pertinentes continet. Incidenter quoque de *pollutione nocturna* agitur. Habet X. capita.

§. 90.

§. 90. Codex 2. *Kelim* (כלים), de *Vasis.* Quae *vasorum & suppellectilium* species, quando & quomodo, *immunditiem* contrahant, exponitur; & quomodo *purificanda* sint, docetur. Habet XXX. capita. Cod. 2. Kelim.

§. 91. *Cod. 3. Ohaloth* (אהלות), de *Tentoriis.* Praecipitur de *immunditie ex cadauere humano* contracta (שומאת מת); & quod tale cadauer *contactu* (במגע), *quibus impositum* sit & *à quo gestetur*, (במשא), & quae cum illo *in eodem tentorio* sint (באהל), immunda reddat. Docet, quae res *immunditiem arceant* (חוצץ שומאה). De *fundis* quoque, *in quibus occulta sepulchra* sint, (בית הפרס), agitur. Habet XVIII. capita. Cod. 3. Ohaloth.

§. 92. *Codex 4. Negdim* (נגעים), id est, *Plagae.* De omnibus *leprae speciebus*, earum *signis* [סימנין], *immunditie* [שומאה], & *purificatione* [טהרה] praecipitur. Habet XIV. capita. Cod. 4. Negaim.

§. 93. *Codex 5. Parah* [פרה], de *Vacca rufa.* Praecipitur de *Vacca rufa comburenda*, deque *eius cineribus aquae lustrali immittendis*, cuius virtute immundities ex cadauere humano contracta tollatur. Habet XII. capita. Cod. 5. Parah.

§. 94. *Codex 6. Taharoth* (טהרות), de *Purificationibus.* Agit de *immundo cibo* & *potu*; deque *locis & hominibus immunditiei suspectis.* Docet quoque, quibus rebus & Cod. 6. Taharoth.

quo-

quomodo *immundities propagetur.* Habet 10. capita.

Cod. 7. Mikuaoth. §. 95. Codex 7. *Mikuaoth* (מקואות), de *Lauacris.* Praecipit de *aquis & lauacris*, quae *ad immundorum baptiſmum apta* ſint vel *inepta.* Et quomodo baptiſmus fieri debeat, docet. Habet X. capita.

Cod. 8. Machſchirin. §. 96. Codex 8. *Machſchirin* (מכשירין), de *Diſponentibus.* De *liquoribus* agitur, per quos *cibi ad reçipiendam immunditiem* diſponantur. Habet VI. capita.

Cod. 9. Sabhim. §. 97. Codex 9. *Sabhim* (זבים), id eſt, *Seminis fluxu laborantes.* De omni *ex ſemine immunditie*, vt ex *gonorrhea, pollutione nocturna*, &c. praecipitur. Habet V. capita.

Cod. 10. Tbhuliom. §. 98. Codex 10. *Tbhul iom* [טבול יום], de *Loto dum adhuc dies eſt.* Praecipitur de eo, qui non niſi *vnici diei immunditiem contraxerat*, & ad eam abſtergendam *balneum ingreſſus* eſt; *qualis illius ante ſolis occaſum conditio* ſit. Habet IV. capita.

Cod. 11. Iadaim. §. 99. Codex 11. *Iadaim* [ידים], id eſt, *Manus.* Docetur, *quibus rebus manus immundae* fiant; deque *earum lotione*, necnon *vaſis & aqua lotioni aptis*, praecipitur. Habet IV. capita.

Cod. 12. Okzim. §. 100. Codex 12. *Okzim* [עוקצים], id eſt, *Petioli fructuum.* Diſputatur de *rebus, quae in cibis numerari*, adeoque *ciborum*

rum immunditiem contrahere possint. Habet III. capita.

§. 101. Has suas *Institutiones iuris* R. *Iuda sanctus*, si Iudaeos audiamus, annis circiter 120. vel 150. à templi excidio, id est, circa A. C. 190. vel 220, compilauit. Quam nati *operis Mischnici aetatem*, *Seculum II. inclinans vel III. incipiens*, Christianorum plerique agnoscunt; & nos agnoscimus. Nihil enim nos mouet *Morinus*, h] qui *medio* demum *Sec. VI.* hoc opus conscriptum esse suspicatur. *Isaaci Vossii* autem coniectura, quod *Mischna, per Aquilam graeco* primum *sermone* compilata, *Iustiniani* demum *temporibus in Ebraeum translata* sit, nullam prorsus attentionem meretur. i] Conscripti Operis Mischnici aetas.

§. 102. In vnum corpus doctrinam à veteribus acceptam, suae aetatis doctorum consensu, relaturus *R. Iuda sanctus*, *doctorum* quidem *omnium effata*, vel ex eorum schedis vel aliunde sibi cognita, sollicite *collegit*, inque librum suum conscripsit. Minime tamen eo consilio, vt sine discrimine singula pro agendorum norma reciperentur. Contradictoria enim simul stare Methodus, qua hoc opus conscriptum.

h) Exercitat. Bibl. lib. II. Exerc. VI. cap. 2.
i) Vid. *Io. Christoph. Wolf.* Bibliothec. Heb. Part. II. pag. 680. 681.

re non posse, probe nouerat. *Recipi* sane *pro norma* voluit, *quae in ipso pentateucho* essent scripta; *quae ab ipso Mose profectae* credebantur *praeceptorum explicationes*, & *traditiones Mosis ex Sinai*; de quibus quid statuendum sit, veterum aliquod *Exemplum* (מעשה) euinceret; & quae praeterea *decisionis indubiae* (הלכה מקויימת) nomen mererentur. Quae vero *decisiones dubiae* (הלכה רחויה) essent, de iis *varias variorum* protulit *sententias*; quarum recipienda vna, ceterae reiiciendae essent. k)

Doctorum Mischnicorum auctoritas.

§. 103. Magna sane *doctorum Mischnicorum* apud Iudaeos *auctoritas* est; quam *labefactare recentiorum doctorum nemini integrum* fuit. *Nihil* vero *contra antiquiores valet.* Longe illis *praeferuntur*: 1. *Pentateuchus* & *codex sacer* (תורה שבכתב) 2. *Explicationes praeceptorum Mosaicae* (פירושים מקובלים מפי משה ע"ה). 3. *Traditiones Mosis ex Sinai* (הלכה למשה מסיני). 4. *Exempla* veterum (מעשה). 5. Quae ante illos *per prophetas & Viros synagogae magnae decisa* fuerunt. Contra haec tentare quid illis omnino nefas fuit. Quodque *ea bona fide* ad posteros *propagauerint*, illis pie creditum fuit. Quae vero decisa nondum essent, de illis ipsi dispexerunt.

§. 104.

k] Halichoth olam, pag. 13. seqq.

§. 104. Tantum igitur abfuit, vt *ſcripturae ſacrae contradicere doctori Miſchnico liceret*, vt huius effata illius auctoritate niti deberent. Quippe vbi de effati Miſchnici veritate diſquiritur; probationem ex ſacro codice hisce verbis, מנא הני מילי, *Vnde quaeſo de eo conſtat?* Gemara requirit. Quodſi igitur doctoris Miſchnici effatum ſacro codici repugnare doceri poſſet, vt inſulſum reiiciendum foret. l)

Doctor Miſchnicus ſcripturae ſacrae ne contradicat.

§. 105. Hinc *ſi doctoris Miſchnici effatum ſcripturae ſacrae aduerſari videatur*; huius auctoritas illi opponitur. m) Quae prouocatio ad ſcripturae ſacrae effatum contra doctorem Miſchnicum *Auctoritatis oppoſitio* vel *Refutatio* (תיובתא) appellatur. n)

Auctoritatis ſcripturae ſacrae oppoſitio.

§. 106. Quin miratur Gemara, ſi in Miſchna id, quod *per ratiocinium* (בדרשא) effectum fuit, praemittatur; & tum demum, quod diſertis in pentateucho verbis eſt ſcriptum, ſubiungatur. Inuerſi huius ordinis haec dari ratio ſolet: משום דאתויא מדרשא חביבא ליה זאקדמה *Quoniam per ratiocinium effectum erat; illo magis delectatus fuit, adeoque praemiſit.* o)

In pentateucho diſertis verbis ſcripta primum occupent locum.

§. 107.

l) Halichoth olam, pag. 28.
m) E.g. Abhodah ſarah. fol. 23, 1. 2. 24, 1. 2,
n) Halichot olam, pag. 28
o) E. g. Iebhamoth, fol. 2, 2. 3, 1. Babha kama, fol. 17, 2. Halichoth Olam, p. 104.

Miſchnicis doctoribus Gemarici ſunt inferiores.

§. 107. *Gemarici doctores* multo *inferiores Miſchnicis* ſunt. Hinc *Miſchnicis contradicere non debent* Gemarici; niſi Miſchnici alii ſint, à quorum ſtent partibus. Qua enim de re Miſchnici inter ſe diſſenſerunt; in ea Gemaricorum alter ad huius alter vero ad illius Miſchnici doctoris partes accedere poteſt. *Non* eſt Gemaricorum, *pro auctoritate loqui*, vt Miſchnici fecerunt; ſed *in Miſchnicorum effata commentari, rationesque* cur ita ſtatuerint *inueſtigare.* Et ne plus, quam competat, ſibi ſumere videantur; *à quo Miſchnico* doctore *ſua hauſerint, reticere non debent.*

Autoritatis oppoſitio.

§. 108. Obiectio, qua effati Miſchnici virtus Gemarico doctori opponitur, *Auctoritatis oppoſitio* vel *Refutatio* (חיובתא) appellatur. p)

Exceptio à Miſchnicorum diſſenſu.

§. 109. Contra ea dubium vel Exceptio, qua Miſchnicos doctores diſſentire oſtenditur, vniusque auctoritati alterius auctoritas opponitur, *Contradictio* vel *Exceptio à Miſchnicorum diſſenſu* (רומיא) ſalutatur. q)

Conſequentia per Gemaricum ex Miſchna elicita.

§. 110. Si doctor Gemaricus aliquo ſuo effato nihil proferre videatur, niſi de quo ex Miſchna iam conſtet; occinitur illi: מאי קמ"ל תנינא *Quid quaeſo noui nos edocet? Hoc-*

p] Hallchoth olam, pag. q] Ibid.

Hoccine in Miſchna dictum iam eſt? Vel: מתניתין אתא לאשמועינן, *Nil, niſi quod in Miſchna iam eſt, profert.* Quaſi vero Miſchnam ignoraremus, ex qua ille ſua hauſit! Neque tamen horum verborum is ſenſus eſt, quod illud Gemarici doctoris effatum in Miſchna diſertis verbis legatur; ſed tantummodo, quod ex Miſchnae verbis *per bonam conſequentiam* (מדיוקא) elici poſſit. Vnde reſponderi ſolet! דיוקא דמתניתין אתא לאשמועינן, *Id diſertis verbis nos edocet, quod ex Miſchna non niſi per bonam conſequentiam elici poteſt.* r) Sed iſta obiectio contra Gemaricum doctorem formari non ſolet, *niſi illud Miſchnici effatum*, ex quo id, quod protulerat, efficitur, *ſatis cognitum ſit omnibus* (שגורה בפי הכל); nimirum ſi *in Miſchnaioth* legatur. Nonnunquam tamen etiam formatur; ſi *in Exoticis* extet. Quin *ſi ex antiquioris Gemarici effato iſta conſequentia fluat*, tale quid interdum dicitur. s) Quod *alio ſenſu* haec verba *R. Iudae ſancto* occini quoque ſoleant, ſuo loco t) videbimus.

§. 111.

r] E. g. Ktubhoth, fol. 42. 55. 56. 17, 2.

s] Halichoth olam, p.

t] §. 147.

Styli Miſchnicorum & Gemaricorum diuerſitas.

§. 111. *Doctores Miſchnici obſcurius & conciſius loqui* conſueuerunt (דרכי התנאים לסתום דבריהם ולא לפרש). Quare *a litterali verborum ſenſu* nonnunquam *recedere licet* (ולזה אנו יכולין לרוחק ולהוציאם ממשמעות), & dicere: ה"בע, id eſt, הכא במאי עסקינן, *Hic de eo ſermo eſt.* u) Vel: ה"ק, id eſt: הכי קאמר, *Hoc eſt, quod dicit*: w) id eſt, *Hic verborum eſt ſenſus.* Doctorum autem *Gemaricorum* fuit, *clare & perſpicue loqui* (אמוראי היה להם לבאר ולפרש דבריהם). Quare in eorum effatis exponendis *ſenſum litteralem deſerere non licet.* x) Pro ſeculorum enim diuerſitate docendi methodus diuerſiſſima fuit. Multa paucis dixerunt veteres, ob eamque cauſam obſcurius; pauca multis recentiores, & clarius.

Emendatio Miſchnae per Gemaricos.

§. 112. Quoniam tam conciſus Miſchnae ſtylus eſt, *cum limitatione* aliqua eam nonnunquam *explicare Gemara* non dubitat (מגידה הגמרא המשנה), dicendo: חסורי מיחסרא והכי קתני, *Hic ellipſis eſt; & verba Miſchnae hunc in modum ſunt accipienda.* y] Ita vero tantummodo dicere licet, ſi qua in Miſchna *ellipſis eſſe*, *quae ſupplen-*

u] E. g Nidah, fol. 31, 2. Brachoth, fol. 26, 1.

w] E. g. Brachoth, fol. 9, 1.

x] Halichoth Olam, p. 60. 61.

y] E. g. Bezah, fol. 24, 1.

ſupplenda ſit (לתוספיך) videatur. Minime vero verba *mutare* [להחליף] fas eſt. Quod ſi quis immutare quid in Miſchna audeat; illi acclamatur: והא דתני קתני, *At vero ita Miſchnae verba ſonant.* z)

§. 113. Licet *conſummatiſſimos doctores* fuiſſe *Miſchnicos* contendant Iudaei; nihil tamen humani ab illis alienum fuiſſe, largiuntur. *Doctior alter* fuit; *alter indoctior.* Hinc fieri nequiuit, quin *diſſentirent*; &, quia per paria iura id facere liceret, *alter alteri contradicerent.* Cuius *celebrior doctrina* eſſet, illius *effata pro veris* plerumque fuerunt recepta, vel ſaltem vt *praeſtantiora praelata*, &, quae his contradicerent, reiecta. Quare multum interfuit, ſcire, *cuiusnam doctoris effatum* eſſet, de quo quaereretur; perque totam Gemaram in id ſtudioſiſſime inquiritur. *Gradus* enim *doctorinae*, & *quod errare potuerint*, inque multis errauerint, in doctoribus hiſce agnoſcunt. Tam parum autem ſubacti iudicii, vt *ſibi ipſe contradiceret*, vel *diceret, quae contradictionem inuoluerent*, quemquam fuiſſe negant. Quare ab hoc crimine eos liberare ſatagit Gemara. Quod vero *ſententiam* nonnunquam *mutauerint*, con-

Miſchnici doctores errare potuerunt.

z] E. g. Ktubhoth, fol. 12, 1. Halichotb olam, p. 60.

concedunt. Cum enim prioribus meliores esse soleant cogitationes posteriores; viri cordati est, agnitum errorem non pertinaciter defendere. Nullius tanta doctrina fuit, quin *toti eruditorum consessui* vel *pluribus cedere* cogeretur.

Doctor Mischnicus a contradictione liberatur.

§. 114. Ad obiectionem, quod *doctor Mischnicus sibi ipse disertis verbis contradicat* (כשמקשה על תנא מדידיה אדדידיה), bifariam responderi solet. Et primo quidem: הא דידיה הא דרביה, *Altera illius ipsius, altera vero praeceptoris eius sententia est.* a) Vel ita quoque responderi solet: תרי תנאי אליבא דפלוני, *Duorum doctorum Mischnicorum,* (qui discipuli eius fuerunt,) *alter praeceptorem N. N. ita, alter vero ita dixisse tradidit.* b) Vt discipulorum, diuersam praeceptori suo doctrinam tribuentium, vtriusque veracitati prospiciatur, auctor libri Halichoth olam ita rem expediri posse existimat, si statuatur, doctorem illum N. N. sententiam suam mutasse; audiuisseque ambos quidem discipulos ex eo priorem illius sententiam, alterutrum autem tantummodo eam, quam deinceps adoptauerit. Raschi au-

a] E. g. Babha kama, fol. 30, 1. b] E. g. Brachoth, fol. 3, 1.

autem, alterutrum male intellexiſſe praeceptorem, & falſa dixiſſe, ſtatuit. c)

§. 115. Si cuius vel Miſchnae vel Exoticorum *effati prior* (רישא) & *poſterior propoſitio* (סיפא) ita comparatae ſint, vt *ex altera elicitum cum elicito ex altera conſectario* (דיוקא) pugnare videatur; dubium in Gemara hiſce verbis proponi ſolet: קשיא רישא לסיפא, *At propoſitio prior & poſterior inuicem pugnant.* Conciliaturi illa conſectaria, vt ea inuicem non pugnare appareat, reſpondent: נעשה, ולא קשיא, *Oſtendemus, eas non pugnare.* d) Quod ſi quis effatum ex Miſchna vel Exoticis pro ſe protulerit, quod contradictionem inuoluere videatur; his verbis oppugnatur: הא גופא קשיא אמרת וכו', *At in his contradictio latet. Quippe dicis &c.* Si à contradictione illud effatum liberari nequeat; reſponderi ſolet: רישא פלוני וסיפא פלוני, *Propoſitio prior doctorem A, poſterior autem doctorem B, auctorem agnoſcit.* Vel: מי תיברא ששנה זו לא שנה זו *Recte mones. Diuerſorum doctorum effata ſunt.* e) De contradi-

A diuerſorum eiusdem effati conſectariorum pugna liberatio.

c] Halichoth olam, p. 76. 77.

d] E. g. Bezah, fol. 24, 2.

e] E. g. Chulin, fol. 16, 1. Halichoth olam, pag. 101. 102.

traditionibus eiusmodi culpandis plura infra f) dicentur.

Mischnicorum doctorum alter alteri contradixerunt.

§. 116. Quod *doctorum Mischnicorum alter alteri contradixerit*, millenis per totam Mischnam exemplis doceri potest. Hoc enim facere, *nemini illorum nefas fuit.* Quoniam vero homines erant, decipi, errare, falli poterant. Id quod non potuit non gignere *dissensum.* Inuestigandum igitur est, *quibusnam sit accedendum, & a quibus recedendum.*

Cur tot diuersae sententiae in opere Mischnico sint compilatae.

§. 117. Rabbi Iudam sanctum *rectius* facturum fuisse suspicari possis, *si solas decisiones receptas* (הלכות) *in Mischnah* conscripsisset, *omissis* variorum sententiis, *quae decisionum nomen non merentur* (שאינם הלכה). Hunc enim *tantum virum*, qui summi tribunalis praeses & academiae rector tamque celebri summorum doctorum corona cinctus esset, *latere non potuit, quae recepta essent, quae non recepta.* At vero quia eruditi annotauerant, & discipulis suis tradiderant, quaecunque à praeceptoribus suis acceperant, siue decisiones essent, siue non essent; adeoque *obiicere quis potuisset, se aliter à praeceptore suo accepisse*, quam in Mischna sit scriptum: omnis diuersarum sententiarum farrago in Mischna conscribi debuit; vt appareret,

f) §. 129. 131. 132.

ret, *fuiſſe quidem qui ita ſtatuerent*, horum autem *ſententias ceterorum conſenſum non obtinuiſſe*. g) Sed alia quoque ratio ſubeſt. Nimirum in decidendis nouis quaeſtionibus diſputationes iſtae lucem accendunt.

§. 118. *Vbi in Miſchnico opere ſententiae auctor non nominetur*, *R. Meiro* illam, *ex mente R. Akibae*, cuius diſcipulus fuit, tribuendam eſſe contendunt (סתם מתניתין ר' מאיר). Et tale quidem effatum, *Stam Miſchnah* (סתם משנה) i. e. *Miſchna ſine auctore*, apellari ſolet. h) Effata Miſchnae ſine auctore.

§. 119. Quotiescunque *in Miſchnico opere* dicitur: אחרים אומרים, *Alii dicunt*, *R. Meir*; vbi vero: יש אומרים, *Sunt qui dicant*, *R. Natthan*, ſunt intelligendi. Quippe propter iuſtum dolorem R. Iudas ſanctus nomen eorum ſcribere noluit in effatis per illos prolatis, ex quo captioſa quaeſtione R. Simeonis filii Gamalielis famam laedere aggreſſi fuerunt. i) R. Meiri & R. Nathanis nomina reticentur.

§. 120. Multa Iudaei praecipiunt, *quomodo in Miſchna deciſiones à* ceteris *non receptis* Quomodo deciſiones a ceteris effatis ſint diſcernendae.

g] Edüioth, fol. 2, 2. R. Samuelis Introduct. ad Gemar. pag. 222. 223.

h] R. Sam. Manud. ad Gem. p. 227.

i] Horaioth, fol. 13, 2. 14, 1. R. Sam. Manud. ad Gem. p. 228. Halichoth olam, pag. 21. ſeqq.

ceptis ſententiis ſint diſcernendae. Sequentes *VIII. regulas* annotaſſe, nobis quidem ſufficiat.

Reg. I. §. 121. Reg. I. מחלוקת התנאים יחיד ורבים הלכה כרבים, *Si doctores plures contra vnicum diputent; hic ab illis vincitur.* k)

Reg. II. §. 122. Reg. II: מחלוקת דמתניתין ואח"כ סתם חלכה כסתם, *Si priori loco diuerſae in Miſchna plurium doctorum exponantur ſententiae, & poſteriori loco ſententia ſine auctore; haec illas vincit.* l] Obſeruetur de hac & ſequenti regula; quod illae *non niſi de eodem Miſchnae tractatu* [מסכתא] ſint accipiendae. Diuerſorum enim tractatuum quis prior & quis poſterior ſcriptus ſit, definiri nequit. *Tres* vero tractatus illi, qui *Portae* [בבות] inſcribuntur, *non niſi pro vnico habentur.*

Reg. III. §. 123. Reg. III: סתם ואח"כ מחלוקת אין הלכה כסתם, *Sin priori loco ſententia ſine auctore ſit poſita, & deinceps diuerſae plurium doctorum ſententiae, hae] per illam non vincuntur.* m)

Reg. IV. §. 124. Reg. IV: מחלקת ברייתא וסתם משנה הלכה כסתם משנה,

Si

k] R. Sam. Manud. ad Gem. p. 227.

Gem. p. 227.

l] R. Sam. Mannd. ad m] Ibid.

Si in Exoticis diuersae diuersorum exponantur sententiae, in Opere Mischnico autem sententia sine auctore; haec illas vincit. n]

§. 125. Reg. V: מחלוקת במתניתין וסתם בברייתא אין הלכה כסתם דברייתא Reg. V.

Contre ea si in Mischna diuersae diuersorum exponantur sententiae, & in Exoticis sententia sine auctore; haec illas non vincit. Quippe dicunt: Si *R. Iuda sanctus* decisionem ignorauerit; vnde quaeso *R. Chiia* eam resciuerit? o)

§. 126. Reg. VI. Sequentes *doctores*, vt docebitur, *auctoritate praeualent.* Reg. VI.

1. *R. Akiba aequalium vnum* vincit; *plures* non vincit.
2. *R. Eliesar* vincit *R. Iosuam.* p]
3. *R. Eliesaris discipulorum* sententia *nunquam decisiua* est, *nisi de octo rebus.*
4. *R. Eliesar filius Iacobi* ab omni conflictu victor discedit.
5. *R. Gamaliel* vincit *R. Eliesarem*; adeoque & *R. Iosuam* (num. 2.)
6. *Hillelis assectae* [בית הלל] *assectas Schammaei* [ב"ש] in omnibus vincunt. Excipiuntur *sex res* in quibus ad *neutrorum sententiam* acceditur. Et *tres res*, de quibus *Schammaeanorum* sententia adoptatur.

7. R.

n] Ibid. ad Gemar, p. 228. vi-
o] Ibid. ctoria R. Iosuae male
p] In R. Sam. Manud. adiudicatur.

7. *R. Iosé* vincit *R. Iudam*; adeoque & *R. Meirum.* (num. 8.)
8. *R. Iuda* vincit *R. Meirum.*
9. *R. Iuda sanctus* ab *aequalium vno* victoriam reportat; non *à pluribus.*
10. *R. Iuda sanctus* vincit *R. Iosen filium Iudae.*
11. *R. Iudae sanctus* vincit *R. Ismaëlem filium Iosés.* Nisi hic patris sui sententiam proferat: Hic enim R. Iuda sancto potior est.
12. *R. Iuda sanctus* vincit *R. Iudam*; adeoque & *R. Meirum.* (num. 8.)
13. *R. Iuda sanctus* vincit *R. Simeonem filium Eleasaris.*
14. *R. Simeon* & *R. Meir* pari passu ambulant; Et ad illum acceditur, *qui pro grauiori certet sententia* (הלכה כרברי המחמיר).
15. *R. Simeon filius Eleasaris* ab omni conflictu victor discedit.
16. *Rabban Simeon filius Gamalielis* semper quoque victor abit; *tribus* tamen *rebus exceptis.* q)

Reg. VII. §. 127. Reg. VII: כל מקום ששנים חולקים ואחד מכריע הלכה כרברי המכריע, *Si quis mediam inter duos disceptantes sententiam amplectatur; pro decisiua habetur.* r)

§. 128.

q] Halichoth olam; p. 200. seqq. R. Sam. Manud. ad Gem. pag. 227. 228.

r] Halichoth olam, pag. 215. 216. 217.

§. 128. Reg. VIII. Quecunque in *tractatu Ediioth* (עדויות) obuia sunt, illa sunt *decisiones.* s] Reg. VIII.

§. 129. Cum axiomatis instar sit, דלכתא כסתם משנה, quod *sententia sine auctore* prolata *decisionis vim habeat;* mirantur Gemarici, si haec *cum recepta sententia pugnare videatur* (דלא כר"י). Dubium igitur moturi, cur *sententia sine auctore prolata* [סתם משנה] ab illius doctoris sententia, cui subscribatur, recedat; dicunt: לימא חנן סתמא דלא כבלוני, *Quid? dicemusne, Mischnam hanc sine auctore prolatam cum doctoris N.* [*N. sententia non concordare?* t] Vel cum sententia doctoris quae decisiua non sit, eam conspirare, hunc in modum mirantur לימא תנן סתמא כבלוני, *Dicemusne ergo hanc Mischnam sine auctore cum doctoris N. N. sententia consentire?* u) Eo plerumque disputatio redit, vt Mischna illa sine auctore salua euadat; doceaturque, illum vel *dissensum vel consensum* non nisi *apparentem* esse, & hanc Mischnam illaque effata diuersis de rebus loqui. Mirantur Gemarici, si sententia sine auctore receptae sententiae repugnare videatur.

§. 130.

s] Ibid. p. 212.

t] E. g. Babha kama, fol. 70. 1. Schabbath, fol. 47, 2.

u] E. g. Erubhin, fol. 14, 2. Bezah, fol. 27, 2. Halichoth, olam, pag. 43. 62. 63.

Miſchna ſine auctore ad diſputantium ea de re alibi doctorum alterutrius ſententiam reuocatur.

§. 130. Per totam Gemaram id ſummo ſtudio agitur, vt *Miſchna ſine auctore* (מתניתין סתמא) *ad* diſputantium ea de re alibi *binorum Miſchnicorum doctorum alterutrius ſententiam reuocetur.* Propoſituri *dubium*, quod cum neutrius ſententia ſtare poſſe videatur, his verbis id faciunt: מני מתניתין לא פלוני ולא פלוני *Vtrius quaeſo ſententiam effatum hoc Miſchnicum refert? Cum A non concordat; neque magis cum B.* Docetur dein, cuius ſententiae conſonum ſit. w) Sin vero cum vtriusque ſententia ſtare poſſit; reſpondetur: אי"בא פלוני ואב"א פלוני, *Si velis, dic, cum huius ſententia; ſin malis, dic, cum illius ſententia id concordare.* Doceturque, quibus ſub limitationibus cum vtriusque ſententia ſtare poſſit. x) *Nunquam* vero *ad tertii alicuius doctoris C. ſententiam*, in Miſchnico opere non obuiam, hanc Miſchnam ſine auctore referri debere reſpondetur. Si enim tertia aliqua ſententia eſſet; illa in Miſchnico opere reticeri non debuiſſet. y]

Miſchna ſine auctore partim vnius partim alterius doctorius ſententiam exponens.

§. 131. Nonnunquam in Miſchnico opere vel Exoticis *Miſchnae ſine auctore binis, de rebus praecipientes* deprehenduntur; quae *in vna doctoris A, in altera* autem *doctoris*

w] E. g. Babha kama, fol. 3, 1, fol. 36, 1. 2.
x] E. g. Schbhuotb, y) Halichoth olam, p. 63. 64.

ctoris B sententiam, exhibent. Hoc in casu quaeri solet: מני מתניתין לא רבי פלוני ולא רבי פלוני. אי רבי פלוני קשיא זו ואי רבי פלוני קשיא זו, *Ex cuiusnam mente haec Mischna est prolata? Non refert sententiam doctoris A; neque magis sententiam doctoris B. Si doctoris A sententiam eam exponere dicas; hoc obiicio. Sin doctoris B sententiam; illud oppono.* z) Respondetur: רבי היא ונסיב ליה אליבא דתנאי, *Haec Mischna R. Iudae sancti sententiam exponit; qui diuersorum doctorum Mischnicorum sententias est sequutus.* a) Vel: סבר ליה כרבי פלוני בחדא ופליג עליה בחדא, *Consentit (R. Iuda sanctus) cum Rabbi N. N. in re vna, in re altera autem ab illo dissentit.* Vel etiam respondetur: האי תנא ס"ל כפלוני בחדא וכפלוני בחדא *Est doctoris N. N. sententia; qui in re vna doctorem A, in altera autem doctorem B est sequutus.* b)

§. 132. Nonnunquam *eadem de re duae Mischnae sine auctore* (סתם משנה) comparent, quarum *altera alteri contradicit.* Quaeri igitur solet: ורבי היכי סתים הכא הכי והכא הכי, *Quomodo quaeso R. Iuda san-*

Duae Mischnae sine auctore sibi contradicentes.

z] E. g. Schbhuoth, fol. 3, 1.

a] E. g. Schbhuoth, fol. 4, 1.

b] E. g. Schbhuoth, fol 4, 1. 2. Halichoth olam, p. 102. 103.

ſanctus vno in loco hoc, & altero in loco illud, (cum contraria ſint,) *vtrumque tamen vt Miſchnam ſine auctore, ponere ſuſtinuit?* Reſpondetur: רבי מעיקרא סבר לה כפלוני וסתמה והדר סבר כפלוני וסתמה ומשנה ראשונה לא זזה ממקומה, *R. Iuda ſanctus primo cum Rabbi A fecit; adeoque illius ſententiam vt Miſchnam ſine auctore poſuit. Dein vero ad Rabbi B ſententiam acceſſit; quare eam etiam vt Miſchnam ſine auctore poſuit. Priorque Miſchna mutata non eſt.* c) Mutari autem prioris Miſchnae verba propterea nequiuerunt; quia, vt ſonabant, diſcipulis familiaria iam erant. d)

Diſputationis de duabus quaeſtionibus cognatis comparatio.

§. 133. Vbi *de* aliqua *quaeſtionae Y duo Miſchnici doctores diſputarunt*, doctore A affirmatiuam, doctore B autem negatiuam defendente; *De alia* autem *quaeſtione cognata Z duo alii doctores Miſchnici diſputarunt*, doctore C affirmatiuam & doctore D. negatiuam tuente: ſolliciti de eo ſunt Gemarici, *vtrum doctor C*, qui de quaeſtione Z affirmatiuam, de quaeſtione Y affirmatiuam quoque tueatur; adeoque *cum doctore A faciat.* Et num doctor D, qui de quaeſtione Z negatiuam, de quaeſtione quoque Y negatiuam defendat, adeoque *cum doctore B faciat.* De eo nimirum

c] E. g. Schbhuoth, fol. 4, 1.

d] Halichoth olam, pag. 103.

mirum hiſce verbis quaeritur: לימא הני תנאי כהני תנאי *Dicemusne, hos doctores Miſchnicos eodem modo, quo illos, diſputare?* i. e. Num, qui de hac cauſa affirmatiuam, de illa quoque affirmatiuam; & qui de hac cauſa negatiuam, de illa quoque negatiuam tuetur? e) Si quaeſtio Z ita comparata ſit, vt, ſalua vtraque diſputantium C & D ſententia, quaeſtio Y vel affirmari vel negari poſſit; reſpondetur: אי בעית אימא עד כאן לא פליגי *Dici poſſit, vsque eo* (doctores C & D) *non diſſentire*; quo minus, qui in quaeſtione Z affirmatiuam defendit, in quaeſtione Y tam negatiuam quam affirmatiuam tueri poſſit; neque minus, qui in quaeſtione Z negatiuam defendit. *) Sin ea quaeſtionis Z natura ſit, vt diſputantium alterutrius, e. g. C, ſententia tam cum affirmatiua quam negatiua quaeſtionis Y ſtare poſſit; alter vero D. ſi in quaeſtione Z affirmatiuam tueatur, affirmatiuae in quaeſtione Y vel magis accedere cogatur, ſin negatiuam in quaeſtione Z propugnet, negatiuae in quaeſtione Y vel magis accedere cogatur: tum reſpondetur: אליבא דר' פלוני כ"ע לא פליגי כי פליגי אליבא דפלוני - עד כאן לא קאמר *De doctore A nemo dubitat,* (quin idem

e] Halichoth olam, pag. 42.
*] E. g. Schabbath, fol. 117, 2.

idem quod doctor C de caſu z ſtatuat.) *Sed de doctore B dubitatur. Iam vero verba* (doctoris B) *ita non ſunt accipienda,* (quo minus in quaeſtione z cum doctore C facere poſſit.) **) Si diſputatores C & D doctores Gemarici ſint; reſpondetur: אנא דאמרי לך אפילו תימא וכו׳, *Mea ſententia ſtare poteſt, quicquid demum* de altera illa quaeſtione Y *ſtatuatur.* ***)

Diſcipuli à magiſtro diſſentientes.

§. 134. Nonnunquam in Miſchna *diſcipuli à magiſtro diſſentire* videntur. f) Hoc vbi fit, *diſcipulorum effatum* eſt *ipſius magiſtri*, quam quondam habuerat, *ſententia*; à qua vero deinceps defecit. g)

Quis diſſentientium pro grauiori ſententia pugnet, inquiritur.

§. 135. Scire intereſt, *quis doctorum grauiorem*, & quis mitiorem, *ſententiam propugnet.* Iam vero in Miſchna nonnunquam ſtatus controuerſiae, & qua in re diſſenſus conſiſtat, non ſatis clare explicatur. Hoc igitur in caſu, ſi *diſputantium* non niſi *duo* ſint, regula valet: תנא בתרא לטפויי חומרא קא אתי; *Doctor poſterior grauiorem ſententiam propugnat.* Quodſi vero *diſputantium tres* ſint, dici nequit, vtrum poſtremus primo an vero ſecundo grauiorem ſententiam opponat. Quaeri igi-

**) E. g. Maccoth, fol. 11, 2.

***) E. g. Maccoth, fol. 5, 2.

f) E. g. Edüioth, cap. 1. miſchn. 7. fol. 3, 1.

g) Halichoth olam, pag. 110.

igitur hoc in casu solet: חכמים היינו תנא קמא, *At postremus idem quod primus statuit.* Respondetur: איכא בינייהו — ולא מסיימי *Dissentiunt sane. — Definiri autem nequit, uter grauiorem propugnet sententiam.* h) Quod si tamen in aperto positum sit, secnndum doctorem grauiorem defendere sententiam quam primum; extra controuersiam positum est, tertium quoque grauius quid quam primum statuere. Inque hoc casu respondetur: איכא בינייהו דתלוני מר אית ליה מר לית ליה *De sententia* (mitiori) *doctoris quarti N. N.* (doctor primus & postremus) *dissentiunt. Quam doctor* (primus) *amplectitur; doctor autem* (postremus) *reiicit.* i] Ita auctor libri Halichoth olam. Nonnunquam tamen, si ipsa disputantium verba id diserte arguant, contrarium statui posse videatur. †)

§. 136. *R. Iudae sancti* sapientiam, prudentiam, doctrinam, virtutes, *Iudaei ad inuidiam usque extollunt.* Cui iusta quoque à *Christianis* encomia non denegantur; nimirum ab illis, qui ex operis Mischnici natura de viri ingenio, iudicio, eruditione & prudentia aequum iudicium ferre & potue- Operis Mischnici virtutes.

h) E. g. Schabbath. fol. 20, 2. 24. 2.

i] E. g. Abhodah sarah, fol. 7, 2. Halichoth olam, p. 104-107.

†] E. g. Chulin, fol. 4, 1.

potuerunt & voluerunt. Noſtro quidem iudicio, *vix quicquam eſt, quod in bene ſcripto libro laudari poſſit, ex quo Miſchnicum hoc opus commendari non mereatur. Dictio pura Ebraica* eſt; quae *conciſa breuitate*, pro iſtorum temporum more, res propemodum infinitas proponit. Quae quidem breuitas in cauſa eſt, vt à rerum Iudaicarum & iſtius temporum ſtyli rudibus hic liber non intelligatur. Sed imperitis non ſcripſit R. Iuda ſanctus, ſed viris eruditis; quos haec breuitas mirum in modum delectat. Si qua alicubi eſſe videatur *obſcuritas*; euaneſcet, dummodo orationis genus ſibi familiare reddere lector laboret. Tam *accurate & cogitate cuncta ſcripſit*, quam qui accuratiſſime. Vix vllo vel *exceſſu* vel *defectu* liber laborat. *Ordine* denique iſtorum temporum docendi methodo rebusque Iudaicis *conuenientiſſimo*, licet pro emendatiori hodierna docendi methodo aptior alicubi eſſe poſſe videatur, res eſt perſequutus. Non enim laudabimus, quae laudari non debebant. Sed iam de ipſo Miſchnici operis examine, quod ipſi Iudaei ſatis rigoroſe inſtituunt, exponemus.

Vocabulorum & phraſium Miſchnae explicatio.

§. 137. *Nullam vocem*, quin ne vnicam quidem litteram, in Miſchnico opere *abundare*, ſtatuunt Iudaei. Hinc in *examinandis & explicandis ſingulis Miſchnae vocibus*

bus & phraſibus, quae quidem explicatione indigere videantnr, & in docendo quod vix vlla vox temere vel fruſtra poſita ſit, multi ſunt.

§. 138. Obſeruant, verba, *Klal gadol* [כלל גדול], ſignificare, quod regula, quibus illa praemittantur, *maximi momenti regula, aliisque regulis amplior* ſit. k) Klal gadol.

§. 139. Quotiescunque vocabulum *Hàccol* (הכל), cum praefixo, in Miſchna occurrit, in Gemara ex illo acute quid eruitur. l) Id quod fieri, vbi *Col* (כל) ſine praefixo legatur, auctor Sepher Crithuth m) negat: Auctor autem libri Halichoth olam nonnunquam quoque, n) non tamen ſemper, fieri dicit. o) Haccol.

§. 140. Si de pluribus in Miſchna rebus praecipiatur, earumque *numerus* praemittatur; quaeri in Gemara ſolet: מניכה למה לי, *Quid quaeſo adſcripto numero opus erat?* Id eſt, ſufficiebat, vt ſine praemiſſo numero res recenſerentur; cum earum numerum inire lector facili negotio ipſe potuiſ- Numerus rerum non temere expreſſus.

k] E. g Schabbath, fol. 67, 2. 68, 1. Halichoth olam, p. 109. 110.

l] E. g. Erachin, fol. 2, 1. 2. 3, 1. 2.

m] Part. V. cap. 2. fol. 33. 1.

n] E. g. Pſachim, fol. 8, 1.

o] Halichoth olam, pag. 91. 92.

potuiſſet. Doceturque, *id non temere* (לדרשא) eſſe factum. p)

Obſcuriora Miſchnae effata.

§. 141. *Obſcuritatis* reprehendendae reum ſe facit dicens vel ſcribens, cuius *verba dilucidatione, limitatione & correctione*, ſine quibus intelligi nequeant, *indigent*. Porro, ſi ita loqaatur, vt *contradictionem*, licet non inuoluant, *inuoluere* tamen *verba videantur*. Si *obſcurum per aeque obſcurum* explicare conetur. Si *vocabulis* diuerſa ſignificantibus *promiſcue vtatur*. Si *vagus* vel *eorundem verborum*, vel *eiusdem propoſitionis*, ſit *ſignificatus*. Scrupuloſe Gemara examinat, ſi quid horum in Miſchna deprehendatur.

Limitatio & emendatio Miſchnae.

§. 142. Quod *Miſchnicorum effata* propter obſcurius & iuſto conciſius orationis genus, *doctorum Gemaricorum dilucidatione & limitatione* nonnunquam *indiguerint*, ſupra (§. 111. 112.) docuimus. Id vero vitii, ſiquidem vitium ſit, non tam R. Iudae ſancto, quam doctoribus Miſchnicis illis, quorum ipſiſſima effata in Miſchnicum ſuum opus bona fide retulit, imputandum videatur.

Loquendi modus qui contradictionem inuoluere videatur.

§. 143. Nonnunquam in Miſchna & Exoticis *effati prior & poſterior propoſitio ſimili-*

p) E. g. Schabbath, fol. 73, 1. 2. Halichoth olam, p. 109.

similibus phrasibus exprimitur (סיפא דומיא דרישא); vbi diuersa phraseologia in alterutra rectius adhibenda fuisset. Monet Gemara, similem hanc phraseologiam occasionem dare, vt *contraria consectaria* ex binis istis eiusdem effati propositionibus elici queant. q) Ad quod dubium responderi solet: אידי דתנא רישא דהכי תנא סיפא נמי דהכי, *Quoniam prior effati propositio istis verbis exprimitur, posterior eius propositio illis non minus proponitur.* Vel: איידי דקא בעי למיתני סיפא הכי תנא רישא נמי הכי *Quoniam in posteriori effati propositione istis verbis vsurus erat; priorem iisdem verbis non minus effert.*

§. 144. Vbi de re aliqua directe quid dici deberet, totidemque circiter verbis dici posset; *oblique* interdum *respondetur, eandem huius quam alterius cuiusdam rei esse conditionem.* r) Id vero vitiosum non est; si supponi possit, non ignorari, quae alterius istius rei conditio sit. Isque istius responsionis vsus est, vt audientem commonefaciat, idem, quod de hac re explicari deberet, de altera illa alibi dictum iam esse. Explicatio obscuri per aeque obscurum.

§. 145.

q] E. g. Brachoth, fol. 53, 1.
r) E. g. Brachoth, fol. 2, 1. Halichoth olam, pag. 100.

Promiscuus vocabulorum vsus.

§. 145. In Miſchna & Exoticis non minus, quam in monumentis ſacris, *praefixum* ו *loco particulae* אז, & *praefixum* ש *loco praefixi* ז, vſurpatur. s) Sed id genio linguae conforme eſt.

Vagus eorundem verborum ſignificatus.

§. 146. *Eadem verba diuerſo ſenſu* in Miſchna nonnunquam ſunt accipienda. t) Id vero Ebraicae quoque linguae; non R. Iudae ſancto eſt imputandum.

Vagus eiusdem propoſitionis ſignificatus.

§. 147. Si *ſententia ſine auctore* (סתם משנה) *diuerſis in locis* in Miſchnico opere bis legatur; vel ſi *idem effatum* vno in loco *huic*, alio autem in loco *alii doctori* tribuatur; quaeri ſolet; מק"ל תניא הדא ומנא *Quid quaeſo noui hic edocemur? Alibi enim id iam didicimus?* u) Interrogatione hac *reſponſio* elicitur, quod *diuerſo ſenſu* haec propoſitio repetatur. Id quod ſermonis vitium non eſt; cum ex connexione de propoſitionum genuino ſenſu iudicium ſit ferendum; non nudis ex verbis.

Accuratio negligentior.

§. 148. *Non ſatis accurate* Miſchnicum opus interdum loqui, Gemara quoque obſeruat.

Menſura vel numerus non accurate definitus.

§. 149. *In menſura vel numero* definiendis, *non ſatis accurata* interdum eſt Miſchna.

s) Halichoth olam, pag. 88.

t) E. g. Babha kama, fol. 54, 1. 2. Halichoth olam, pag. 90.

u) E. g. Kidduſchin, fol. 69, 1. & 74, 1. Halichoth olam, p. 74. 75.

na. In iſtis vero caſibus id factum eſt, *vbi* negligentioris numeri vel menſurae determinationis is effectus eſt, vt *in defectu peccari nequeat*, ſed tantummodo in exceſſu. Dici ſolet: לחומרא לא רק, *Non nimium ſcrupuloſus eſt, vbi non niſi in grauiorem partem aberrari poſſit.* w)

§. 150. *Regulae vniuerſales* Miſchnae nonnunquam *patiuntur exceptionem.* Quin *ſi ſubiuncta* illis *exceptio* ſit, *plus* tamen, quam excipitur, interdum eſt *excipiendum.* Mirari id ſolet Gemara hiſce verbis: וכללא הוי, *Annon vero haec regula vniuerſalis eſt?* Reſpondetur: אין למרין מן הכללות אפילו במקום שנאמר חוץ *Non ſemper vniuerſaliter accipiendae ſunt regulae vniuerſales; ſi vel ſubiuncta illis exceptio ſit.* x) Regula vniuerſalis patitur exceptionem.

§. 151. Licet breuitatis ſtudioſiſſimus in Miſchnico ſuo opere R. Iuda ſanctus fuerit; *ſuperflua* tamen eum nonnunqnam ſcripſiſſe Gemara obſeruat. Superflua in Miſchna.

§. 152. Duorum *effatorum*, *ad quorum vnum ab altero inferri poteſt*, *vtrumque* in Miſchna nonnunquam *apparet.* Si id, *ad quod facili negotio inferri poterat* (מולתא דפשיטא), *priori loco* compareat; id vero *quod iſti lucem foeneratur* (מולתא דרבותא), *ſub-* Effatum ſuperfluum priori loco.

w) E. g. Succah, fol. 8, 1. Halichoth, olam, p. 108. 109.

x] E. g. Erubhin, fol. 27. 1. Halichoth olam, pag. 109.

ſubiungatur; Gemara dicit: לישרוק מרישא ומסיפא ידעינן לה, *Reticeri poterat prius. Cognito enim poſteriori, hoc per ſe pateret.* Si melius res excuſari nequeat; reſpondetur: לא זו אף זו קחני, *Nonſolum poſterius, verum etiam prius, nos edocere voluit.* y)

Effatum ſuperfluum poſteriori loco.

§. 153. Contra ea effatum, *ad quod* ab altero *inferri poterat*, *poſteriori loco* nonnunquam comparet. Quo in caſu in Gemara quaeritur: למה לי סיפא מרישא שמעינן ליה, *Quid quaeſo poſteriori effato, quod ex priori intelligi poterat, opus erat?* Vel etiam: מיבעיא השתא - *Itane? — Quid igitur* poſteriori effato *opus erat?* Reſpondetur: זו אין צ"ל זו קרתני, *Sane iſto effato opus non erat. Attamen id edocere nos voluit.* z) Quae tamen reſponſio non datur, quamdiu melior dari poſſit. a) Si vero in proponendis binis propoſitionibus quarum alterutra vt alterius conſectarium reticeri potuiſſet, Miſchna formulis vtatur: בין זה ובין זה, *Et hoc & illud;* b] vel: אחד זה ואחד זה, *Et hoc & illud;* c) in Gemara mo-

y] E. g. Gittin, fol. 15, 1. 2. Halichoth olam, pag. 94-96.

z] E. g. Erubhin, fol. 76, 1.

a] Halichoth olam, p. 94-96.

b] E. g. Moëd Katàn fol. 2, 1.

c] E. g. Pſachim, fol. 84, 2. 85, 1.

moneri non ſolet, quod alterutra omitti potuerit. Quoniam auctor Miſchnae, licet vnum ex altero facillimo negotio intelligi poſſit, ita ſaepiſſime loqui amat. d)

§. 154. Nonnunquam *poſterior propoſitio priori determinandae vel explicandae inſeruit* (תני סיפא לגלויי רישא) e) Et tum ſane abundare dici non poteſt. Propoſitio poſterior explicans priorem.

§. 155. Huc pertinet, quod *eadem res* nonnunquam *bis diuerſis verbis* in Miſchna dicitur. Nimirum eo conſilio vt *poſterius prioris explicatio ſit* (תני והדר מפרש) f) Eadem res diuerſis verbis bis dicta.

§. 156. Duorum *doctorum Miſchnicorum effata quibus idem dicitur*, nonnunquam ambo poſita inueniuntur. g] Cuius rei haec datur ratio: תנא בתרא לפרושי שמעא ד"תק קאתי *Poſterius effatum poſitum eſt, quo prius explicaretur.* h] Duorum doctorum effata, quibus idem dicitur.

§. 157. *Oppoſitarum propoſitionum vtraque* in Miſchna nonnunquam comparet; cum tamen, cognita vna, de oppoſita dubitare nemo poſſit. i) *Quo* nimirum *oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcerent* [נחה ליה למיתני רבר וחילופו] k) Oppoſitae propoſitiones ambae poſitae.

§. 158.

d] Halichoth olam, fol. 96. 97.
e] E. g. Kidduſchin, fol. 8, 1.
f] E. g. Babha kama, fol. 4, 2. Kidduſchin, fol 8, 1. Halichoth olam, pag. 98.
g] E. g. Brachoth fol. 2, 1. 9, 1.
h] E. g. Gittin, fol. 2, 1. 4, 2. Halichoth olam, pag. 104.
i] E. g. Babha mezia, fol. 21, 1. 24, 2.
k] Halichoth olam, p. 98.

Concluſio in Miſchna ſuperflua.

§. 158. *Concluſio* aliqua, adhibita formula נמצא, id eſt, *Ex quo efficitur*, in Miſchna legitur; quae omnino *abundare primo intuitu videatur.* [ויתור לשון מעיד] Eiusmodi concluſionem *Gemara* interdum *curioſe examinat* [מדקדק] Dicendo: נמצא למעוטי מאי *Diſquiramus, quid per hanc concluſionem excipiatur.* l] Interdum autem ſine tali examine eam dimittit. m]

Effatum prorſus ſuperfluum.

§. 159. *Effatum* in Miſchna nonnunquam comparet, *quod* omnino *abeſſe poterat*; niſi *propter bardos*, ſtupidos, hebetisque ingenii homines [שוטים] poſitum eſſe ſtatuere velis. n]

Temere dicta in Miſchna.

§. 160. Confitentur denique Iudaei, *temere* nonnunquam aliquid *ſcriptum* eſſe in Miſchna; quod prorſus ſcribi non debuiſſet. De his Gemara dicit: כדי נסבא, *Temere ſcriptum eſt*; cum ſcribi non debuiſſet. o)

Miſchna defectu peccans.

§. 161. *Defectu Miſchnam* interdum quoque *peccare*, Gemara obſeruat. Vnde fit, vt *cum limitatione* aliqua *Miſchnae verba*, per Gemaram aliquando explicentur; id quod

l] E. g. Chulin, fol. 19, 2. 120, 1.

m] E. g. Chulin, fol. 22, 1. Vid. Toſephoth ad h. l. Halichoth olam, pag. 81.

n] E. g. Jebhamoth, fol. 50, 1. Halichoth olam, p 99.

o] E. g. Roſch haſſchanah, fol. 5. 1. Halichoth olam, pag. 100, 101.

quod ſupra (§. 112.) monuimus. Ceteros autem caſus iam ſpectemus.

§. 162. In *rebus ſimilibus* enarrandis, *nonnullae*, breuitatis ſtudio, in Miſchna & Exoticis, *ſilentio* non raro *praetereuntur*. *Nunquam* vero *res vnica ſimilis* ſilentio praeteritur; ſed ſemper plures. Si igitur ſpecies omiſſa deprehendatur, idque moneatur; reſpondetur: תנא ושייר, *Res nonnullas enumerauit; ceteras vero omiſit.* Quippe omnes & ſingulas enumerare animus non fuit. p] Ad hanc vero reſponſionem quaeri ſolet: מאי שייר דהאי שייר *Quas vero praeterea ſilentio praeteriit, vt hanc quoque praeterire poſſet?* q] Similium nonnulla reticeri ſolent.

§. 163. Sin vero in rebus ſimilibus enumerandis vel *certus numerus* vel vocabulum *illu* (אלו), id eſt, *Haec ſunt*, praemittatur; tum non facile vllam ſpeciem omiſſam eſſe cenſendum eſt. Quodſi igitur hoc in caſu aliqua deſideretur; obiicitur: והא ד' קתני, *At res e. g. quatuor* (ſimiles eſſe) *dixit.* Vel: הא אלו קתני *At vocabulo ILLV eſt vſus.* r) Quando ſimilium nihil reticeatur.

§. 164. Similiter ſi exponatur, quid *inter res diſſimiles* interſit; *non omnes* praeciſe *diſcri-* Quando nullum rerum diſſimilium diſcrimen omittatur.

p] E. g. Babha kama, fol. 62, 2.

q] Babha kama, fol. 15, 1. Halichoth olam, p. 92, 93.

r] E. g. Kidduſchin, fol. 16. 1. 2. Halichoth olam, pag. 92. 93.

discriminis notae enumerari solent. Sin vero auctor Mischnae vel Exoticorum verbis vtatur, אין בין זה לזה אלא כך וכך *Nihil inter has res discriminis est, nisi hoc vel illud;* s) nulla dissimilitudinis nota neglecta censenda est: t) Nisi id ὡς ἐν παρόδῳ tantummodo sit dictum. u)

Desiderata decisio,

§. 165. Nonnunquam Mischna de re aliqua ita loquitur, vt, *vtrum licita* illa sit, *an illicita, intelligi nequeat.* w)

Desiderata dubii solutio.

§. 166. *Ad dubium*, quod fieri non debebat, *responsio* nonnunquam *desideratur.* Monent vero Iudaei, *non sequi, quod dubium*, ad quod responsio non legatur, vel *non soluerit* vel soluere nequiuerit *doctor Mischnicus.* (דאי שתיק תנא בחדא מכילתא איפשר מהדר במכילתא אחריתי). x) Vbi dubii solutio desideretur, quaeri solet: מאי מהדר ליה פלוני לפלוני. *Quid vero doctor A doctori B ad haec respondit?* Vel etiam dici solet: שפיר קאמר ליה רבי פלוני לרבי פלוני *Validum dubium doctor A doctori B opposuit.* Responderur: אמר לך רבו פלוני *At vero doctor B ita respondit.* y)

§. 167.

s] E. g. Megillah, fol. 6, 2. 7, 2. 8, 1. 2. 9, 2.

t] Babha kama, fol. 62, 2. Vid. Tosephoth ad h. l.

u] Halichoth olam pag. 93. 94.

w] E. g. Ktubhoth, fol. 7, 1. Halichoth olam, pag. 103. 104.

x] Pschim, fol. 48, 1.

y) E. g. Brachoth, fol. 2, 2. Halichoth olam, p. 107.

§. 167. Non parum denique librum ornat, si, quem semel, eum semper in disponendis rebus *ordinem* sit sequutus. Quod id R. Iuda sanctus non semper fecerit, supra (§. 152. 153.) iam vidimus; vtpote qui *propositionem principalem* nunc *posteriori* & *corollarium priori loco* posuerit, nunc *ordinem inuerterit.* Videamus autem, quomodo praeterea in rigorosas boni ordinis leges impegerit. Ordo Mischnici operis non semper idem.

§. 168. *Vbi res plures* explicandas *proposuit*; nunc id, quod *postremo loco propositum* fuerat, *primo loco explicare* aggreditur; z) nunc vero *ordinem, quo propositae* fuerant, *in explicando sequitur.* a) Ordo diuersus in explicandis rebus propositis.

§. 169. In Mischna & Exoticis occasione rei similis *de re* alia *simili, quae illuc non pertinet*, non raro praecipitur. Id quod ita excusari solet: אגב דתני הני תנא הני *Quoniam hac de re agitur, de illa quoque praecipitur.* b) De re simili loco peregrino praecipitur.

§. 170. *Prouocatio ad Mischnam R. Iudae sancti* fit vocabulo *Tnan* (תנן); sed cum aliquo discrimine. Cuius quidem discriminis rationem sequentem in modum exposo- Formulae prouocationis ad Mischnam.

z) E. g. Schabbath, fol. 20, 2. Nedarim, fol. 2, 2. 3, 1.

a) E. g. Babha bathra, fol. 108, 1. Nedarim, fol. 2, 2. 3, 1.

b) E. g. Schbhuoth, fol. 2, 1. 3, 1. Halichoth olam, p. 98. 99.

ponunt; regulis autem frequentes exceptiones habentibus. Si *dubium* [קושיא] moturus, effatum Miſchnicum contra diſputanti opponat; illud *formula*, והתנן, vt *particula* הא *cum* תנן *in vocem vnam* coaleſcat, ſuumque א amittat, citari ſolet. Et hoc quidem vocabulum *cum admiratione* eſt legendum (בתמיה קרינן ליה). Si quis vero Miſchnicum effatum pro ſententiae ſuae *probatione* vel *confirmatione* (סיוע) proferat; dicitur, והא תנן, vt *particula* הא *ſeparatim* cum ſuo א ſcribatur. Ad *Miſchnam, in quam commentantur*, prouocantes, *ſimpliciter* תנן dicunt. Contra ea formula תנן התם adhiberi ſolet, vbi ad vnum Miſchnae codicem commentantes *ex alio* illius *codice* (מסכתא) *effatum* excitent. Sunt tamen loca, vbi ex eodem eiusdem codicis capite effatum hacce formula citetur. Verba תנא תונא, *Doctor* quidam *Miſchnicus id docet*, propoſitae *ſententiae confirmatio* ſunt; quibus prouocans indicat, Miſchnici alicuius doctoris effatum pro ſua ſententia pugnare. c)

Compendioſa Miſchnae citatio.

§. 171. *Verba Miſchnae* in Gemara non ſemper in forma extenſa, ſed interdum *per compendium* (דרך קצרה), vt eorum tantummodo ſenſus exprimatur, *citantur*. d)

§. 172.

c) Halichoth olam, pag. 30. 36. 37. 44.

d) E. g. Chulin, fol. 132, 1. lin. 30. 31. Halichoth olam, pag. 66. 67.

§. 172. Interdum *vt Miſchna citatur*, *quod* tamen in Miſchna non extat; ſed ex quadam Miſchna *per bonam conſequentiam* (מדיוקא דמתניתין) tantummodo efficitur. e] Citatio vt Miſchnae, quae Miſchna non eſt.

CAP. III.

DE

TOSIPHTA.

§. 173.

Toſiphta (תוספתא), id eſt, *Additamentum*, eſt liber, effata doctorum Miſchnicorum, quae à R. Iuda ſancto in Miſchnico ſuo opere omiſſa ſunt, comprehendens. *Auctores* illius *Hoſchaia rabba*, Rabbi Iudae ſancti diſcipulus, qui & בריבי in Talmude Babylonico appellatur, & *R. Chiia* eſſe creduntur. Alii vero ſoli *R. Chiiae*, rurſusque alii τῷ̃ *Bar Kapparae*, librum vindicant. f) Toſiphta.

§. 174. *Effatorum* in hoc libro conſcriptorum *non tanta*, quanta in Miſchnico R. Iudae ſancti opere obuiorum *auctoritas* eſt. Auctoritas eius.

e] Halichoth olam, pag. 67.

f] Sepher Iuchaſin. fol. 62, 1. Abhodah ſarah, fol. 31, 1. *Wolf.* Biblioth. Hebr. Tom. I. p 349.

est. Quodsi tamen huius *Mischnarum vestigia premant* [כשתבא בעקבי המשנה], id est, R. Iudae sancti Mischnico operi non contradicant, *decisiones indubiae* (הלכה מקויימת) habentur. g)

Effatum sine auctore.

§. 175. Vbi *in Tosiphta sententiae auctor reticetur*, is *R. Nehemias* est (סתם תוספתא ר' נחמיה). Qui quidem ex mente R. Akibae, praeceptoris sui, res suas proposuit. h)

Formulae prouocationis ad Tosiphtam,

§. 176. *Effatum Tosiphtae* in Gemara vocabulo, תאנא, id est, *doctrina* vel *docetur* vel *discitur*, cum א in medio scripto, *citatur*. Vel etiam formula, תאני עלה, *discitur hac de re*. i]

CAP. IV.

DE

EXOTICIS.

§. 177.

Exotica.

Exoticorum (ברייתא) nomine veniunt reliqui libri Mischnicorum doctorum effata à R. Iuda sancto omissa continentes; qui à priscis doctoribus (הקדמונים) post Misch-

g] R. Sam. Manud. ad Gem. p. 223.

h] Sanhedrin, fol. 86, 1. R. Sam. Manud. ad Gemar. p. 227.

i] Halichoth olam, p. 39. R. Sam. Manud. ad Gem. p. 227.

Miſchnas R. Iudae ſancti, ſed & partim fortaſſe ante eas, ſunt conſcripti. Hi ſunt: 1. *Miſchnae R. Chiiae*; 2. *Miſchnae R. Oſchaiae*; 3. *Miſchnae R. Elieſaris filii Iacobi*; 4. *Cornu copiae R. Iſmaëlis*; 5. *Alphabethum R. Akibae*; 6. *Siphra*, vel *Lex ſacerdotum*; 7. *Siphri*; &c. k)

§. 178. *Miſchnae R. Chiiae* (משנת ר' חייא) vel *Exotica* (ברייתות) vel *Cornu copiae* [מכלתות], à Toſiphta, quae eidem quoque tribuitur, (§. 173.) ſunt diſtinguenda. Cum R. Chiia diſcipulus R. Iudae ſancti fuerit; facile intelligitur, libros eius in ſeculum ſecundum vel tertium eſſe referendos. l) Miſchnae R. Chiiae.

§. 179. *Miſchnae R. Oſchaiae* (משנת ר' אושעיא) vel *Exotica* (ברייתות) vel *Cornu copiae* (מכלתות) ſecundum dignitatis gradum tenent. Hic quoque R. Iudae ſancti diſcipulus fuit. m] Miſchnae R. Oſchaiae.

§. 180. *Miſchnae R. Elieſaris filii Iacobi* [משנת ר' אליעזר בן יעקב] eandem quoque aetatem agnoſcunt. Auctor enim Titi Veſpaſiani imperatoris aetate vixit, vitamque diu poſt illum protraxit. Hinc hu- Miſchnae R. Elieſaris filii Iacobi.

k] R. Sam. Manud. ad Gem. p. 223.

l) Sepher Iuchaſin, pag. 62, 1.

m) Ibid.

huius ex ore tractatus Mischnicus *Middoth* (מידות) est conscriptus; quoniam ille templi, quod ipse viderat, optimam descriptionem dare poterat. n) Honoris ergo קב ונקי, id est, *Sextarius purissima farina plenus*, cognominatur; quoniam 102. decisiones, quae se maxime omnibus probauerint, dedisse dicitur. (הלכותיו קב ינקי). o)

Cornu copiae R. Ismaelis.

§. 181. *Cornu copiae R. Ismaëlis* (מכלתא דרבי ישמעאל) eandem aetatem agnoscit. p)

Alphabethum R. Akibae.

§. 182. *Alphabethum R. Akibae* (אותיות דרבי עקיבא), vel *Cornu copiae* (מכילתין siue מכילתא), multa Cabbalistica habet. Cum R. Akiba Hadriano imperatore occisus sit; seculo primo inclinante vel secundo incipiente, adeoque ante Opus Mischnicum R. Iudae sancti, hic liber scriptus videatur. q)

Siphra.

§. 183. *Siphra* (ספרא) vel *Doctrina de officiis sacerdotum* (תורת כהנים) vel *Liber scholae Rabbi* [ספרי דבי רב] est Commentarius in Leuiticum. r)

§. 184.

n] Sepher Iuchasin, fol. 35, 2.

o] Iebhamoth, fol. 60, 1.

p] *Wolf.* Biblioth. Hebr. Tom. I. p. 702.

q] *Wolf.* Biblioth. Hebr. Tom. I. p. 956.

r] R. Sam. Manud. ad Gem. p. 223. Halichoth olam, p. 41.

§. 184. *Siphri*, vel si mauis *Siphre*, [ספרי] est commentarius in Numeros & Deuteronomium. Illa huius libri pars, quae à Num. V, 1. ad libri finem commentatur, *Reliquum librorum scholae Rabbi* [שאר ספרי רבי רב] appellatur. s] Siphri.

§. 185. *Effatorum*, quorum *auctor in* libro *Siphra reticetur*, auctor est *R. Iuda*. [סתם ספרא ר' יהודה]. *Effatorum* autem quorum *auctor in* libro *Siphri reticetur*, auctor est *R. Simeon*. [סתם ספרי ר' שמעון]. Ambo ex mente R. Akibhae, cuius discipuli fuerunt. t] Effata sine auctore in Siphra & Siphri.

§. 186. *Exotica non tantae*, quantae Mischnae R. Iudae sancti, sunt *auctoritatis*. *Contra quod* Exoticorum effatum in Gemara *disputatum non fuit* [שלא נחלקו עליו], id *decisio indubia* [הלכה מקויימת] habetur. *Contra quod* vero in Gemara *disputatum fuit* [שנחלקו עליו]; illi *Gemarae* sed & *recentiorum doctorum* [פוסקים] *decisio praefertur* [הלך בו אחר פסק ההלכה]. u] Minor Exoticorum quam Mischnae R. Iudae sancti auctoritas.

§. 187. Si quod *Exoticorum effatum Mischnico contradicere* videatur; sollicite inqui- Inquiritur, num Exoticorum effata cum Mischnicis consipirent.

s] R. Sam. Manud. ad Gemar. p. 223. Halichoth olam, p. 41.

t] Sanhedrin, fol. 86, 1.

R. Sam. Manud ad Gem. p. 227.

u] R. Sam. Manud. ad Gem. p. 224.

inquiritur, ſitne illa contradictio vera, an apparens. Si non niſi *apparens* eſſe deprehendatur; Miſchnae verba eodem modo, quo Exoticorum effatum, intelligenda eſſe, hiſce verbis ſignificatur: חנינא להא דתנו רבנן, *In Miſchna idem, quod in Exoticis, dicitur.* w] Quibus ipſis vero verbis interdum quaeritur, *quid Exoticorum effato opus ſit*, cum Miſchnicum non deſit. Et tum reſponderi ſolet, illa *Miſchnae & Exoticorum effata diuerſis de rebus* praecipere.

Frouocatio ad Exotica vbi ad Miſchnam prouocari poterat.

§. 188. Non deſunt tamen exempla, vt, *in formandis dubiis* (להקשות) *iisque ſoluendis* (לפשוט), *Exoticorum effatum Miſchnico praeferatur.* Nimirum facit hoc Gemara, ſi Exoticorum effati verba dilucidiora & pleniora ſint, quam effati in Opere Miſchnico obuii. x)

Multa Exoticorum effata in mendo ſunt.

§. 189. *Exoticorum effata*, quae ex ſchola R. Chiiae & R. Oſchaiae profecta non ſint, *in mendo iacent* mutilaque & manca [משבשתא] habentur. Vnde *illorum auctoritatem opponere, vel ex illis quaeſtionem decidere, non licet* (לא מותבינן בהו בי מדרשא ולא מפרקינהו מינהו]. Ad tale igitur effatum *prouocaturus, qui dubium mouere vult* (מקשה), illud prius *à men-*

w] E. g. Abhodah ſarah, fol. 39, 2. Halichoth olam, pag. 35.

x] Halichoth olam, pag. 63.

mendo liberat (מתקן), & *dein demum ex illo diſputat* (והדר פריך מינה); ne id mutilum & mancum (משבשתא) eſſe excipi poſſit. y) Quin ad tale Exoticorum effatum prouocans interrogari ſolet: מאן נימא לך דמתקנה (דמרתרצתא) דהוא דילמא משבשה הוא, *At vero quis tibi ſponſor erit, hoc Exoticorum effatum in mendo non iacere? Fortaſſe enim vitioſum & mancum eſt.* z)

§. 190. Quoniam Exotica Operi R. Iudae ſancti Miſchnico Iudaei longe poſtponunt; (§. 186.) & de multis illorum effatis, an genuina ſint, dubitant: minus quoque de eorum cognitione ſolliciti fuerunt. Quippe *multi Gemarici doctores* (אמוראים) *multa Exoticorum effata* (ברייתות) *ignorarunt.* Quare dici ſolet: פלוני ברייתא לא שמיע ליה, *Hoc Exoticorum effatum illi non innotuerat.* a) Exoticorum effata non omnibus cognita fuerunt.

§. 191. Non tamen nullus Exoticorum in diſputationibus vſus eſt. Vnde tales formulae: הוא תני לה והוא אמר לה, *Ille* Exoticorum in diſputationibus vſus.

y] E. g. Schabbath, fol. 83, 1. Vid. Raſchi ad h. l. Halichoth olam, p. 52.

z] E. g. Pſachim, fol. 99, 2. 100, 1. Schabbath, fol. 121, 2. Halichoth olam, pag. 68. 69.

a] Halichoth olam, pag. 39. 55. 56. 57.

Ille Exoticorum effatum protulit, & in id commentatus est. b] הוא מותיב לה, והוא מתרץ לה, *Ille ad Exoticorum effati auctoritatem prouocauit, & rem composuit.* אנא מתנינא לה, ואותבינא ואנא מתרצינא לה, *Ego Exoticorum effatum protuli, ad illius auctoritatem prouocaui, & rem composui.* c)

Confutatio per Exoticorum effatum.

§. 192. Si duo Gemarici doctores disputent; *breui manu confutari* solet alteruter, dicendo: תניא כותיה דפלוני, *Exoticorum effatum cum hoc facit.* His verbis eum, cuius sententiae id effatum repugnat, breui manu confutatum esse dicimus; quia quod alias fit, prolixa illius refutatio institui & *dubia* contra illum *moueri ordinarie non solent.* Idque ea de causa, quoniam id Exoticorum effatum ignorasse censetur. Vbi igitur id fit; eum id effatum non ignorasse suspicari possis. d)

Quando per Exoticorum effatum confutatio non fiat.

§. 193. Si quis *per vnum Exoticorum effatum confutatus* iam sit; *aliud quoddam subiungi* nonnunquam solet. e] Id vero nunquam eo consilio fit, vt per id quoque confutetur. Sed vt ostendatur, vel opus non esse, vel fieri non posse, vt per id quo-

b] Halichoth olam, pag. 39.
c] E. g. Schabbath, fol. 121, 2.
d] Halichoth olam, p. 57.
e] E. g. Kidduschin, fol. 16, 2.

quoque confutetur. Hoc in casu quaeri nonnunquam solet: מי נימא דתיהוי תיובתא נמי מיהא, *Quid? num huius quoque Exoticorum effati auctoritas illi opponatur?* Interrogatio est negatio: Vel opus non est, vt opponantur, cum confutatus iam sit; vel opponi nequit. f]

§. 194. *Ad Exoticorum effata prouocatur* formula, ת״ר, id est, תנו רבנן, *Ita docent doctores nostri.* Vel: תניא, *Ita Exoticorum effatum habet.* Ordinarie, si והתניא dicatur, vt *particula* דתניא cum והתניא *in vnum vocabulum* coalescat; *obiectio* [קושנא] est. Sin והא תניא scribatur, vt *particula* דתניא *separatim* cum והא ponatur; *confirmatio* vel *probatio* [סיוע] ante dictorum est. Si *duo Exoticorum effata*, quae *contradicere sibi videantur*, sibi opponantur; dicitur: ותני תרתי, *Vnum Exoticorum effatum ita habet*; subiungitur: ותניא אידך, *Alterum autem Exoticorum effatum tale est.* g) Quotiescunque particula, מיהא, *Ex isto* (id efficitur,) occurrit; Exoticorum quoque effati signum est. h) Vbi Gemaricus quidam doctor Exoticorum aliquod effatum ceteris incognitum, quod vero ipse à prae-

Formulae prouocationis ad Exotica.

f] Halichoth olam, pag. 56. 57.

g] Halichoth olam, p. 30. 39. R. Sam. Manud. ad Gem. p. 224.

h) E. g. Kidduschin, fol. 6, 1. Halichoth olam, p. 41.

praeceptore ſuo acceperat, protulit; hac formula vſi ſunt: חזני תנא קמיה דרבי פלוני, *Hoc Exoticorum effatum* [doctor N. N.] *in praeſentia doctoris N. N. protulit.* Quibus autem effatis haec praemiſſa formula eſt, eorum non magna auctoritas eſt. i)

Formula prouocationis ad Siphri.

§. 195. Si ad illam libri *Siphri* partem, quam *Reliquum librorum ſcholae Rabbi* ſalutari diximus, [§. 184.] prouocetur; hac formula fieri ſolet: תני פלוני בשאר ספרי דבי רב, *Doctor N. N. in reliquo librorum ſcholae Rabb hunc in modum pronunciat.* k]

Aues in pecoribus numerantur.

§. 196. *Aues* alicubi in Exoticis numerari in *pecoribus* [בהמה], obſeruatur. l] De quibus huc quoque pertinentibus in capite de Miſchnico R. Iudae ſancti opere iam expoſuimus, m] ea hic non repetimus.

CAP.

i] E. g. Bezah, fol. 20, 1. Halichoth olam, p. 39.

k] Halichoth olam, p. 41.

l] Chulin, fol. 16, 2. Halichoth olam, p. 110. 111.

m] §. 110. 115. 124. 125. 131. 143. 145. 162. 164. 166. 169.

CAP. V.

DE

GEMARA.

§. 197.

Vocabulum *Gemara* (גמרא) *scientia*, à verbo *gemar* (גמר) *scientiam sibi acquirere*, vel ad *scientiam erudire*, descendit. Significatque *sublimem* illam *& perfectam eruditionem*, quae *cognitione philosophica*, quam appellare consueuimus, absoluitur. Est *Gemara* [גמרא] illa perfecta Iudaeorum doctrina, quae per omnem eorum theologiam, iurisprudentiam totiusque vitae rationem latissime patet; vt nonsolum sciat quis, quid laudandum quid vituperandum, quid iustum quid iniustum, quid *licitum* [היתר] quid *vetitum* [איסור] sit; sed vt horum legumque omnium causas videat, similitudines comparet, & cognitis adiungat atque annectat incognita totumque legum omnium nexum inspiciat. Vocabuli *Gemara* significatus.

§. 198. Iam quoniam legum rationes, Mischnicis doctoribus bene quidem cognitas, attamen in Mischnico R. Iudae sancti opere non scriptas, continent illi, qui *in Mischnicum* id *opus* primum *in Palaestina & deinceps in Babylonia* aliquot seculis post conscripti sunt *Commentarii*; his nomen Gemara quid sit.

Gema-

Gemarae (גמרא) tanquam proprium vulgo vindicatur.

Doctores Gemarici.

§. 199. *Doctores*, qui Miſchnicis ſucceſſerunt, & partim ex horum traditione, partim ex ſua ipſorum meditatione & ſpeculatione, legum rationes propagarunt & indagati ſunt, *Amoraim* (אמוראים), id eſt, *ſpeculatores & doctores ſubtiles* ſunt appellati.

Gemaricorum effata.

§. 200. Doctoris Gemarici effatum vel *Schamaata* [שמעתא], n) id eſt, *acroama*, vel *Memra* (מימרא), o) id eſt, *diſcurſus*, ſalutatur.

Formula prouocationis ad effat. Gemar.

§. 201. Formula, מהכא, id eſt, *Ex iſto* (id intelligitur,) ad *Gemaricorum* doctorum *effata* (שמעתא) prouocatur. p)

Gemarici doctores Miſchnicis ſunt inferiores.

§. 202. Quod *Gemaricis doctoribus nefas* fuerit, *contradicere Miſchnicis* (שהאמוראי אין כח לו לחלוק על התנאי), & quod *horum auctoritatem illis pro refutatione oppoſuiſſe ſatis ſit*, ſupra (§. 107. 108.) iam didicimus. Si qua *deciſa* iam eſſent, id egerunt Gemarici doctores, vt doctorum Miſchnicorum, vel etiam Gemaricorum, qui ante ſe fuerant, de iis effata *explicarent*, deciſionisque *rationes inueſtigarent*; idque ea, qua fieri poterat, *perſpicuitate*.

[§. 111.]

n] Halichoth olam, p. 41.

o] Halichoth olam, p. 81.

p] Halichoth olam, p. 41.

(§. 111.) Quin nefas illis fuit, *ſententiam, quae* vel a Miſchnico vel ab antiquiore Gemarico doctore *prolata iam eſſet, vt ſuam* in medium *proferre*; ſed ad illum, à quo profecta erat, prouocare tenebantur. (§. 110.)

§. 203. Fuerunt tamen *in Gemaricis* doctoribus, *Rabh*, *Rabbi Chiia*, & *R. Iochanan*, quibus in ipſo Talmude vitio non datur, quod *diſſentire à Miſchnicis doctoribus* nonnunquam ſunt auſi. Quippe hi ita defenduntur: רב תנא הוא ופליג, *Rabh in Miſchnicis doctoribus numerari meretur; hinc id ſibi ſumit, vt illos oppugnet.* q) רבי חייא תנא הוא ופליג, *Rabbi Chiia Miſchnicis doctoribus inferior non eſt; hinc non eſt, cur miremur, quod ab illis diſſentiat.* r) Par *R. Iochananis* ratio eſt. s) Quod vero ita accipiendum non eſt, quaſi hi viri doctores Miſchnici re vera fuerint. Non enim ſunt; quorum in Miſchna & Exoticis nusquam facta mentio eſt. Sed verborum ſenſus eſt, eos tantae doctrinae tamque perſpicacis iudicii viros fuiſſe, vt *non minorem quam Miſchnici doctores mereantur auctoritatem* (חשובים כמו תנאים). Eiusmodi tamen

Quibus Gemaricis fas fuerit contradicere Miſchnicis.

q] E. g. Ktubhoth, fol. 8, 1.

r] E. g. Babha metzia, fol. 5, 1.

s] Vid. Toſephoth ad Ktubhoth, fol. 8, 1.

tamen excusationem in Gemara non legas, nisi nimis aperta contradictio sit. t)

Gemaricus doctor Mischnicis non nisi apparenter contradicens.

§. 204. *Gemaricum* doctorem, *qui decidat*, de quo *in Mischna vel Exoticis sine decisione disputatum* iam fuerat, monere oportet, doctores *Mischnicos ea de re dissensisse*; & subiicere: הלכה כפלוני, *Sententia doctoris N. N. decisiua est.* Si quis igitur doctor Gemaricus A sine consueta hac formula sententiam simpliciter proferat, vel alii B decisionem petenti eam exponat; quaeri solet: לימא כתנאי, *Dicemusne doctorem Gemaricum A decidere rem, de qua isti Mischnici doctores iam disputarunt?* u] Responsio esse solet: לא דכ"ע אית להו *Minime! sed omnes id statuunt.* Qua significatur, rem diuersam Gemaricum hunccc doctorem A decidisse; illiusque sententiam vti omnes, ita ambos quoque istos Mischnicos doctores amplexos esse. Non desunt tamen exempla, licet rariora, vbi ad quaestionem, לימא כתנאי, insolite respondeatur: כ"ע לית להו מילתא דהך אמוראי *Nemo ad doctorem hunc Gemaricum A accedit.* Huius responsionis sensus est: Cuius quaestionis decisionem Gemaricus ille doctor A dedit, ea diuersa est ab ea, de qua duo illi

t] Halichoth olam, p. 57. 58.

u] Halichoth olam, p. 33.

illi Miſchnici doctores diſputarunt ; & non recipitur. Torquet auctores του *Sepher Crithuth* w) & *Halichoth olam*, x) quod Talmudis auctores ad quaeſtionem, לימא כהנאי, tam inſolitam dederint reſponſionem, qua doctor A, abſoluendus criminis, quod doctori Miſchnico vni contradixerit, ambobus contradixiſſe dicatur. Feliciter rem Vir experientiſſimus *Beniamin Wolff Gintzburg M. D*, cuius manuductione in excolendo Talmudico ſtudio vſi ſumus, expediuiſſe nobis quidem videtur. Quippe *non de doctore A* rem decidente, ceu auctores librorum Sepher Crithuth & Halichoth olam ſuſpicentur, *ſed de doctore B* quaeſtionem proponente, interrogari dicit, לימא כהנאי, id eſt, *Num hic doctor Gemaricus B* ſine ſolita formulâ *deciſionem petit quaeſtionis, de qua duo doctores Miſchnici iam diſputarunt* ? Hoc enim ſi faceret, dicere debebat : *Hac de re inter Miſchnicos diſputatum iam fuit ;* הלכה כמי, *Cuiusnam vero ſententia deciſiua eſt ?* Pro illo igitur doctore B reſponderi ait, tantum abeſſe, vt doctor hic B de re eadem, de qua Miſchnici iſti doctores diſputauerint, quaeſiuerit, vt Miſchnicorum iſtorum vterquè à do-

w) Part. V. cap. 3. pag. 48, 2. 49, 1.

x] Halichoth olam, pag. 61, 62.

à doctoris A deciſione diſſentire poſſit. Sufficienter quidem excuſaretur doctor B, ſi reſponderetur, eum de re noua quaerere; adeoque formula inuſitata quaeſtionem ſuam non propoſuiſſe. Sed non ſolum eum excuſare voluerunt auctores Talmudis; verum etiam oſtendere, ſufficientem ſubfuiſſe rationem, cur de propoſita quaeſtione dubitaret. Cum igitur, eo nihil definiente, ſed tantummodo quaerente, in illum non magis, כ"ע אית להו, *omnes id ſtatuunt*, quam כ"ע לית להו, *nemo id* (quod hic doctor B) *ſtatuit*, dici poſſet; poſteriori hac reſponſione ſignificatur, doctoris B quaeſtionem ita comparatam eſſe, vt à doctoris A deciſione, quam hic cum vtriusque doctoris Miſchnici ſententia ſtare poſſe confideret, vterque Miſchnicus doctor diſſentire potuerit. Neque tamen ex ſua, ſed doctoris B mente, doctoris A deciſionem cum vtriusque Miſchnici ſententia pugnare poſſe, dicunt Talmudis auctores. Idem ſane *Iſaacidem* ſenſiſſe, qui verba illius y) recte perpenderit, intelliget.

Refutatio doctoris Gemarici per oppoſitam Miſchnici auctoritatem.

§. 205. *Oppoſitione auctoritatis Miſchnici doctoris*, (§. 109.) niſi extricare ſe poſſit, *confutatur doctor Gemaricus.* Iam vero ſi duo Gemarici doctores A & B de quaeſtio-

y] E. g. Maccoth, fol. 7, 2.

ſtione aliqua inter ſe diſceptent; interueniensque tertius C alterutri, e. g. A, effatum Miſchnicum opponat, de quo Gemara dicat: מחיב פלוני, *Doctor C (doctori A,) effatum Miſchnicum oppoſuit:* indicatur his verbis, ſententiam doctoris A quidem effato iſto Miſchnico eſſe labefactatam, attamen ſententiam doctoris B eo nondum eſſe communitam. Quodſi vero dicatur: מחיב פלוני לסיוע לפלוני, *Effatum Miſchnicum doctor C doctori A, vt ſuppetias doctori B ferret, oppoſuit;* z] tum, Miſchnicum illud effatum nonſolum doctorem A oppugnare verum etiam doctorem B propugnare, ſignificatur. a)

§. 206. Qui vel Exoticorum aliquod vel Gemarici doctoris effatum proferat, explicet, & quid ex illo elici poſſit doceat, de illo dicitur: הוא חני לה והוא אמר לה; *Ille effatum hoc protulit, & de eo diſſeruit.* b) Explicatio effati.

§. 207. Quod *ſtylus Gemaricorum* doctorum *perſpicuus* eſſe debeat, ſupra [§. 111.] iam monuimus. Iam vero addimus, eos *de iisdem rebus iisdem* quoque *verbis* loqui conſueuiſſe. Stylus Gemaricorum.

§. 208.

z] E. g. Sbhachim, fol. 10, 1.
a) Halichoth olam, p. 40.
b) Halichoth olam, pag. 39.

Explicationes vel rationes diuersae.

§. 208. Quodsi igitur *duo Gemarici doctores eiusdem rei explicationem dent diuersis verbis* conceptam; vel si *diuersas illius proferant rationes:* id non frustra fieri creduntur. Quaeritur igitur: מאי בינייהו, *Quid quaeso inter illos interest?* Id est, Cur rem eandem eodem modo explicantes diuersis tamen verbis vtuntur? Vel: Cur diuersas statuti, de quo ambo consentiunt, rationes proferunt? Hoccine ideo fit, quia de alia quadam cognata quaestione dissentiunt? Si haec diuersitatis ratio sit; respondetur: איכא בינייהו, *interest sane inter eos.* c) Doceturque, quaenam illa quaestio sit, de qua idem non sentiant. Sin talis diuersitatis vel verborum vel rationum datarum ratio non subsit; respondetur: מר אמר חדא ומר אמר חדא ולא פליגי, *Doctores hi diuersis quidem verbis rem illam explicant, vel diuersis eiusdem rei rationes proferunt; neque tamen propterea de alia quadam quaestione dissentiunt.* d) Quo in casu non alia diuersitatis ratio fuit, nisi quod à praeceptore suo quisque ita acceperat.

Prouocatio ad praeceptorem.

§. 209. Si dicatur: אמר רבי פלוני אמר רבי פלוני, *Dixit doctor N. N, dixisse doctorem N. N;* significatur, priorem illum posteriorem

c) E. g. Gittin, fol. 2, 1. 2. 17, 1. 2. 18, 2. Sanhedrin, fol. 3, 1.

d) E. g. Babha mezia, fol 10, 2. 11. 1. Halichoth olam, pag. 32.

ſterioris fuiſſe diſcipulum; &, quae proponat, ex ipſo illius ore accepiſſe. e)

§. 210. Contra ea ſi dicatur: אמר רבי פלוני משום רבי פלוני, *Dixit doctor N. N. nomine doctoris N. N*; ſignificatur, poſterioris diſcipulum non fuiſſe priorem; ſed, quod ille ita ſtatuerit, aliunde cognitum habuiſſe. f) Prouocatio ad doctorem, qui praeceptor non fuit.

§. 211. Phraſis, כדברי פלוני, *ſecundum ſententiam doctoris N. N*, ſignificat, illum, cui ſententia tribuitur, non diſertis verbis eam protuliſſe; ſed *per pronam conſequentiam* ex aliquo illius effato eam elici poſſe. g] Huius quoque phraſeos vſus eſt, ſi *contrariae ſententiae* ſibi opponantur. Pouocatio per phraſin: Secundum N. N. verba.

§. 212. Res per doctores Miſchnicos nondum deciſas *Gemarici decidebant*. Id quod ſine diſſenſu raro eſt factum. Quem diuerſae effatorum Miſchnicorum explicationes & praeceptores non idem ſentientes auxerunt. De *mutuo* autem *Gemaricorum doctorum diſſenſu*, quin *licitus* fuerit, dubitare nequit, qui Gemaram inſpiciat. Quin *praeceptoribus* non raro *contradixerunt diſcipuli*. Quare *Gemarico* doctori *Gemarici auctoritas*, ceteris paribus, *pro confu-* Gemaricorum doctorum alter alteri contradixerunt.

ta-

e] Halichoth olam, pag. 37. 38.

f] Halichoth, olam, pag. 38.

g] Halichoth olam, pag. 89.

tatione fruſtra opponitur. Scire tamen intereſt, *quem Gemaricum doctorem ſententia*, quae proponitur, *auctorem* agnoſcat: Cum propter praeſtantioris eruditionis limatioris-que iudicii opinionem, praeceptoris famam, aliasque cauſas, *doctores Gemarici alii aliis praeferantur.*

Formulae doctorum conſenſum & diſſenſum indicantes.

§. 213. Si ad doctoris auctoritatem prouocetur; dicitur: אמר רבי, *Dixit doctor N. N*, vt verbum, אמר, *Dixit*, doctoris nomini praeponatur. Sique ſequatur, ואמר פלוני, *Et dixit doctor N. N*, verbo אמר, *Dixit*, praemiſſo, ſignificatur, hunc cum praecedenti conſentire. Sin poſt expoſitam vnius ſententiam, praemiſſo doctoris nomine, dicatur: רבי אמר, *Doctor dixit*, vel ופלוני אמר, *Sed doctor N. N. dixit*; huius ſententiam praecedenti contradicere ſignificatur. Nonnunquam tamen, vbi contradictio ſit, verbum אמר, *Dixit*, quoque praecedit. h)

Formula conſenſum in re vna, ſed diſſenſum in pluribus, ſignificans.

§. 214. Quotiescunque idem effatum duobus doctoribus his verbis tribuatur, פלוני ופלוני דאמרי תרוייהו, *Doctor A & B ambo dicnnt*; i) ſignificatur, doctores iſtos A & B, licet aliis multis de rebus diſſentiant, hac tamen de re idem ſentire. k)

§. 215.

h] Halichoth olam, p. 80. 83.

i] E. g. Schabbath, fol. 37, 2. 38, 1.

k] Halichoth olam, p. 39.

§. 215. Formula, יתיב פלוני קמיה דפלוני ויתיב וקאמר, *Sedit N. N. coram N. N. ſedit, inquam, & dixit*, l) diſſenſus diſcipuli á praeceptore, cuius ſententiae alterius doctoris vel ſuum ipſius ſententiam oppoſuerit, ſignificatur. m) Si praeceptori prolata per diſcipulum ſententia placeret; reſpondebat, ישר, *Bene mones.* Sin diſpliceret; reſponſum nonnunquam ferebat, דרדקי, *Puerorum inſtar garris.* Diſcipulus diſſentiens à praeceptore.

§. 216. Quotiescunque in Gemara voluminis *Moëd* legitur, רב ורבי יוחנן ורבי חנינא ורבי חביבא מתנו, *Rabb & R. Iochanan & R. Chanina & R. Chabhibha docuerunt; loco R. Iochananis R. Ionathan* eſt intelligendus. n) R. Iochanan pro R. Ionathane poſitus.

§. 217. Cuicunque doctori praedicatum *Barribbi* (ברבי) tribuitur, illum plane ſingularem excellentemque & *inter doctiſſimos ſuae aetatis* fuiſſe ſignificatur. o) Iſaacidi autem nonnunquam *nomen proprium* viri eſt. p] Barribbi.

§. 218.

l] E. g. Babha mezia, fol. 99, 2.
m] Halichoth olam, p. 43
n] Schabbath, fol. 54, 2. Conf. Toſephoth ad h. l. Halichoth olam, p. 43.
o] Halichoth olam, p. 43, 44.
p] *Raſchi* ad Maccoth, fol. 5, 2.

Aſſecclae R. Iudae ſancti.

§. 218. Effatum nomine רבנן דבי רבי, *doctorum ſcholae Rabbi*, propoſitum, eſt diſcipulorum vel aſſeclarum *R. Iudae ſancti.* q)

Aſſecclae Rabbi.

§. 219. Diſcipuli vel aſſeclae *Rabbi*, בי רב, *ſchola Rabbi*, appellantur. r)

Effatum incerti auctoris.

§. 220. Quotiescunque effatum citatur, quod cuius ſit pro certo non ſcitur; *primo loco* nominatur *is*, *cui* id *à plerisque tribuitur*; dein *alius*, *cui ceteri* id adſcribunt, praemiſſa formula, ואמרי לה, *Alii autem dicunt*; vel ואיתימא, *Sed ſi mauis dic*; vel ואיכא מאן דאמר, *Eſt vero qui dicat*, non hunc, ſed illum ita pronunciaſſe. s) Formula tamen ואמרי לה, *Alii autem ita dicunt*, adhibetur quoque, ſi de cuius effati genuino ſenſu diſceptetur, aliis id hoc modo, aliis aliter interpretantibus.

Effatum cuius auctor plane ignoratur.

§. 221. Vbi de effati auctore ſermo eſt, particula כדי vel כדו, *ſine auctore*, ſignificat. Nimirum ſi effatum aliquod ab aliis certo cuidam doctori tribueretur, ab aliis autem nulla auctoris facta mentione excitaretur; primo loco doctor ille, cui ab iſtis tribueretur, in Gemara nominatur; & dein ſubiicitur: ואמרי לה כדי, *Sunt vero etiam, qui* id effatum *ſine auctore* profe-

rant

q] Halichoth olam, p. 44.
r] Ibid.
s] Halichoth olam, p. 34.

rant. Non defuerunt tamen, qui *Kdi* (כדי) *proprium doctoris nomen* fuiſſe ſuſpicarentur. t]

§. 222. Contrariarum ſententiarum auctores nonnunquam nominantur; nec tamen definitur, vter hanc, vter contrariam ſententiam propugnauerit. Hoc in caſu, *ex alio quodam alterutrius doctoris effato, alterutrius ſententiae auctor inquiritur.* [מכח מימרא אחרת נמצאת לאחר מהם]. Hoc modo demonſtraturi Gemare auctores, vter eorum alterutram ſententiam fouerit, formula vtuntur: תסתיים דפלוני הוא, *Docebitur, hunc iſtam ſententiam propugnaſſe.* u)

Contrariarum ſententiarum auctoris inueſtigatio.

§. 223. Nonnunquam doctori ſententia tribuitur, quam ille diſertis verbis non propoſuit; ſed quae ex alio quodam illius effato non niſi per bonam conſequentiam elicitur. Tum vero quaeri ſolet: אי דפלוני לאו בפירוש איתמר אלא מכללא איתמר, *At doctor N. N. id diſertis verbis non dixit; ſed ex alio quodam illius effato iſta ſententia tantummodo elicitur.* w) Nec male

Doctoris ſententia per bonam conſequentiam elicita.

t] Halichoth olam, p. 34. 35. Sepher Iuchaſin, fol. 72, 2.

u] E. g. Babha kama fol. 29, 2. Halichoth olam. p. 33.

w] E. g. Schabbath, fol. 29, 1. Schbhuoth, fol. 21.

male ita quaeritur: cum peruerſe non raro ex alterius verbis inferatur. Excipitur: ואי מכללא מאי, *Quid tum, ſi non niſi per legitimam conſequentiam haec illi ſententia tribuatur?* Sufficit, ſi ex alio quodam illius effato, eum ita ſenſiſſe, doceri poſſit. Reſponderi ſolet: דילמא שאני התם, *At ibi diſpar fortaſſe ratio eſt.* x) Nonnunquam verbis, מאי כללא, *Qualenam vero illud effatum eſt?* petitur, vt effatum, ex quo iſta ſententia elici poſſit, proferatur.

Num doctoris Gemarici auctoritas contra Gemaricum valeat.

§. 224. Doctoris Gemarici vnius ſententia ſententiae alterius, ad eam refutandam, opponi nequit. Quod vbi fiat, Gemara dicit: קא רמית גברא אגברא, *Num quaeſo viri vnius ſententiam viri alterius ſententiae opponis?* Id eſt, doctoris Gemarici vnius ſententia alterius ſententiam labefactare nequit. Nullus inter eos auctoritati locus eſt; ſed rationibus eſt pugnandum. y) Diſpar ratio eſt, ſi ad doctoris Gemarici, qui aetate prior primaeque magnitudinis ſtella fuerit, cuiusque ſententia ab omnibus pro vera recepta iam eſſet, auctoritatem prouocetur. Tum enim hunc in modum non excipitur. z]

§. 225.

x] E. g. Iebhamoth. fol. 60, 2. Halichoth olam, p. 40. 65. 66.

y) Halichoth olam, p. 56.

z) E. g. Babha mezia, fol. 7, 1.

§. 225. Quorum *Gemaricorum doctorum ſententiae deciſiuae* ſint, niſi contrarium ex ipſa Gemara intelligatur, ſequens ſchema dabit. a] Quis Gemaricus doctor diſſentientem vincat.

1. Rabh *Aſche* vincit *Rabhinam.*
2. Rabh *Cahana* vincit Rabh *Aſchen.*
3. *Chiskias* vincit *R. Iochananem,* diſcipulum.
4. Rabh *Huna* vincit Rabh *Chiſdam,* diſcipulum.
5. R. *Iannaeus* vincit R. *Iochananem,* diſcipulum.
6. R. *Iochanan* vincit R. *Eleaſarem.*
7. R. *Iochanan* vincit *Rabhum.*
8. R. *Iochanan* vincit *Reſch Lakiſchum*; tribus rebus exceptis.
9. R. *Iochanan* vincit *Samuelem.*
10. Ad *Mar filium Rabh Aſche* in omnibus acceditur; dummodo res duas excipias.
11. Rabh *Nachman* vincit Rabh *Hunam,* in *forenſibus* (דיני); ſed de *licitis & illicitis* (איסורי) hic illum vincit.
12. Rabh *Nachman* vincit Rabh *Scheſcheth,* in *forenſibus* (דיני); ſed de *licitis & illicitis* (איסורי) hic illum vincit.
13. *Rabh* vincit Rabh *Hunam.*

14.

a) Halichoth olam, p. 205-210.

14. *Rabha* vincit *Abaien*; sex rebus exceptis.

15. *Rabbah* vincit Rabh *Ioſephum*; tribus rebus exceptis.

16. Vbicunque *Rabbina* & Rabh *Acha* diſſentiunt, ille mitiorem & hic grauiorem ſententiam defendit; exceptis tribus rebus, in quibus Rabh Acha mitiorem, & Rabhina grauiorem ſententiam propugnat. *Ad mitiorem ſententiam* ſemper *acceditur.*

17. *Samuel* vincit Rabh *Adam filium Ahabhae.*

18. *Samuel* vincit *Rabhum* in *forenſibus* (דיני); Sed hic illum de *licitis & illicitis* (איסורי) vincit, exceptis tribus rebus, in quibus Samuel quoque praeualet.

Gemaricis ne contradicant recentiores.

§. 226. *Recentioribus nefas eſt, contradicere Gemarae.* Id eſt, quae deciderunt Gemarici, in his deciſioni eorum acquieſcere debent. Nec Gemarico, cui Gemaricus alius non contradixerit, doctor recentior contradicere debet. Quae vero vel *intacta* vel *in dubio Gemara reliquit*; de his diſpicere poſſunt & debent, eaque, ſi valeant, *decidere.*

Hyperbole.

§. 227. In more poſitum eſt Gemarae, *hyperbolice loqui, numerumque fidem excedentem* (מובלג השבון) ponere. Sed id vitio

illi

illi dandum non eſt; cum more orientis fiat. Multoque minus, cum ipſa Gemara, *hyperbolen* (גוומא בעלמא vel הבאי) eſſe, moneat. b) Iudaeorum doctores numerum, qui centenario inferior ſit, hyperbolice auctum cenſeri debere negant. c]

CAP. VI.

DE

TALMVDE.

§. 228

Vocabuli *Talmud* ſignificatus.

Lamad (למד) Ebraeis eſt *diſcere, litteris operam dare*; & *limmed* (למד), *docere*. Hinc *limmud* (למוד) & *talmud* (תלמוד) ſignificat *doctrinam, dogma, meletema*. In ſpecie autem hoc nomine iſta *doctrina* apud illos venit, *quae circa ſacras eorum res vel leges* verſatur. Quam cum addito quoque *talmud torah* (תלמוד תורה cc) vel *limmud torah* (לימוד תורה), id eſt, *ſtudium legis* vel *doctrinam ſacram*, appellare ſolent. Nos *theologiam* dicimus: ad quam tamen *iurisprudentia* quoque per illos refertur.

§. 229.

b) Tamid, fol. 29, 1. 80.

c) Halichoth olam, p. cc) Peah, fol. 1. 2.

Quid Talmud sit.

§. 229. Vulgo hoc nomen isti *Corpori doctrinae Iudaico* tribuitur, quod *Opus Mischnicum R. Iudae sancti & Gemaram*, siue doctorum Gemaricorum in id commentationes, continet. Cui libro nomen *Pandectarum Iuris Iudaici* vel *Corporis Iuris Iudaici* suo iure competat.

Homonymia vocabuli, Talmud.

§. 230. Cum doctrinam vocabulum *Talmud* significet; [§. 228.] non est, cur miremur, id non semper eodem sensu à Iudaeis vsurpari. Nunc enim *Mischnam & Gemaram simul* illo significant; vt modo diximus. [§. 229.] Nunc solam *Mischnam*. d] Frequentissimus autem is huius vocabuli significatus est, vt sola *Gemara* indigitetur. e] Quo sensu acceptum vocabulum Mischnae saepius opponitur.

Duplex Talmud.

§. 231. *Gemarae synonymum Talmud* est, quando *duplex Talmud* esse dicitur; *Hierosolymitanum & Babylonicum.*

CAP.

d) Babha mezia, fol. 33, 2. lin. 10. Conf. *Raschi*, ad h. l. Pirke abhoth, cap. 4. fol. 31, 1.

e) Abhodah sarah, fol. 19, 2. lin. 3. Sauhedrin, fol. 24, 1. lin. 34. 35.

CAP. VII.

DE

TALMVDE HIEROSOLYMITANO.

§. 232.

Talmud Hieroſolymitanum [תלמוד ירושלמי] vel *Gemaram Hieroſolymitanam* (הגמרא ירושלמית) celebris ille *R. Iochanan filius Elieſaris* in litteras redegit. Cum is R. Iudae ſancti diſcipulus fuerit, & poſt R. Chaninam ad *academiae in Palaeſtina rectoris* dignitatem peruenerit; de conſcripti *Talmudis Hieroſolymitani aetate* iudicium ferre non difficile eſt. Certum quidem annum definire non audemus. Quod qui cum ex Iudaeis tum ex Chriſtianis facere ſatagunt, f] illi de re, cuius nos quidem nullam vtilitatem perſpicere poſſumus, fruſtra ſe macerant. Nobis ſcire ſufficit, quod *circa ſeculi poſt Chriſtum natum III. finem, vel ſeculi IV. initium*, hic liber ſit compoſitus.

Talmudis Hieroſolymitani auctor & aetas.

§. 233. In totam Miſchnam R. Iochanan commentatus eſt; ſi ſolam *partem VI. de*

In quos Miſchnae codices exſtet.

f) Vid. *R. Gedalia*, in Schalſcheleth hakkabbala. *R. Dauid Ganz*, in Zemach Dauid. *Ie. Chriſtoph. Wolf.* Bibl. Hebr. Part. II. p. 682-685.

de Munditie (טהרות) excipias. Nam in huius ſolum *codicem de femina fluxu menſtruo laborante* praecipientem (מסכת נדה) dedit *Gemaram.*

Orationis genus.

§. 234. *Dictio minus pura* & corrupta eſt; qualis iſtis ſeculis in Palaeſtina erat. g)

CAP. VIII.

DE

TALMVDE BABYLONICO.

§. 235.

Talmudis Babylonici auctores & aetas.

Talmud Babylonicum (תלמוד בבלי) vel *Gemaram Babylonicam* (גמרא בבלית) *Rabh Aſche*, qui circa *ſeculi V. initium academiae Soranae rector* fuit, & collega eius *Rabbina* conſcribere inceperunt; ſed ad finem non perduxerunt. h] Quam telam *Meremar* & *Mar filius Rabh Aſche* pertexuerunt. *Rabbah filius Ioſephi*, qui & *R. Ioſe*, qui circa *ſeculi V. finem academiae Pumbeditha-nae rector* fuit, cum collegis, poſtremam tan-

g] Babha kama, fol. 6, 2.

h] R. *Abr. Sachuth*, in Sepher Iuchaſin, fol. 122, 1. *Maimon. Praefat.* ad Iad. Chaſakah.

tanto operi manum admouerunt. i) Per totum igitur ſeculum huic operi Iudaei inſudarunt. Non repugnamus illis, qui *primis ſeculi VI. annis* hoc opus ad finem demum perductum eſſe exiſtimant. Qui id autem recentius faciunt, illi quidem vagis coniecturis indulgere nobis videntur k]

§. 236. Sed nec *Gemaram Babylonicam* in totum Opus Miſchnicum habemus. PARTIS I. *ſolus codex Brachoth* Gemaram habet. PARTIS II. *codex Schekalim* ea *deſtituitur.* In PARTE IV. codices *Eduioth & Pirke Abhoth* Gemaram *non habent.* In PARTE V. codices *Kinnim & Middoth* Gemara *deſtituuntur.* In PARTE VI. ad *ſolum codicem Niddah* Gemara comparet. In quos Miſchnae codices extet.

§. 237. In opere Talmudico *ſex codices* vel tractatus, quorum auctor R. Iuda ſanctus non eſt, hodie *adiecti* reperiuntur. Sex codices adiecti.

§. 238. Cod. 1. *Maſſecheth Abhoth derabbi Nathan* (מסכת אבות דרבי נתן), de *Patribus.* Continet *apophthegmata, facta & fata* doctorum *Miſchnicorum.* Habet XLI. capita. Maſſecheth Abhoth derabbi Nathan.

§. 239.

i] Sepher Iuchaſin, ibid. & p. 88, 1.

k] Vt *Morinus.* Vid. *Wolf.* Biblioth. Hebr. Part. II. p. 686. ſeqq.

Maſſecheth Sophrim.

§. 239. Codex 2. *Maſſecheth Sophrim* (מסכת סופרים), de *Scribis.* Praecipit, quomodo *rotatilia pentateuchi volumina* ſcribi debeant; & praecipua *Maſoraе momenta* continet. Docet quoque, quomodo *publicae in ſynagogis praelectiones* inſtitui, & *quae preces recitari* debeant. Necnon quomodo *phylacteria* (תפלין) & *ſchedae poſtibus affigendae* (מזוזות) ſcribi debeant. Habet XXI. capita. Gemara antiquior hic codex creditur; quia nonnulla illius effata in Talmude obuia ſunt. l] Quoniam autem ad ipſum librum non prouocatur; hoc argumentum, quod debebat, non efficit.

Maſſecheth Smachoth.

§. 240. Codex 3. *Maſſecheth Smachoth* (מסכת שמחות), de *Gaudio*, vel *Ebhel rabbathi* (אבל רבתי), de *Luctu magno.* Praecipit *de luctu*; quid à conſtitutis in luctu ſit obſeruandum. Habet XIV. capita.

Maſſecheth Callah.

§. 241. Codex 4. *Maſſecheth Callah* (מסכת כלה), de *Sponſa.* De *mariti in vxorem officiis* praecipit. Habet I. caput. Huius in Talmude mentio fit. m)

Maſſecheth Derech erez rabba.

§. 242. Codex 5. *Maſſecheth Derech erez rabba* [מסכת דרך ארץ רבא], *Tractatus de Moribus maior.* De *honeſto & decoro* praecipit. Habet XI. capita.

§. 243.

l] E. g. Mnachoth, fol. 32, 2.

m] Schabbath, fol. 114 1.

§. 243. Codex 6. *Maſſecheth Derech erez ſuta* [מסכת דרך ארץ זוטא], *Tractatus de Moribus minor*. Hic quoque de *honeſto & decoro* praecipit. Habet XI. capita. Quorum quatuor in *Machſor vitra* (מחזור ויטרא) comparent. Vndecimum, *Perek ſchalom* (פרק שלום), id eſt, *Caput de pace*, cognominatum, *pacem* commendat. Maſſecheth Derech erez ſuta

§. 244. *Talmud Babylonicum* à Iudaeis *Schas* (ש"ס), id eſt, ששה סדרים. *Sex ordines*, appellari ſolet. Schas.

CAP. IX.

DE

TALMVDIS CONTENTIS.

§. 245.

Talmud *Miſchnae & Gemarae complexum* eſſe, diximus. (§. 229.) *Miſchnam* doctrinam viua voce propagatam exponere, [§. 30.] & *Gemaram* in hanc commentarium eſſe, (§. 198.) didicimus. Talmud Miſchnam & Gemaram continet.

§. 246. Non vero ſterilis in Miſchnam commentarius *Gemara* eſt; quae illius tantummodo verba explicet. Sed *prolixas* in eam *inſtituit diſputationes*; quaeſtiones proponendo, & ad eas reſpondendo; dubia mouendo, eaque ſoluendo; excipiendo, & replicando. De cuius quidem diſputatio- Diſputatio Gemarica.

ſputationis ratione & natura ſuo loco fuſius dicetur.

Deciſionum fontes.

§. 247. *Deciſionum* tam in Miſchna quam Gemara obuiarum fontes, & ad quos in Gemaricis diſputationibus recurrunt, pro dignitatis ordine ſunt: 1. *Pentateuchus & ſcriptura ſacra* (מקרא). 2. *Traditiones Moſis ex Sinai* (הלכה למשה מסיני). 3. *Exempla* (מעשה). 4. *Effata Miſchnicorum* doctorum *in Miſchna* (משנה), 5. in *Additamento* (תוספתא), & 6. in *Exoticis* (בריותא) obuia. 7. Doctorum *Gemaricorum effata* (שמעתא). 8. Varia *ratiociniorum genera* (סברא בעלמא). De quibus partim diximus, partim dicemus.

Doctrina moralis.

§. 248. *Doctrinam* quoque *moralem* non penitus negligit Talmud; quam plerumque *fabulis* vel *parabolis* (אגדות) includit.

Ordo conſcriptae Gemarae.

§. 249. His ſingulis luſtratis, *ordinem* denique, *quem Gemarae auctores ſequuti ſunt*, paucis quoque examinare iuuabit.

CAP.

CAP. X.

DE

SCRIPTVRAE SACRAE EFFATIS.

§. 250.

Praecipuus probationum fons, ex quo credenda ſua & agenda Iudaei deducunt, *codex ſacer* eſt. In quem tanta Iudaeorum reuerentia eſt, vt maior eſſe non poſſit. Huius aliquo effato quae ſententia nitatur, illa inuincibilis eſt; nec hiscere cuiquam contra illius auctoritatem licet. Contra ea *refutationis* (תיובתא) nomine venit, ſi cui *ſcripturae ſacrae auctoritas opponi* poſſit. Quemque haec ita oppugnet, vt à diuortio ſententiam ſuam liberare nequeat; ille cauſa cecidit, nec vlla in integrum reſtitutio datur. n) Scripturae ſacrae auctoritas.

§. 251. *Non exiguam* vero *pentateucho prae ceteris ſacri codicis libris praerogatiuam* tribuunt. Cuius rei ratio eſſe videatur, quod illo omnes gentis ſuae leges continentur. Accedit, quod Moſen ceteris omnibus ſacris ſcriptoribus longe diuiniorem fuiſſe contendunt. Non tollit hoc diſcri- Pentateuchi praerogatiua.

n] Halichoth olam, p. 28.

discrimen, quod omnes hi libri nomine *Torah* (תורה) saepe veniunt. Cum idem hoc nomen doctrinae viua voce traditae non raro quoque tribuatur. Contra ea vocabulum, *torah* (תורה), id est, *legis*, in strictiori significatu sumtum, libris propheticis & hagiographis, *Cabbalae* (קבלה), id est, *doctrinae acceptae*, vel *Spharim* (ספרים), id est, *librorum*, nomine venientibus, saepe opponitur. Et hos vendere permittunt, vt illa pecunia pentateuchus coëmatur; non contra. Pentateuchum his imponere permittunt; non contra. o)

Praeceptorum probatio ex propheticis scriptis & hagiographis ne petatur,

§. 252. Vllas deum *per ceteros prophetas* genti suae *leges* dedisse strenue *negant*. Quin si qua praecepta vel praeceptorum explicationes in ceteris sacri codicis monumentis legantur; ea per Mosaicam traditionem ad scriptores sacros peruenisse contendunt. p) Hinc etiam *pro praecepti alicuius probatione medium terminum* (עיקר הדין) non aliunde quam ex ipso pentateucho desumere licet. Quodsi quis igitur ex ceteris sacri codicis libris talem probationem afferat; acclamatur illi: דברי תורה מדברי קבלה לא ילפינן, *Pro rebus praecepti ex ceteris sacri codicis libris proba-*

o] Megillah, fol. 26, 1. 27. 1. Conf. Raschi. ad h. l.

p] Sbhachim, fol. 18, 2 Moëd katan, fol 5, 1.

probationem petere non licet. Ita tamen excipere non licet, si non nisi *vocabuli* vel *phraseos explicatio* (מילתא בעלמא) ex ceteris sacri codicis libris petatur. Quo in casu si ita excipiatur; respondetur: והאי מילתא הוא, *Num vero haec praecepti probatio est*, vt ita excipias? q)

Modestia in critica sacra.

§. 253. De summa Iudaeorum, qua sacrum codicem prosequuntur, reuerentia, ipsorum *in crisi sacra* stupenda *diligentia* & admiranda *modestia* testetur. r) Quod sic dicta *criticorum extrusio* (עשור הסופרים) & *criticorum correctio* (תיקון הסופרים) iniuria in sacrum codicem non sit, suo loco s) docuimus. Quae celeberrimus *Surenhusius* de *vocibus commutatis*, de *aliter disponendis tempore Messiae vocibus & sectionibus*, deque *corrigendis vocum anomaliis*, habet; t) in iis Talmudicorum mentem minus recte est assequutus. Dicunt sane sectionem Num. X, 35. 36. alieno loco comparere; quem, nisi graui de causa, quae temporibus Messiae an in seculo futuro cessatura sit, illuc coniecta esset, occupare

q] E. g. Babha kama, fol. 2, 2. Halichoth olam, p. 51. 83. 84.

r] Vid. dicta Sect. I. cap. 36.

s] Sect. I. cap. 36. §. 202. 303. Conf. Halichoth olam, p. 47. 48.

t] In Βίβλῳ καταλλαγῆς, lib. II. thes. III. p. 40. 41.

cupare non deberet. Istum nimirum locum Mosen illi assignasse, inter duas de seuera vindicta diuina historias; vt hoc ordine admoneretur lector, inter duas poenas deum respirationem suis concedere velle. Cessaturis autem peccatis & poenis, hanc quoque istius ordinis rationem cessaturam. u) Nequaquam autem id volunt, quod per Messiam haec sectio sit transponenda.

Contradictiones sacrae scripturae apparentes conciliantur.

§. 254. Quoniam *sacrae scripturae* diuinitatem agnoscunt; eam vllibi *sibi contraditere pernegant*. Sed vbi id fieri videatur, *contradictionem* non nisi *apparentem* esse contendunt. Duorum igitur scripturae sacrae locorum apparentem contradictionem sublaturi, *exceptionem à sacrae scripturae effatis sibi contradicentibus* [רומיא] formant. w] Quod facientes, dicere solent: כתיב, *ita* [in isto loco] *scriptum est*; & subiungere, וכתיב, *Ita vero* [in illo loco] *scriptum est*. x] Additur nonnunquam: הא כיצד, *Iam vero quomodo conciliari haec possunt?* Quomodo vnum locum ex altero explicantes, locumque tertium hunc in finem in subsidium vocantes, contradictionem illam non nisi apparentem esse doceant, suis locis dicetur.

§. 255.

u] Schabbath, fol. 116, 1. Conf. *Raschi* ad h. l.

w] Halichoth olam, p. 28.

x] E. g. Brachoth, fol. 35, 2.

§. 255. Non quoque offenduntur, vbi ita *scripturam sacram de deo* rebusque diuinis, vt, si in proprio significatu verba accipere velimus, *non satis digne nec satis reuerenter* ita dici confiteri cogamur, loqui videant. Quin eiusmodi phrases imitari non magis quam nos verentur. Ita tamen loquentes, addere solent: כביכול, *Cum sacra scriptura ita loqui liceat.* Vel plenius: אילמלא מקרא כתוב אי אפשר לאמרו כביכול, *Nisi in sacris ita scriptum esset, ita loqui nefas futurum esset. Iam vero ad sacri codicis imitationem id facere liceat.* y] Vocabulum, כביכול, ita explicandum esse nonnulli suspicantur, vt duae primae litterae כ"ב significent XXII. *sacri codicis libros*; quorum scriptoribus ita loqui licitum fuerit. Vel vt significent, כתוב בתורה; id est, cum *in codice sacro* ita *scriptum* sit, loqui ita liceat. Nobis autem duae hae litterae praefixa sunt; vt sensus sit: *Secundum* id, quod *in* isto libro scriptum est, qui ita loqui *potuit.* Duriores scripturae sacrae locutiones.

§. 256. *Si rei in pentateucho disertis verbis iniunctae, vel* quae ex illius verbis saltem *per ratiocinia euinci possit, probatio* petatur; hisce verbis petitur: מנ"ל, id est, מנא לן, vel, מנא הני מילי, *Vnde de eo constat?* Sin vero Petitae probationis ex pentateucho formulae.

y] E. g. Sotah, fol. 35, 1. Erubhin, fol. 22, 1.

vero *pro conſtitutione doctorum* [מדרבנן] non niſi *memoriae cauſa aliquod ſacri codicis effatum* [אסמכתא בעלמא] petatur; hacce formula petitur: מאי קראה, *Quodnam ſacri codicis effatum huc trahi poſſit?* Vel כנגד מי, *Vi cuius* ſacri codicis effati ita praeceptum eſſe dici poſſit? z]

Citationis dictorum formulae.

§. 257. De *formulis*, quibus *ſacri codicis effata* per Talmudicos *excitari* ſoleant, infra a] exponemus.

Probatio vera, & improprie ſic dicta.

§. 258. Apparet ex modo dictis, [§. 256.] *probationem per ſacrae ſcripturae effata duplicem* eſſe; *veram* (ראיה) quae vere probat; & *probationis ſimulachrum* (אסמכתא), quae nihil probet, ſed non niſi ingenioſus luſus ſit. De hac rectius dicetur, vbi de quadruplici ſcripturae ſacrae ſenſu expoſitum fuerit. Quomodo vero circa veri nominis probationes Talmudici verſentur, hoc loco dicemus.

Probationes verae vel ex diſertis pentateuchi verbis deſumuntur; vel ex illis per ratiocinia eſficiuntur.

§. 259. Tam *circumſpecte ſcriptum* eſſe *pentateuchum*, vt *ad nullam quaeſtionem reſponſio* in illo *deſideretur*, ſtatuunt Iudaei. Quae vel diſertis in illo verbis legatur; vel ex ſcriptis verbis per legitima ſaltem ratiocinia elici poſſit. Hinc *ſuperflua* eſſe, quae abundare videri poſſint, *negant*. Sed curioſe inquirunt, cur aliqua *res* in pen-

ta-

z] Halichoth olam, p. 37.

a] Cap. XXXVI.

tateucho *bis vel ſaepius* interdum ſit *dicta*, quam ſemel dixiſſe ſufficeret. Quin ad ſingulas *voces* ſingulasque *litteras abundare viſas* haec ſe inquiſitio extendit. Hinc, ceteris paribus, quaeſtionis eiusdem *probatio ex pluribus* pentateuchi *effatis temere peti non debet.* Contra ea *ex eodem effato*, niſi forte ſuperfluas vel voces vel litteras habeat, *diuerſa probari nequeunt.* Ex *ordine* quoque conſcriptarum rerum probationes non raro petuntur. Non minorem in ſcribendo accurationem *in ceteris* quoque *ſacri codicis monumentis* quaerunt; licet in illis excutiendis, cum praeceptorum probationes ex illis peti non ſoleant, minus laborent. Ex ſequentibus, de hermeneuticis Talmudicorum praeceptis, capitibus id clarius apparebit.

§. 260. Si *duo doctores ex diuerſis* pentateuchi *effatis eiusdem rei probationem petant*; שנים אחר משני מקראות, *Eiusdem rei ex duobus pentateuchi locis probatio*, ſalutari ſolet. Ibi igitur non de re ipſa, de qua conſentiunt, ſed de probatione, vnde deſumenda ſit, diſputatur. b) Quales diſputationes ſaepe prolixiores ſunt. Probatio eiusdem rei ex diuerſis effatis.

§. 261. Ubi *probatio ex vno* aliquo *dicto* vel *dubiis* vel diſtinctionibus *eneruari poſſe* videatur; *plura loca*, mediante formu- Quando id recte fiat.

b] E. g. Sanhedrin, fol. 34, 1. 2.

mula, ואומר, *Dicitur quoque*, proferri ſolent. c] Quodſi quaeratur, מאי ואומר, *Cui bono vero, plura loca proferuntur?* Dubia illa, quae contra probationem ex primo dicto moueri poterant, enumerantur.

Probatio triplex, ex pentateucho, prophetis, & hagiographis.

§. 262. Si qua *maioris momenti res* probanda veniat; triplex interdum *probatio, ex pentateucho, ſcriptis propheticis, & hagiographis*, proferri ſolet: Vt illam rem, propter dignitatem, in nulla ſacri codicis parte intactam praeteritam eſſe appareat. d) Interdum formula additur: דבר זה כתוב בתורה שנויה בנביאים משולש בכתובים, *Res haec ſcripta eſt in pentateucho, repetita in libris propheticis, tertio dicta in hagiographis.* e

Non niſi ex vnico loco probatur, quod ex pluribus probari poſſet.

§. 263. Contra ea *ex pluribus locis* rem probari poſſe interdum monent; pro qua tamen probanda *non niſi vnicum proferunt*: E. g. monetur, f] in 24. locis *ſacerdotes* appellari *Leuitas*. Neque tamen niſi vnicus locus in medium profertur.

Effatum duas propoſitiones habens.

§. 264. Si quod *effatum ex duabus propoſitionibus* conſiſtat; quid per vnam quamque

c] Babha kama, fol. 60, 2.
d] E. g. Maccoth, fol. 10, 2,
e] E. g. Babha kama fol. 92, 2. Megillah, fol. 31, 1.
f] Iebhamoth, fol. 86, 2. Bchoroth, fol. 4, 1. Chulin, fol. 24, 2.

que earum probari possit, sequenti formula quaeri solet: רישא במאי כתיב וסיפא במאי כתיב, *Quid quaeso per priorem, & quid per posteriorem propositionem praecipitur?*

§. 265. Si ad probandas *res duas cognatas*, quarum *vtraque ex alterutro pentateuchi loco probari posse videatur*, duo loca proferantur; quaeritur: מכרי שקולים הם ויבואו שניהם רהי מנייהו מפקרא, *Quoniam par harum rerum ratio est, vtraque (ex isto effato) probari poterat. Vtram enim ex illo probari posse negabis?* Respondetur: איצטריך סר"א, *At vero* vtroque effato *opus est. Contra alterutram enim rem haecce dubia moueri posse videri possint.* g) Quando duabus rebus cognatis probandis vnum effatum non sufficiat.

§. 266. *Duarum rerum probatio ex vno pentateuchi effato*, cuius verba ita comparata sint, vt plura includant, recte petitur. Quaeri quidem solet: דילמא כוליה להכי הוא דאתא, *At fortasse per totum hoc effatum non nisi alterutrum docetur.* h) Respondetur autem: אם כן ליכתוב רחמנא — אלא שמע מניה תרתי, *Si ita se res haberet, aliter scribi debuisset.* Iam vero Quando duarum rerum cognatarum probatio ex eodem effato recte petatur.

g] Babha kama, fol. 3, 1. h] E. g. Babha kama, Halichoth olam, pag. 85. 86. fol. 58, 2.

ro cum ita verba ſonent, intelligitur, quod de vtroque praecipiatur.

Diuerſarum rerum ex eodem dicto per diuerſos doctores probatio.

§. 267. Frequentiſſima in Talmude exempla occurrunt, *vt ex vno pentateuchi effato doctor alter hanc, alter aliam rem probare* conetur. i) Tum vero, vtra ex illo rectius probetur, inquiritur.

Rerum plurium ex eodem dicto in Exoticis probatio.

§. 268. In *Exoticis* ex vno ſcripturae ſacrae effato *res plures*, quarum tamen non niſi vna ex illo probari poſſit, *probari* verius ſaepe *videntur*, quam probantur. Quippe id non niſi breuitatis ſtudio fieri ſolet; nimirum *ſi res ceterae ex aliis dictis iam* ſint *probatae.* k)

Duabus de rebus interdum praecipitur, à quarum vna ad alteram inferri poſſe videatur.

§. 269. Quae *res per ratiocinium* ex aliis pentateuchi verbis *elici poſſit*, ea *ſuperflue diſertis* in illo *verbis ſcripta* creditur. Si igitur duobus de caſibus vel *duabus de rebus cognatis pentateuchus praecipiat, de quarum vna ad alteram per argumentum à diſpari inferri* poſſet; quaeritur, quid de vtrisque praecipere opus fuerit: הא למה לי קרא והלא דין היא, *Quid opus erat, de hoc diſertis verbis praecipi? Annon per ratiocinium effici poterat?* E. g. cur praecipiatur, quod heterogenea neque induenda ſint, neque geſtanda,

i] E. g. Babha kama, fol. 60, 1. ex Exod. XXII, 5.

k] E. g. Babha mezia, fol. 30, 1. Halichoth olam, p. 108.

da, quaeritur, l) Reſpondetur: דיני מיצרך צריכי, *Sane opus fuit, vt de vtrisque praeciperetur.* Doceturque, ſi de A tantummodo praeceptum fuiſſet, iuſto mitius de B; Sin de B tantummodo praeceptum fuiſſet, iuſto grauius de B iudicium ferri potuiſſe. Si vero talis neceſſitas doceri nequeat; interdum reſpondetur: מילתא דאתיא בק"ו ושרח וכתב קרא, *De vtraque rerum, à quarum vna ad alteram per argumentum à diſpari inferri poſſit, pentateuchus nonnunquam praecipit.*

§. 270. Cum ſcripturae ſacrae ſumma in probando auctoritas ſit; (§. 250.) *probatione vlteriori non indigent, quae per ſcripturae ſacrae effatum iam ſint probata.* Nonnunquam tamen probationi ex pentateucho probatio per *Exemplum* (מעשה) ſubiungitur. Hoc vero vbi fiat, quaeri ſolet: וכי מאחר דממקרא ממעשה למד, לי, *Quid quaeſo, poſt probationem per ſcripturae ſacrae effatum, probatione per exemplum opus erat?* m] Quodſi tamen res, de qua quaeſtio

Ex pentateucho probata probatione alia non indigent.

l] Iebhamoth, fol. 4, 2. Errauit Surenhuſius, putans, ibi de vocabulorum בגד & לבוש ſignificatu diſputari. Sed cur Leu. XIX, 19. verbum העלה, & Deut. XXII, 11. לבש de eadem re legatur, quaeritur.

m] E. g. Kidduſchin, fol. 6, 1.

ſtio eſt, res praecepti non ſit; ita quaeri non ſolet. n]

A praecepto diuino ad ſtatutum doctorum & vice verſa, inferri non debet.

§. 271 Cum *praeceptorum diuinorum & ſtatutorum doctorum* diuerſiſſima ſaepe ratio ſit; *ab horum altero ad alterum inferri non debet.* Quodſi igitur in Gemara *dubium ab interdicto doctorum petitum contra interdictum pentateuchi* (מאיסורא דרבנן לאיסורא דאורייתא) proferatur; reſpondetur: לא רמי דאורייתא לדרבנן, *Diſpar* (interdictorum) *pentateuchi & doctorum ratio eſt.* Vel: אמינא אנא לך דאורייתא ואת אמרת דרבנן. *Ego de pentateuchi interdicto loquor; Tu vero dubium ab interdicto doctorum petitum opponis.* Quam reſponſionem approbans Gemara, opponentem id non animaduerteſſe, hunc in modum miratur: ודקארי לה אמאי קארי לה, *Cur igitur, dubium prolaturus, hocce dubium protulit?* Id eſt, annon praeuidere potuit, id ſe reſponſi laturum? Reſpondetur: דכל דתקון רבנן כעין דאורייתא תקון, Dubium hoc mouit, quoniam regulam hic valere poſſe ſuſpicatus eſt, *quod ſtatutorum doctorum eadem, quae ſtatutorum pentateuchi ratio ſit.* o)

CAP.

n] Halichoth olam, p. 79.

o] E. g. Iebhamoth, fol. 11, 1.

CAP. XI.

DE

QVADRVPLICI SCRIPTVRAE SACRAE SENSV.

§. 272.

Verbis vel in *proprio*, vel *figurato in ſignificatu*, vtimur. Vtroque in ſignificatu, vel *eodem ſenſu*, quo *à dicente & ſcribente* prolata ſunt, *ab audiente & legente* accipiuntur; *vel diuerſo.* Si eodem; audiens & legens *in diſerte dictis* vel nude *ſubſiſtit*; vel *plura ex illis deducit*, & ſimilia comparat. Vnde ſenſus in *innatum* (משמע) & *illatum* (מדרש vel דרשה) recte diſtinguitur. *Innatus* nobis eſto, quem dicens vel ſcribens, vi connexionis & contextus, intendit. *Illatus* nobis eſto, quem dicens & ſcribens pro orationis compage & ſcopo non intendit; ſed qui ex illius verbis artificiole elicitur. Senſus innatus & illatus.

§. 273. *Quadruplicem* ſcripturae ſacrae *ſenſum* apud Iudaeos inuenimus. Duos innatos; totidemque illatos. *Innati* ſunt, *Litteralis* (פשט), & *Myſticus* (סוד). *Illati* ſunt, *Ratiocinatiuus* (דרש), & *Accommodatus* (רמז). Harum appellationum initiales litterae in vocabulo פר"ס, id eſt, *paradiſi*, habentur. Quam ob cauſam illi, qui in Quadruplex Iudaeorum ſcripturae ſacrae ſenſus.

quatuor hiſce ſenſibus inueſtigandis excellunt, *in paradiſum irrupiſſe* dicuntur. p)

Senſus litteralis.

§. 274. *Pſchat* (פשט) vel *pſchut* (פשוט), id eſt, *ſenſus litteralis*, eſt ſenſus innatus, quem dicens vel ſcribens, pro orationis ſerie, verbis in proprio ſuo ſignificatu accipiendis intendit. E. g. Secundum Talmudicos, q) verborum Pſ. XLV, 4. ſenſu litterali, heros, de quo pſalmus agit, gladium accingere iubetur; doceturque, hunc magnum illius eſſe ornamentum.

Senſus myſticus.

§. 275. *Sod* (סוד), id eſt, *ſenſus myſticus* eſt ſenſus innatus, quem dicens vel ſcribens, pro orationis ſerie, verbis figurate & allegorice accipiendis intendit. Qualis eſt ſymbolorum, viſionum propheticarum, parabolarum, aenigmatum. Referuntur huc illa ſcripturae ſacrae loca, ex quibus Iudaei *ſublimem* ſuam *metaphyſicam & pneumatologiam* (מעשה בראשית ומעשה מרכבה) vel *abſtruſam philoſophiam* (סתרי תורה) quae *Cabbalae* (קבלה) nomine vulgo venire ſolet, depromunt. Haec vero myſteria nobis manebunt: quemadmodum pneumatologia *Pumbedithanis* myſterium manſit. Hi enim *ſcientiam mundi* (מעשה בראשית), callentes, eam *R. Ioſephum*, qui *pneumatologiam* (מעשה מרכבה) calleret, edocuerunt,

p) Chagigah, fol. 14, 2.

q) Schabbath, fol. 63, 1.

runt, ea lege, vt ſe pneumatologiam viciſſim edoceret. Quod ſe facturum is quidem promiſit; promiſſis vero dein non ſtetit, cauſatus, ſecundum Cant. IV, 11. *mel & lac ſub lingua eſſe abſcondendum.* r)

§. 276. *Draſch* (דרש), ſi in ſtrictiori ſignificatu vocabulum accipiatur, eſt *ſenſus ratiocinatiuus.* Qui eſt ſenſus illatus, quem dicens vel ſcribens verbis ſuis, pro orationis ſerie, non quidem intendit; qui tamen cum litterali ſtare poteſt: quoniam per legitima ratiocinia & hermeneutica axiomata ex verbis earumque connexione eſt elicitus. Quin ita comparatus eſſe debet, vt dicens vel ſcribens, licet id verbis ſuis dicere noluerit, idem tamen ſenſerit. Nihil vero intereſt, proprie an figurate, in hoc ſenſu eruendo, verba accipiantur. Quare huc quoque refertur *ſenſus allegoricus*; qui eſt ſenſus myſticus illatus, id eſt, quem cum dicens vel ſcribens primario ſaltem non intendat, interpres ex verbis proprie primario accipiendis elicit, ſenſum illis figuratum, quem alibi habent, ſcita allegoria artificioſe tribuendo. E. g. Pſ. XLV, 4. cum *gladio* allegorice comparatur *lex* ſiue *doctrina.* Qua ſi quis tanquam gladio accinctus ſit, vt veritatem contra quos-

Senſus ratiocinatiuus.

r] Chagigah, fol. 13, 1.

quosuis aduersarios strenue defendere possit; hoc maximum illius esse ornamentum, summam gloriam. s]

Accommodatio.

§. 277. *Remes* (רמז), id est *Accommodatio*, est sensus illatus, quo verba ad rem, de qua dicens vel scribens omnino non cogitauerat, cum hermeneuticarum regularum neglectu, applicantur. Huius exemplum ex Talmude, t] ipsissimis illius verbis dabimus. „ *Inuenit R. Iochanan filium Resch* „*Lakischi sedentem, & verba* [Prou. XIX, 3.] „*recitantem*: Homo stultitia sua peruerse „agit, & culpam in deum reiicit. *Conse-* „*dit R. Iochanan, & admirabundus dixit:* „*Ergone quid scriptum in hagiographis sit, quo* „*quod trahatur in pentateucho non reperia-* „*tur? Respondit illi* (puer:) *Quid ni, quod* „*huc trahatur*, (ibi) *inueniatur? Scriptum* „*sane est*, [Gen. XLII, 28:] Tum attoniti „se inuicem aspicientes dixerunt: Cur „quaeso deus id nobis fecit? „ Similiter satis multa pentateuchi effata de *prohibitis per doctores consanguinitatis gradibus* [שניות] afferuntur. u]

Quinam horum sensuum simul stare possint.

§. 278. Apparet ex his, 1. In verbis, quae *sensum litteralem* [פשט] ex mente dicentis vel scribentis spirent, *sensum mysticum* [סוד] locum non habere. [§. 274. 275.] *allegori-*

s] Schabbath, fol. 63, 1. u] Iebhamoth, fol. 21, 1.
t] Taanith, fol. 9, 1.

Allegoricum [דרש] tamen ex illis erui, & litterali ad latus poni posse. [§. 276.] 2. Contra ea in *verbis mystice exponendis* [סוד] *sensus litteralis* [פשט] locum non habet: (§. 274. 275.) nisi forte *sensum litterae* hoc nomine ornare velis. Qui vero, quia is non est, quem dicens vel scribens intendit, hoc nomen non meretur. 3. *Sensus ratiocinatiuus* & *allegoricus* (דרש) locum habet, vbi dicentis vel scribentis verba ita comparata sint, vt per regulas hermeneuticas commode, ita vt verborum sensui litterali vis non inferatur, elici possit. Isque dicenti vel scribenti vt suus tribuitur. Quodsi enim is idem non sensisset; eum aliter, vt hic sensus erui nequiuisset, loquuturum fuisse supponitur. 4. *Accomodatio* (רמז) autem fit, quotiescunque verba ita comparata sint, vt ad rem aliam quomodocunque trahi possint. Haec Iudaeorum de diuerso scripturae sacrae sensu doctrina est.

§. 279. *Sensum litteralem, mysticum & ratiocinatiuum* inuestigaturi, *singula verba, totas propositiones*, omnemque sacri scriptoris orationis seriem sollicite & curiose examinant. Inuest. sensus litt. myst. & ratiocinatiui.

§. 280. *Singularum vocum significatum* proprium & figuratum, *formas grammaticas, ellipsin, pleonasmum, ordinem*, &c. sub censuram vocant. Obseruanda circa voces.

Homonymia.

§. 281. In *vocabulorum significatu* examinando, ad eorum primo *homonymiam* attendi debet. Quae quidem, vti in plerisque linguis, ita vel magis in Ebraica, varia est. Quam *vagus particularum vsus* sit, nemo nescit. w) E. g. Praefixum ו nonsolum, *&*, sed etiam idem quod או, *aut*, significat; x] infinitosque praeterea significatus habet. Vocabula, חי, *viuum*, & מת, *mortuum*, proprie quidem significant. Saepissime tamen in significatu improprio accipienda sunt. Significant מים חיים, *aquas salientes.* Dicuntque Talmudici: y) ארבעה חשובים כמתים סומא מצרע עני ומי שאין לו בנים *Quatuor in mortuis numerantur: coecus, leprosus, pauper & improles.* Item: z) רשעים בחייהן קרויין מתים וצדיקים אפילו במיתתם קרויין חיים *Improbi, dum adhuc viuunt, mortui iam dicuntur; pii autem vel post fata viui appellantur.*

Vocabula latius & strictius accipienda.

§. 282. *Non in eadem semper latitudine vocabula* sunt accipienda. In Talmude inquirentes, quid inter *cibos deo sacros* (קדש) & *primitias* (תרומה) intersit, *decem* enumerant *differentias.* Quarum quinque priores

w) Vid. *Christiani Noldii* Concordant. particularum.

x) Halichoth olam, p. 88.

y) Nedarim, fol. 64, 2.

z) Brachoth, fol. 18, 2.

res ita comparatae ſunt, vt inter *cibos communes ſacrorum more comedendos* [חולין שנעשו על טהרת קדש] & primitias non minus interſint. Vocabulum igitur *ciborum ſacrorum* (קדש) ibi primum in *latiori*, dein vero in *ſtrictiori ſenſu* ſumitur. Par vocabulorum vſus in ſacro codice ratio eſt. Sic quando *opus*, [מלאכה] *ſabbatho facere* prohibentur; a) ex Leu. XIX, 30. euincunt, non omnibus in vniuerſum, ſed illis tantummodo *operibus*, *quibus ad tabernaculi ſacri ſtructuram opus fuerit*, ſe eſſe interdictos. b] Vocabulum, *col* (כל) non tam ſtricte ſemper accipiendum eſſe, vt omne ſine omni exceptione ſignificet, docent; dicendo: כל לא דרשו, *Ex vocabulo COL iudicium non eſt ferendum.* c)

§. 283. Monuit *Rabh Chiſda*, vocabulorum ſignificatum ſuis temporibus non eundem eſſe, qui quondam fuerit. E. g. *Tubam*, quae in ſacris *chazozrah* [חצוצרה] dicatur, ſua aetate *ſchophar* (שופר) dici; & *lituum*, qui *ſchophar* [שופר] in ſacris, ſua aetate *chazozrah* [חצוצרה]. Non igitur à vocabulorum ſignificatu ſuo tempore recepto ad eorum in ſacris ſignificatum temere

Vocabulorum pro temporum diuerſitate diuerſus ſignificatus.

a] Exod. XX, 10.
b] Schabbath, fol. 49, 2. Iebhamoth, fol. 6, 1.
c] Pſachim, fol. 43, 2.

mere inferri debere. d] Quod cum recte moneri confiteri cogamur; apparet, multo minus ex hodiernis orientis linguis de codicis ſacri vocabulorum ſignificatu temere iudicari debere.

Synonymia.

§. 284. Quo minus *ſynonyma* vocabula, ceteris paribus, promiſcue ponantur, nihil impedit. Obſeruatur tamen, codicem ſacrum *accurate* [ברקדוקא] loqui, & vocabulum idem ſignificans euitare, vbi homonymia timeri poſſit. E. g. 1. Sam. XXX, 19. non dici, מהנשף עד הנשף, licet *neſcheph* [נשף] *crepuſculum* quoque ſignificet; ſed מהנשף עד הערב: vt clare appareret, non *à diluculo ad diluculum*, ſed *à diluculo ad crepuſculum* pugnatum fuiſſe. e] Sic ex vocabulis in textu obuiis de vero ſenſu ſaepius inquirunt. E. g. Iud. VII, 19. ex vocabulo התיכונה euincunt, de *vigilia media ex tribus*, non de *intermedia* quadam *ex quatuor*, ſermonem eſſe. f] Quoniam Pſ. CXI, 10. non ללומדיהם, ſed לעושיהם, ſcribatur, efficiunt, ſapientiam non illis, qui *doctrinam* ſibi tantummodo *acquirant*, ſed qui ad illius praeſcriptum *actiones ſuas dirigant*, ſalutarem futuram. g] *Idolis*, eorum *fanis*, & *improbis* leui *nominum immutatione inſultari* ſolet. Sic pro בית אל non raro בית און ponitur

d] Schabbath, fol. 36, 1.
e] Brachoth, fol. 3, 2.
f] Brachoth, fol. 3, 2.
g] Brachoth, 17, 1.

tur. h) Loco ישראל, pro malo omine, ירעאל ſcribi, i) ſuſpicatur *Surenhuſius*. k) At vero non gentis, ſed vrbis, nomen eſt.

§. 285. Vbi opus eſſe videatur, in *formas* quoque *grammaticas*, num vocabulum in *ſingulari* an *plurali* poſitum ſit, quibuscum *ſuffixis*, quae *verbi coniugatio* ſit, &c. ſollicite inquirunt Talmudici. E. g. Num. XVIII, 17. non חלבו, ſed חלבם, ſcribi. l) Eſa. LVI, 7. non תפלתם, ſed תפלתי, dici. m) Pſ. XXVI, 6. non ארחיץ in *Hiphil*, ſed ארחץ in *Kal*, ſcriptum eſſe. n] Si *vocabulum in plurali* ſine numero *abſolute* poſitum ſit; de *rebus non pluribus quam duabus* interpretari iubent. Quippe dicunt תפשת מרובה לא תפשת תפשת מיעוט ר׳תפשת, *Si iuſto auarior ſis, nihil; ſin paucis contentus, aliquid tamen habebis.* o] *Tria* autem denotari, ſi רבים addatur, volunt. p] Formae Grammaticae,

§. 286. Vbi vel vnius vel plurium vocum *ellipſin* obſeruent; ſcriptores ſacros com- Ellipſis.

h] E. g. Hoſ. IV, 15, X, 5. Conf. Abhodah ſarah, fol. 46, 1.
i] Hoſ. I, 4. 5.
k] In Βίβλω καταλλαγῆς, p. 88.
l] Sbhachim, fol. 37, 1.
m) Brachoth, fol. 7, 1.
n) Brachoth, fol. 15, 1.
o) Roſch haſſchanah, fol. 4, 2. Conf. Toſephoth ad h. l.
p) Toſephoth ad Roſch haſſchanah, fol. 4, 2. Torath Cohanim, cit. Toſephoth ad Succah fol. 5, 2.

compendioſe (דרך קצרה) ſcribere monent. De quo ſuo loco. q]

Pleonaſmus.

§. 287. Contra ea *vocem* non facile *abundare* contendunt. Sed ſi qua abundare videatur; eam temere poſitam non eſſe oſtendunt; & quid in ea myſterii lateat, detegunt. Nonnunquam tamen confitentur, *loqui ſcripturam* כלשון בני אדם, *vt loqui homines conſueuerint*; nimirum ita vt vocabulum aliquod, quod abeſſe poterat, ponatur. r) Ex eiusdem *vocabuli repetitione certum numerum* definire ſolent. s)

Vocabula inhoneſta.

§. 288. Huc quoque obſeruationes pertinent, quod ſcriptores ſacri, quo *vocabula inhoneſtiora* (דבר מגונה) euitarent, rem pluribus verbis circumſcribere conſueuerint. Vbi tamen circumſcriptio iſta iuſto prolixior futura fuiſſet, eos breuitatis ſtudioſos inhoneſtiora vocabula ſuperſtitioſius non euitaſſe addunt. (משתעי בלשון קצרה). t]

Ordo,

§. 289. Multum denique ſcire intereſt, quomodo *voces* ſint *coniungendae & disiungendae.* Num naturali an diſturbato ordine ſint locatae. Sunt certa *vocabula*, de quibus diſputatur, vtrum *ad antecedentia an conſequentia* ſint referenda. u) Docent, *voca-*

q] Vid. §. 371.
r] Vid. §. 353.
s] Vid. §. 341.
t] Pſachim, fol. 3, 1. 2.
u] Ioma, fol. 52, 1. 2.

vocabula alicubi *disturbato ordine* posita esse; quae si transponantur, clara euadere, quae obscuriora esse videbantur. w) Curiose denique annotant, si qua oratio, sectio, vel Psalmus, *eodem, à quo incipiat, vocabulo* quoque *finiatur*. Doctor quidam Mischnicus existimauit, primum & secundum psalmos non nisi vnum esse; quia vocabulum אשרי in primi intio & secundi fine compareat. In Psalmi CXLV principio & fine vocabulum תהלה legitur. x)

§. 290. A singulis vocibus ad integras *propositiones* maioraque *orationis membra* progredimur. De *perspicuitate*, propositionum *extensione*, *ordine*, &c. inquirunt. Obseruanda circa propositiones.

§. 291. *Effatum obscurius per clarius explicatur.* E. g. De 1. Reg. XI, 7. dubitans ad Ios. VIII, 30. sine vlteriori responsione ablegatur. y) *Non satis limitatum per rectius limitatum.* Sic locis, in quibus victimarum sanguis *altaris basi* [יסוד המזבח], sine facta plagae mentione affundi debere dicitur, lux per illum locum affunditur, vbi *angulus occidentalis* nominatur. z] Hermeneuticum enim axioma est: ילמד סתום מן המפורש, *Per clarius explicetur obscurius.* Obscuriora per clariora explicantur.

§. 292.

w] Vid. §. 373. 374.
x] Brachoth, fol. 10, 1. Conf. Tosephoth ad h. l.
y] Schabbath, fol. 56, 2.
z] Shhachim, fol. 53, 1.

Vberior versus explicatio.

§. 292. In Talmude *versus*, ad quem prouocatum fuerat, *uberius* nonnunquam, *quam res* illa, de qua disputatur, *postulet, explicatur.* Sique *occasione* huius plures versus excitentur; hi quoque vberiori explicatione, siquidem ea indigere videantur, alieno loco non raro illustrantur. a) Post longiorem hanc excursionem, ad quaestionem, de qua in principio disputatum fuerat, si disputatio illa finita nondum sit, demum reditur.

Restrictio praecepti.

§. 293. Obseruant Talmudici, quod *sub praecepto prohibitiuo* saepe *non comprehendantur ea, quae sub illo comprehendi censeri possint.* Sic, licere *vbera* [כחל] *cum carne* in eodem conuiuio comedere, licet lac in illis gignatur. *Sebo ferarum* [חלב חיה] per legem Mosaicam vesci licere. *Repudiatam viuo marito* [גרושה בחיי בעלה] ducere licere. *Fratriam* [יבמה], si frater improles obierit, duci debere. Cum *extranea bello capta* [יפת תאר] rem licite haberi. Quippe axioma est: כל דאסר לן רחמנא שרא לן כוותיה, *Quae rebus per pentateuchum prohibitis non nisi qualitercunque similia sint, ea sunt licita.* b]

§. 294.

a] E. g. Brachoth, fol. 10, 1. 2.

b] Chulin, fol. 105, 2.

§. 294. Per ratiocinia interdum euincitur, quod, *quae de vna alteraue ſpecie* in pentateucho tantummodo *praecipiantur, de toto genere* ſint *intelligenda.* E. g. De omnibus *quadrupedibus* [בהמה] quae de ſolo *boue & aſino* [שור וחמור] dicantur. Quippe *frequentius obuia ſcriptores ſacros tantummodo, nominare ſolere,* vbi de pluribus verba intelligi velint. (שדבר הכתוב בהווה). c)

De ſpecie dicta nonnunquam de toto genere ſunt intelligenda.

§. 295. Si qua *propoſitio conuertibilis* ſit; dici ſolet: כל היכי דדרשת להאי קרא מרישא לסיפא מדרש מסיפא לרישא מדרש, *Quomodocunque lubeat, hoc effatum explicare poſſis: vt vel poſterius ſit praedicatum, ratio, conſequens, prioris; vel prius ſit praedicatum, conſequens, ratio poſterioris.* d]

Propoſitiones conuertibiles.

§. 296. Sunt multa in ſacro codice tam *generaliter dicta*, vt, ſaluo ſenſu litterali, *ad res plures* ſuo iure trahantur. Diſpar eorum ratio eſt, quae de certa quadam re vna ſunt dicta.

Applicatio eiusdem effati ad plura.

§. 297. Quod *pentateuchi ſectiones ſecundum ordinem chronologicum diſpoſitae non ſint,* ſuo loco e) dicetur. De *Pſalmis* id non minus in confeſſo eſt. *R. Abhuhu* ſuſpicatus eſt, Pſalmorum collectorem argumen-

Ordo.

c] Babha kama, fol. 54, 2.

d) Brachoth, fol. 56, 1. 60, 1. 63, 1.

e) Vid. §. 325.

menti ſimilitudinem in oculis habuiſſe; quo ab effato vno ad alterum per *argumentum à Connexione* vel *Ordine* (סמוכין) inferri poſſet. f) Id vero hic obiter tantummodo attingere libuit. De quo hoc loco proprie dicere volebamus, eſt, quod ſcriptores ſacri, *res plures explicandas* proponentes, *poſteriorem priori loco* explicare non raro aggrediantur, & dein demum ad priorem reuertantur. g) Cuius inuerſi ordinis ratio nunc inuentu facilior eſt, nunc difficilior.

Licentiae in allegoriis & accommodationibus.

§. 298. Supereſt, vt videamus, quid in allegoriis liberioribus & accommodationibus Iudaei ſibi ſumant. Quae quidem ſingula perſequi opus non eſſe ducimus. Ea tantummodo explicabimus, quae noſtris hominibus inſolentiora eſſe videantur. *Licentiam* hanc *iuſto maiorem* eſſe, dices. Sed memor eſto, eos accuſari non poſſe, quod effatorum ſacri codicis ſenſum peruertant, verba ſiniſtre interpretando. *Interpretes* enim, *ſe agere negant.* Non male de hiſce iudicat *Maimonides*, h) quod *flores rhetorici* ſint, non explicationes verborum. Reprehendit eos, qui probationes

f) Brachoth, fol. 10, 1.
g) E. g. Gen. I, 1. 2. 1. Chron. I, 4. 5. 8. 17.
h) Moreh Nebhochim, Part. III. cap. 43. fol. 163. 1. 2.

nes quaerant, vbi nullae ſint. Ridet eos, qui veterum docendi methodum ignorantes, illos ex ſuo ingenio, aetatisque antiquioris mores ex praeſentibus, diiudicent.

§. 299. Vt ſenſum pro liberioribus allegoriis & accommodationibus elicere poſſint, *verba aliter, atque legi debebant, lelegere praecipiunt*, dicendo: אל תקרי כך אלא כך, *Quid? ſi id vocabulum non ita, ſed ita, legatur?* Quae tamen formula nonnunquam omittitur. Harum diuerſarum lectionum diuerſae ſunt ſpecies. Verba aliter, atque legi debebant, legere praecipiunt.

1. *Vocales permutantur.* E. g. Pſ. XLVI, 9: שמות, non *ſchammoth*, ſed *ſchemoth*, legere iubent. i) Eſa. II, 22: במה, non *bammeh*, ſed *bamah*. k) Prov. XIX, 23: ושבע, non *veſabhe*, ſed *veſchebha*. l)

2. *Conſonae permutantur.* E. g. Pſ. XCVI, 9: בהדרת, non *bhadrath*, ſed בחרדת *bcherdath*, legere iubent. m) Pſ. LXVIII, 15: בצלמון, *bzalmon*, legere iubent בצלמות, *bzalmaveth*. n)

3. *Conſona vel inſeritur, vel eiicitur.* E. g. Deut. X, 12. pro מה, *mah*, legere iubent, מאה, *meah*. o)

4. *Vo-*

i) Brachoth, fol. 7, 1.
k) Brachoth, fol. 14, 1.
l) Ibid.
m) Brachoth, fol. 30, 2.
n) Brachoth, fol. 15, 2.
o) Mnachoth, fol. 43, 2.

4. *Vocabulum vnum in duo diuiditur.* E. g. Deut. XXVII, 9: pro הסכת, *hasketh*, legere iubent, הם כת, *has kath.* p)

5. *Vocabulis diuerſa prorſus vocabula, ſed eundem fere ſonum referentia, ſubſtituuntur:* E. g. Eſa. XXVI, 2: pro שמר אמונים, *ſchomer emünim*, legere iubent, שאומרים, אמן *ſcheomrim amen.* q]

Prolixior in his, quam res meretur, *Surenhuſius* eſt; r] & ad claſſes quoque, ad quas non pertinebant, non pauca exempla refert; alia ex errore proprio; alia, Talmudis verbis deceptus. E. g. Cant. VI, 7: pro רקתך, *rakkathech*, legere iubere videntur, רקנין שבך. s) Non autem haec verba, ſed ipſum vocabulum רקתך, diuerſis vocalibus, *rekathech*, legi volunt; idque verbis רקנין שבך, idem ſignificantibus, tantummodo circumſcribunt.

Litterarum & vocabulorum diſturbatio.

§. 300. Quomodo vocabulorum in textu obuiorum *litteras*, ipſaque *vocabula*, ſaepe *diſturbent*, ſuo loco docebitur. t]

§. 301.

p) Brachoth, fol. 63, 2.

q) Schabbath, fol. 119, 2.

r) In Βίβλῳ καταλλα- γῆς, lib. III. theſ. 2. 8. pag. 59-68.

s) Chagigah, fol. 27, 1.

t) Vid. §. 332-336.

§. 301. *Decem loca pentateuchi,* u) *& quinque in ceteris libris* w] ſunt, in quibus *vox aliqua punctis ſuperne* eſt *notata.* In his *myſteria* Iudaei quaerunt. x] Sed hae non niſi ingenioſae ſunt explicationes, vel verius ingenii luſus. Vocabula ſuperne punctata.

§. 302. *Alluſionibus* viros diuinos delectatos iam fuiſſe, ignorare nequit, qui prophetarum ſcripta ſedula manu voluat. His Talmudici doctores non raro quoque luſerunt. E. g. Nomen montis *Sinai* (סיני) à verbo *ſane* (שנא), id eſt, *odio habere,* deriuant. Nimirum hunc montem ita dictum eſſe, quoniam *iram diuinam in ſe conuerterint ceterae gentes* (אומות העולם), quod latam in illo legem non receperint. y) Alluſiones.

§. 303. Quae per ſcriptorem ſacrum *de certa quadam re ſpecialiter dicta* ſunt, ea *ad res plane diuerſas,* neglecto ſenſu litterali, verbisque extra contextum ſumtis, *non ſine ſale ſaepe applicantur*: modo eum, qui id faciat, non interpretem, ſed oratorem agere, Applicatio effati ad res diuerſas.

u) Gen. XVI, 5. XVIII, 19. XIX, 33. XXXIII, 4. XXXVII, 12. N. I, 44. XIX, 10. XXI. 30. XXIX, 15. Deut. XXIX, 29.

w) 2. Sam. XIX, 20. Eſa. XLIV, 9. Ezech. XLI, 20. XLVI, 22. Pſa XLVII, 13.

x) Maſſecheth Sophrim, cap. 6. fol. 11, 1. Pirrke R. Nathan, cap. 34. fol. 8, 1. 2. Babha mezia, fol. 85, 1. Vid. Toſephoth ad h. l.

y) Schabbath, fol. 89, 1.

re, memores ſimus. E. g. Quod Hab. I, 7. dicitur, id in *Adamum, Pharaonem, regnum Idumaeorum, Sancheribum*, & *Nebucadnezarem*, applicatur. z] *His ſingulis vſu veniſſe* dicitur, quod ibi propheta dicat. Nos illum, qui ſacri codicis phraſes hoc modo trahit, quo ſecundum ſenſum litteralem non pertinebant, *cum ſacra ſcriptura loqui* dicimus. Frequentiſſime id Iudaeorum doctores fecerunt.

Allegoricae rituum explicationes.

§. 304. Huc quoque referendae ſunt *allegoricae rituum explicationes*. E. g. Dicunt, *ornatu pontificis maximi* non minus, quam victimis, *peccata expiari*. *Caligis* (מכנסי בר), inceſtum; *toga* (כתנת), homicidium; *epomide* (אפור), idololatriam; *balteo* (אבנט), meditationes & molitiones prauas (הירהור הלב); *pallio* [מעיל], maledicentiam; *tiara* (מצנפת), ſuperbiam; *frontali* (ציץ), praefrictam frontem. a)

Senſus per ratiocinia elicitus litteralem tollere non debet.

§. 305. Non ſine ratione diximus, (§. 276.) *ſenſum ratiocinatiuum* eſſe ſenſum illatum, *qui cum litterali ſtare poſſe debeat*. Quippe per ratiocinia ſenſum vel allegorias, ad theſin aliquam rite probandam, elicere, quibuſcum ſenſus litteralis ſtare nequeat, vetant. Quando enim dicunt, אין המקרא יוצא מידי פשוטו, verba ita ſunt

z) Tanchuma, fol. 48, 4. cit. Surenhuſ. p. 51.

a) Erachin, fol. 16, 1. Sbhachim, fol. 88, 2.

ſunt accipienda: *At effati litteralis ſenſus negligi non debet.* Non dicitur, prolatam explicationem *ratiocinatiuam* vel *allegoricam* [מדרש] non eſſe: Sed quaeritur, num ea talis ſit, quacum *ſenſus* verborum *litteralis* (פשוט) ſtare poſſit. b) Si per *argumentum à vocabulorum conuenientia* (גזרה שוה) explicatio elicita ſit; quaeri ſolet: אתיא ג"ש ומפקא מפשוטיה לגמרי, *Num vero per hoc argumentum à vocabulorum conuenientia ſenſus litteralis penitus euertitur?* Reſpondetur, id minime fieri; ſed *ſenſum litteralem* (פשט) ſaluum manere. c) Et ſi qua per ratiocinia prolata explicatio ſit; quaeri ſolet, פשטיה דקרא במאי כתיב *Quis vero huius effati ſenſus litteralis eſt?* d]

§. 306. Nonnunquam *Gemara rem probat* (מייתי), probatione ab effati alicuius *ſenſu illato* (דרשה) petita; cum tamen *aliud effatum* non deeſſet, cuius *ſenſu litterali* eadem res *rectius probari* poſſet. Facit id, ſi cuius effati verba ita ſint comparata, vt extra contextum ſumta illuc commodiſſime trahi poſſint. e] Probatio ex ſenſu illato nonnunquam praefertur.

§. 307.

b) E. g. Schabbath, fol. 63, 1. Halichoth olam, p. 47.

c) E. g. Ktubhoth, fol. 38, 2.

d) E. g. Chulin, fol. 6, 1.

e) E. g. Kidduſchin, fol. 5, 1. Halichoth olam, p. 78. 79.

Probationis ex sacris duae species.

§. 307. *Probationis* rei per scripturae sacrae effata *duae* sunt *species*. Altera; *Raaiah* [ראיה], id est, *Ratio* vel *probatio*. Altera, *Asmachta* [אסמכתא], id est; *Fulcimentum*.

Probatio vera.

§. 308. *Raaiah* (ראיה), *probatio*, dicitur, si *per ipsissima* sacri codicis *verba* eorumque *sensum litteralem* thesis aliqua probetur. Neque minus si *per consequentiam* ex sacri codicis verbis *legitimo modo elicitam*, *sensumue ratiocinatiuum*, (דרש) quaestio decidatur. Talis probatio haec est. *Ornatu* (תכשיטין) indutum sabbatho in publicum prodire licet. Iam ex Ps. XV, 4. discitur, *gladium* esse *herois ornamentum*. [§. 274.] Ergo *gladiatum sabbatho incedere* nihil vetat. f] Et hae quidem *genuinarum probationum* nomine veniunt.

Probatio spuria.

§. 309. *Asmachta* (אסמכתא), *fulcimentum*, autem dicitur *probatio spuria*; qua re vera nihil probatur; sed scripturae effata *ingeniosa* quadam *accommodatione*, vel *allegoria*, quo non pertinent, trahuntur. Id quod *memoriae causa* fieri solet; vt ista scripturae loca legens rei simul, ad quam applicata sint, recordetur. Haec igitur *probationis simulachrum* quidem est; non autem vera probatio. Fulcimenti nomen id arguit. Sacri codicis effatum non esse in-

f) Schabbath, fol. 63, 1.

inſtar immobilis fundamenti, cui iſta theſis ſuperſtructa ſit; ſed tantummodo inſtar fulcimenti, cui quomodocunque innitatur. Formulae ſunt: אסמכינהו רבנן אקראי, *Doctores huic theſi fulcimentum ex ſacrae ſcripturae effatis quaeſiuerunt.* Vel: וקרא אסמכתא בעלמא, *Hoc autem effatum non niſi nudum fulcimentum eſt.* Spuriae huius probationis aliquot exempla dabimus.

§. 310. Quod *doctorum fuerit, legem diuinam ſepimento munire* (לעשות סייג לתורה), ex Lev. XVIII, 30. probant. Quia ibi dicatur, ושמרתם את משמרתי, *Et obſeruabitis obſeruanda mea.* Quaſi verborum ſenſus ſit: *Sepem meam* (משמרתי), qua ego agenda & omittenda circumſcripſi, *vos noua quadam & ampliore ſepe circumſcribetis* [ושמרתם]. Id eſt, ſtatutis nouis cauebitis praeceptis meis, vt ab horum transgreſſione homines quam longiſſime arceantur. g] Exemplum I.

§. 311. Deut. VIII, 8. *ſeptem frugum & fructuum ſpecies*, quibus Palaeſtina abundet, enumerantur. Has ſpecies ſingulatim recenſere opus fuiſſe negant: cum ex ceteris ibi dictis ſatis intelligatur, Palaeſtinam res omnes ad vitae commoditatem facientes abunde ſuppeditare. Eo igitur con- Exemplum II.

g) Iebhamoth, fol. 21, 1.

consilio fruges illas & fructus ibi enumerari dicunt, vt intelligeretur, *rerum*, quarum per leges quantitas accurate definienda sit, *mensuris* (שיעורין) singulas hasce species *inseruire debere*. h] Non nisi spuriam hanc probationem esse debere, vel ex eo intelligatur, quod has rerum *mensuras* (שיעורין) *traditionem Mosis ex Sinai* (הלכה למשה מסיני) esse alibi i] dicitur. (§. 17.)

Exemplum III.

§. 312. Eam *studendi methodum* obseruari debere, vt *vna temporis tertia sacri codicis, altera Mischnae, tertia Gemarae, lectioni* impendatur, ex Deut. VI, 7. euincunt. Quam tergeminam operam per Mosen iniunctam esse, hunc in modum docetur. Prima, vt lex diuina discatur, iniuncta verbis: *Et sunto verba haec, quae ego tibi hodie iniungo, in corde tuo.* Altera, vt repetatur, verbis: *Et inculcabis ea.* Tertia, vt iterum repetatur, geminatione litterae נ, in vocabulo ושננתם; quod pro ושניתם positum sit. *Discatur* igitur lex, *sacri codicis* lectione. *Repetatur*, in *Mischna. Denuo repetatur*, in *Gemara.* k)

Statuta doctorum quomodo ex sacro codice probentur.

§. 313. Cum probationis huius natura talis sit; non est cur miremur, *pentateuchi* vel sacri codicis *effato* saepius *probari, quae per doctores recentius sunt instituta* (מדרבנן.)

De

h] Brachoth, fol. 41, 2.
i] Erubhin, fol. 4, 1. 2.
k] Kidduschin, fol. 30, 1. Conf. *Raschi* ad h. l.

De *consanguinitatis gradibus per doctores prohibitis* (שניות) supra (§. 277.) vidimus. *Matrimonio* cum *femina*, *quam* defuncti mariti frater *leuiratus inre ducere recusauerit*, (חלוצה), *sacerdotem interdixerunt* doctores. Et tamen hoc interdictum ex abundanti verborum, ואשה גרושה, Lev. XXI, 7. probatur. l) Eiusmodi igitur *probationes* non nisi *spurias* (אסמכתות) haberi debere, quilibet facile intelliget. m)

§. 314. Satis iam de scripturae sacrae sensu, & probationibus ex illa petitis, dixisse videri poteramus. Sed praecipua restant; nimirum *Doctorum Gemaricorum*, *R. Iosae Galilaei*, & *R. Ismaëlis*, *hermeneutica axiomata*. Quibus rectius examinatis, de probationibus per *ratiocinia & sensum illatum* (דרשות) iudicium ferre demum poterimus. n) Transitus ad sequentia.

CAP.

l] Iebhamoth, fol. 24, 1.

m] Halichoth olam, p. 110.

n] Euolui de his possunt: *R. Simsonis ex Kenon* Sepher Crithuth. *R. Ieschuae filii Iosephi Leuitae* Halichoth olam. *Io. Iulii Struuii* Rudimenta Logicae Ebraeorum, Ien. 1697. Hunc vero, in rebus tam abstrusis, à recta via saepius declinasse, monere debemus.

CAP. XII.

DE

REGVLIS HERMENEVTICIS DOCTORVM GEMARICORVM.

§. 315.

Axiomatum herm. doctorum Talmud. obiectum.

Hermeneutica doctorum *Talmudicorum*, ceu vulgo appellari solent, *axiomata*, pro inueniendis nunc sensu ratiocinatiuo, nunc accommodatione, probationibusque nunc genuinis nunc spuriis, (מדות חכמי הגמרא במדרשותיהן ואסמכתותיהן ובמקראותיהן) pro obiecto habent: 1. *Textus lectionem*; 2. Quae in illo *abundare* videantur; 3. *Ordinem* sectionum, verborum, & litterarum; 4. *Coniungenda & disiungenda*; 5. Certas *praeceptorum* species. o]

I.

Lectio signis vocalibus consona & dissona.

§. 316. I. אם למקרא ואם למסורת, *Lectio vocabuli secundum signa vocalia*, quibus consonae animatae sunt, *& lectio diuersa secundum nudas consonas*, non exiguum doctorum Talmudicorum exegeseos momen-

o] Halichoth olam, p. 115. 116.

mentum fuit; aliis hanc, aliis illam praeferentibus. p)

§. 317. *Mikra* (מקרא), *lectio*, appellatur illa vocabulorum *lectio, quae vulgo obtinebat* [מהקריאה]; & quae *per adiecta vocalium signa ad nos quoque est propagata.* E. g. Quod Exod. XXII, 8. ירשיען legi debeat, *iarschiin.* *Masoreth* (מסורת), *traditio*, dicitur *vocabulorum per nudas consonas scriptio*, quam à Mose ceterisque viris diuinis acceperant [ע"פ הכתב], quae diuersam nonnunquam lectionem patitur. E. g. Exod. XXII, 8. ירשיען quoque, *iarschian*, legi potest. q] *Em* (אם) idem hic valet quod עיקר, praecipium, *praeferendum, praestantius.* Quaenam igitur in eiusmodi vocabulis, quae bifariam legi possint, praeferenda lectio sit, disputatur. Regulae explicatio.

§. 318. *R. Iuda sanctus, R. Iuda filius Roëzi, Schammaeani, R. Simeon, & R. Akiba* statuerunt, יש אם למקרא, *lectionem vulgo obtinentem, secundum signa vocalia, esse praeferendam.* Ceteri autem *doctores* statuerunt, יש אם למסורת, *lectionem diuersam*, quae *neglectis signis vocalibus* obtinere possit, *esse praeferendam.* Quod tamen cum restrictione, de solis illis *vocabulis*, Doctorum circa lectionem dissensus.

p) Halichoth olam, p. 187. 188.

q) Sanhedrin, fol. 3, 2. 4. 1.

lis, quae vel *plene* vel *defectiue ſcribi* poſſunt, accipiendum eſt. E. g. ירשיעון & ירשיען; r) item טושפרי & טשפת; s) item סכות & סכת; t) item קרנות & קרנת; u] item שבועים & שבעים; w] &c. Sin vero *duo diuerſa vocabula*, vel ſaltem *duae diuerſae* eiusdem vocabuli *formae*, non niſi iisdem conſonis ſcribi poſſint; vt e. g. חלב vel *chalabh*, id eſt, *lac*, vel *chelebh*, id eſt, *ſebum*, legitur; item יראה vel *iireh* in Kal vel *ieraëh* in Niphal legitur: tum *lectionem ſecundum puncta vocalia ſequendam* eſſe ceteri quoque *doctores* ſtatuunt; &, ſi res ita ferat, dicunt: יש אם למקרא ויש אם למסורת *Et lectionem, quam expreſſa ſigna vocalia dant, ſequi oportet; & illam, quae per ſolas conſonas locum habere poſſit.* x] *Raſchi, ſi neutra lectio alteri contradicat, vtramque ſequi iubet*; quia ſine ratione ita, vt bifariam legi poſſint, vocabula ſcripta non ſint cenſenda. (דהיכא דיש לקיים שניהם דורשים מקרא ומסורת לכ"ע ולא לחנם נכתבו). y]

Diuerſarum ex hoc diſſenſu natarum explicationum Exemplum I.

§. 319. *Diuerſas ex duplici* hac *lectione explicationes* eliciunt doctores. E. g. De expli-

r) Exod. XXII, 8.
s) Deut. VI, 8. XI, 18.
t) Lev. XXIII, 42. 43.
u) Lev. IV, 7. 25.
w) Lev. XII, 5.
x) Sanhedrin, fol. 4, 1. 2.
y) Halichoth olam, p. 188.

explicatione verborum, Exod. XII, 46: בבית אחד יאכל, diſſentiunt. *R. Simeon* verbum יאכל, *ieachel*, ſecundum adiecta puncta vocalia [אם למקרא] legi debere contendit. Iam quoniam, vt paſſiuum, cum agno paſchali comedendo hoc verbum conſtruitur; ita verba interpretatur, quod *agnus* ille *à tota ſocietate* (חבורה), in cuius nomen mactatus ſit, *in diuerſos coetus non diuiſa*, eodem in loco comedi debeat. Cetera nihil impedire, quo minus *tota* illa *ſocietas inter conuiuandum locum mutet*, & in aliud conclaue vel etiam in aliam domum commigret: *dummodo ſocietas non ſeparetur*. *R. Iuda* autem verbum יאכל, *iochal*, mutatis vocalibus, [אם למסורת], legi debere contendit. Adeoque cum, vt actiuum, cum comedente conſtruatur; *ſocietatem* [חבורה], vel aliquem ex illa, *locum inter comedendum mutare vetat*. *Ante conuiuii initium* autem nihil impedire ait, quo minus *ſocietas* (חבורה), in cuius nomen agnus mactatus ſit, *in plures coetus ſeparetur*, qui conuiuium illud in diuerſis vel conclauibus vel domibus celebrent. z)

§. 320. Lev. XXIII, vbi de ſcenopegiae feſto praecipitur, vocabulum סכות *ter* legitur. *Semel plene*, v. 34; & *bis defectiue*, v. 42. Exemplum II.

z) Pſachim; fol. 86, 1. 2.

v. 42. Ceteri igitur *doctores*, qui ad vocalium ſigna attendi debere negant, (יש אם למסורת), ex defectiua hac ſcriptione euincunt, quod *tabernaculum ex tribus parietibus*, quorum tertius non niſi palmi menſuram habeat, *recte conſtruatur*. *R. Simeon* autem, qui lectionem receptam ſecundum vocales praeferri debere ſtatuit (יש אם למקרא), *ad minimum quatuor parietibus*, quorum vnus palmi menſuram habere poſſit, opus eſſe contendit. a)

Exempla huc non pertinentia.

§. 321. Serio ita diſputant doctores. Quare *vocabula punctis ſuperne notata* per *Struuium* b) huc male trahuntur. In his enim luſum ipſi agnoſcunt.

II.

Res duae, de quibus idem praecipitur.

§. 322. II. שני כתובים הבאים כאחד, *Res ſimiles duae, de quibus idem praecipitur*. Res ſimiles, de quarum alterutra ſi id praeceptum tantummodo fuiſſet, ab ea ad alteram inferri potuiſſet, intelliguntur. c]

Num ab his ad res ceteras ſimiles per argumentum ab exemplo inferatur.

§. 323. *Ab eiusmodi duabus rebus*, de quibus idem in pentateucho praecipiatur, ad res ceteras ſimiles *per argumentum ab exemplo* (בנין אב) *inferri debere negant*. (שני כתובים הבאים כאחד אין מלמדין)

Cuius

a) Sanhedrin, fol. 4, 1.
b) Logic. Ebr. p. 155, 156.
c) Halichoth olam; p. 188-190.

Cuius *axiomatis* haec *ratio* eſt, quod *nihil ſuperflue in pentateucho* ſcriptum eſſe ſtatuunt: ſuperflue autem ſcriptum eſſe id, quod per ratiocinium ex alio effato euinci poſſit. Quare de duarum illarum rerum vtraque id eo conſilio praeceptum eſſe ſupponunt, vt intelligeretur, de nulla ceterarum ſimilium rerum id valere; ſed *has à ſimilibus ceteris hoc in paſſu excipi debere.* Sunt tamen, qui ſtatuant, *ab eiusmodi duabus rebus* ad ceteras *inferri poſſe* (מלמרין); *non vero à tribus.* Quoniam de duabus rebus, praecipue ſi tanta eorum ſimilitudo non ſit, vt ab vna ad alteram commode inferri poſſit, pentateuchus idem interdum praecipere ſoleat; nunquam vero de tribus vel pluribus, niſi id *exceptionis gratia* fiat. Dici igitur ſolet: הניחא למאן דאמר שני כתובים הבאים כאחד אין מלמרין · אלא למאן דאמר מלמרין מאי איכא למימר, *Recte ſe id quidem habet ſecundum illos, qui à duabus rebus, de quibus idem praecipiatur, ad ſimiles ceteras inferri debere negant. Secundum illos autem, qui ab illis inferri poſſe affirmant, quid dicemus?* Et tum quidem tertia res, de qua idem praecipiatur, proferri ſolet. d]

§. 324.

d) Ibid.

Exemplum.

§. 324. Cuiuis notum est, quod *feminae* per Iudaeos *à praeceptis iniunctiuis, quorum obseruatio certo tempori alligata* est, *absoluantur.* Iam vero ex Deut. XVI, 3. per *argumentum à combinatione* (היו"קש) euincitur, in paschatis festo *feminas* non minus *azyma comedere*, quam fermento abstinere, *teneri.* (מצה) Infertur igitur, quemadmodum de hoc, ita de ceteris quoque praeceptis iniunctiuis certo tempore alligatis, teneri feminas. Respondetur, esse praeterea aliquod praeceptum iniunctiuum certo tempori alligatum, quod feminae quoque obseruare iubeantur. Nimirum Deut. XXXI, 12. praecipi, vt *pentateuchi praelectioni anno septimo interssint.* (הקהל) Ad exceptionem, quod à duobus hisce praeceptis ad cetera inferri possit, regeritur, non deesse tertium, ad quod feminae per pentateuchum quoque obligentur; nempe Deut. XVI, 14. ad *laetitiam scenopegiae festi.* (שמחה). Effectum igitur est, à praeceptis iniunctiuis certo tempori alligatis absolui feminas: *Excipi* autem haec tria, quae ad feminas quoque extendantur. e)

III.

Ordo sectionum pentateuchi non est chronologicus.

§. 325. III. אין מוקדם ומאוחר בתורה. *Pentateuchus chronologico ordine non est conscriptus.*

e) Kidduschin, fol. 34, 2. 35, 1.

ſcriptus. f) De ſectionibus longius à ſe inuicem diſtantibus hoc intelligendum videatur. Quodſi vero de ſectionibus ſe immediate ſequentibus accipiendum quoque ſit; inter hoc & *trigeſimum R. Ioſae Galilaei axioma* nullum diſcrimen eſt. De ſectionibus Num. I, 1. & IX, 1. id extra controuerſiam eſt poſitum. g)

§. 326. Ne tamen axioma hoc iuſto longius extendatur; ita ſollicite praecipiunt: ה"מ בתרי ענייני אבל בחד ענייגא מאי דמוקרם מוקרם ומאי דמאותר מאותר. *Hoc vero non niſi de diuerſis ſectionibus accipiendum eſt. Eandem enim ſectionem inuerſo ordine ſcriptam quoque eſſe, credi non debet.* Attamen eiusdem ſectionis.

§. 327. Propter *argumenta a genere & ſpecie* (כללי ופרטי) hoc ſollicite eſt obſeruandum. Per quae ex diuerſis ſectionibus inferre non licet. Vſus huius axiomatis.

IV.

§. 328. IV. עירוב פרשיות, *Commixtio ſectionum*, vel *Verba alieno loco inſerta* dicuntur, ſi qua verba in aliqua pentateuchi ſectione compareant, quae non ad hanc, in qua ſcripta ſunt, ſed ad aliam quandam ſectionem, referenda cenſentur. Commixtio ſectionum.

E. g.

f) Halichoth olam, p. 190. g) Pſachim, fol. 6, 2.

E. g. Exod. XXII, 8. vbi de *depoſito* (פקדון) praecipitur, leguntur verba: אשר יאמר כי הוא זה וגו׳. Quae explicant: *Quodſi* (reus) *dicat, non niſi tantam eſſe ſummam*, &c. Eo igitur ſenſu de depoſiti ſpeciebus, de quibus in textu ſermo ſit, illa accipi poſſe negant. Referri igitur haec verba iubent poſt Exod. XXII, 24. vbi de *mutuo dato & accepto* praecipiatur. Eorumque ſenſum eſſe, ſi *debitor partem mutuo dati ſe accepiſſe confiteatur, de parte autem confiteri nolit*; rem ad iudices eſſe perferendam. h)

Vſus. §. 329. Huius ſectionum commixtionis eum vſum eſſe dicunt, *ne*, quod *duabus de rebus* praecipi debebat, *bis poni opus eſſet*. Quo igitur loco de re vtraque praecipiatur, ibi inſeri nonnulla verba, quae ad illam rem non pertinere manibus palpari poſſit, eo conſilio, vt de re, ad quam haec verba pertineant, ibi quoque praecipi intelligatur. Sic e. g. Exod. XXII, 8. verba, אשר יאמר כי הוא זה, loco alieno inſerta eſſe, ad indicandum, *vti in cauſa depoſiti, ita quoque in cauſa mutui, per tres iudices cognoſci debere.* i)

§. 330.

h) Babha kama, fol. 107, 190. 191.
i. Sanhedrin, fol. 2, i) Ibid.
Halichoth olam, p.

§. 330. Statuit *Raſchi*, *verba illa* in ſectione, in qua alieno loco compareant, *non ſcripta eſſe conſenda*; ſed *ad genuinum ſuum locum referri* debere. (פסוק שהוא מברשה אחרת ונתערב בכאן שאינו מקומו עוקרין אותו מזו ונותנין אותו במקומו. *Alii* autem verba ex ſectione, in qua compareant, *tolli debere negant.* Hoc enim ſi fieri deberet, non *confuſionem ſectionum* (עירוב פרשיות), ſed *extirpationem ex ſectione* [עיקור פרשיות], dicendam fuiſſe contendunt. Quare *verba* illa *in vtraque ſectione ſcripta cenſeri debere* dicunt. Eſſe igitur. *Commixtionem ſectionum*, ſi qua in ſectione *verba* compareant, quae in alia quadam rectius quidem ſcribi potuiſſent, *ad vtramque* tamen ſint *referenda.* (דרין עירוב פרשיות איגו עוקר לגמרי הפסוק מהפרשה שנכתב בה ראי"כ אין זה עירוב פרשיות כי אם עיקור פרשיות אלא ר"ל דקאי הכא והכא · והיינו עירוב פרשיות שמערב הפרשיות ועומד בשניהם. k] Diſſenſus doctorum de ſectionum commixtione.

§. 331. In totum aberrat *Struuius.* l) qui exemplum de ſectione Num. X, 35. 36. huc pertinere ſuſpicatus eſt. Ad axioma III. de ordine pentateuchi ſectionum contra chronologiam impingente (§. 325.) id eſt referendum. Struuii error.

V.

k] Ibid.

l] Logic. Ebr. p. 102. ſeq.

V.

Litterarum transpositio.

§. 332. V. נורעין ומוסיפין ודורשין, *Litterarum transpositio fiat, ad sensum eliciendum.* De *solis litteris* a voce aliqua auferendis, & ad aliam transferendis, vel nouo aliquo vocabulo ex illis conflando, accipi haec debent; licet axiomatis verba generalius sonent. m)

Exempla.

§. 333. Quod maritus vxoris haeres esse debeat, ex Num. XXVII, 11. probatur; pro נחלתו לשארו legendo נחלת שארו לו. n) Verba Lev. IV, 5: מרם הפר explicare iubent, quasi scriptum esset רם מהפר; quoniam v. 7. ואת כל רם הפר sequitur. o)

Vsus axiomatis.

§. 334. Per hoc axioma sensui litterali verborum nonnunquam vis infertur. Quare *probationes* ex hoc fonte petitae *pro spuriis* (אסמכתות) plerumque sunt habendae: quibus non vtuntur, nisi meliores in promtu sint, si *praeceptum* aliquod *Mosaicum* (מראורייתא) sit probandum. Quale illud est, quod maritus vxoris haeres esse debeat.

VI.

Verborum ordo inuertendus.

§. 335. VI. סרם מקרא ודרשהו, *Verba textus inuerso ordine ponantur.* Ita *verba* translocare iubent, vt, quae *postrema* sint, *pri-*

m] Halichoth olam, p. 191-193.

n] Babha bathra, fol. 111. 2.

o] Ioma, fol. 48, 1.

primum locum occupent. p) Differt igitur hoc axioma ab *vndecimo Iosae Galilaei*; quo, verba nonnulla in constructione non naturali posita esse, monetur. Neque minus ab eiusdem *vicesimo nono axiomate*; quo verba nonnulla propositioni, tanquam parenthesi inclusa, interdum inserta dicuntur.

§. 336. Verba Ps. CXIX, 126: את לעשות ליהוה הפרו תורתך, sic inuertere iubent: את (משום) הפרו תורתך, לעשות ליהוה [Pii] *legem tuam transgrediuntur, si temporis ratio, vt in summi numinis honorem id fiat, requirat.* q) Verba Num. IX, 6. ויקרבו לפני משה ולפני אהרן, hunc in modum inuertere iubent, ויקרבו לפני אהרן ולפני משה; quoniam de iis, ad quae Moses respondere nequiuerit, Aharonem consulere velle superuacaneum futurum fuisset. r) Similiter verba Num. XXVII, 2. inuertere iubent. s) Exemplum.

VII.

p] Halichoth olam, p. 193.

q] Brachoth, fol. 54, 1. Conf. fol. 63, 1. Vbi hanc propositionem conuertibilem esse docetur.

r] Siphri, cit. Ialkut Schimoni, part. I. fol. 216, 4.

s] Babha bathra, fol. 119, 2.

VII.

Relatio verborum ad antecedentia.

§. 337. VII. דין מקרא נדרש לפניו ולפניו *Inquiritur, num verba ad sola proxime antecedentia, an quoque ad remotius antecedentia, sint referenda.* t)

Exemplum.

§. 338. Quaeritur e. g. num *promissio* Deut. XI, 21. למען ירבו וגו׳, ad solum versum praecedentem 20. de *scheda postibus affigenda* (מזוזה), an vero etiam ad v. 19. de *studio legis sacrae* (תלמוד תורה), referri debeat. Est, qui dicat: לפניו ולא לפני פניו, *Ad proxime praecedentia, non vero ad remotius praecedentia, est referenda.* Est vero etiam, qui dicat: לפניו ולפני פניו, *Ad proxime & remotius praecedentia est referenda.* u)

VIII.

Relatio verborum ad antec. & conf.

§. 339. VIII. מקרא נדרש לפניו ולאחריו, *Inquiritur, num verba ad antecedentia, an ad consequentia, sint referenda.* w)

Exemplum.

§. 340. Quaeritur e. g. num verba Lev. II, 2: והביאה אל בני אהרן הכהנים, ad v. 1. praecedentem referri quoque debeant; id est, num *fertis oleum per sacerdotes* quoque *affundi* debeat. An vero ad sola sequentia haec verba referenda sint;

vt

t] Halichoth olam, p. 193.

u] Schabbath, fol. 32, 2.

w] Halichoth olam, p. 193.

vt adeo *oleum ferto per ipſum offerentem affundi* queat. Eſt, qui dicat: מקרא נדרש לפניו ולא ריו, *Verba haec & ad antecedentia & ad conſequentia referri debent.* Eſt vero etiam, qui dicat: מקרא נדרש לאחריו, *Haec verba ad ſola conſequentia ſunt referenda.* x)

IX.

§. 341. IX. דורשין תחלות, *Num vocabulum primo loco poſitum*, ad conficiendum ex illius repetitione numerum, *connumerari debeat*, quaeritur. Si enim vocabulum aliquod in eadem pentateuchi ſectione ſaepius occurrat; certum rei per id vocabulum deſignatae numerum elicere ſolent doctores Iudaei, dicendo: תלתא פלוני כתיבי בפרשה (במקרא), *Vocabulum hoc* e. g. *ter ſcriptum eſt.* E. g. Exod. XXII, 6-8. vocabulum אלהים *ter* legitur. Ex quo conficitur, *quot iudices in cauſa depoſiti cognoſcere debeant.* Iam vero, cum, ad deſignandam rem, de qua ſermo eſt, *vocabulum* illud *non potuerit non ſemel poni* [המקרא הראשון לגופיה איצטריך]; doctores negant, vocabulum illud aliquoties repetitum, pro eliciendo numero, primo loco

Numerus ex ſaepius repetito vocabulo elicitus.

x] Mnachoth, fol. 19, 1. Conf. Toſephoth ad h. l.

loco positum numerari debere; sed *ex sola* illius *repetitione numerum esse efficiendum* [אין רורשין תחלות]. Fuerunt vero etiam, qui *toties vocabulum, quoties positum sit, numerari debere* suspicarentur [רורשין תחלות]. y]

X.

Inclusionis repetitio exceptionem arguit.

§. 342. X. אין ריבוי אחר ריבוי אלא למעט *Inclusionis repetitio exceptionem arguit.* Id est, si quid bis in pentateucho iniungatur vel praecipiatur; iniunctio posterior exceptionis vel imminutionis vim habet. z)

Exemplum.

§. 343. Ex Exod XXI, 35. intelligitur, *bouem* quemlibet, licet *petulcus non sit,* (שור תם) *sollicite* esse *custodiendum* (שמירה מעולה). Idem v. 36. de *boue notorie petulco* (שור מועד) repetitur. Concludunt igitur, propter factam hanc repetitionem verba, ולא ישמרנו, *non* intelligi debere *de accuratiore illa custodia* (שמירה מעולה), sed de *qualicunque custodia* (שמירה פחותה), bouisque petulci possessorem de integro damno refundendo non teneri, nisi qualitercunque eum custodire quoque neglexerit. Dicunt igitur, si quis stabuli portam bene clauserit; & *bos non petulcus* (שור תם), ea effracta, damnum intulerit; damni

y] Sanhedrin, fol. 3, 2. Halichoth olam, p. 193, 194.

z) Halichoth olam, p. 194. 195.

damni dimidium esse *refundendum.* Sin vero *bos notorie petulcus* (שור מועד) , ea effracta damnum intulerit; id *refundendum non esse*: id est, bouis possessorem *non nisi de damni dimidia refundenda* teneri , quae propter damnum per *bouem non petulcum* (שור תם) illatum solui quoque deberet; ab altera dimidia eum absolui. a)

XI.

§. 344. XI. אין מיעוט אחר מיעוט אלא לרבות , *Exceptionis repetitio inclusionem arguit.* Id est, si quid bis in pentateucho excipiatur; exceptio posterior id includit, quod per exceptionem priorem excipi videri possit. b) Exceptionis repetitio inclusionem arguit.

§. 345. Num. XXXV, 22-25. propter *homicidium inimico animo non commissum exilium* decernitur. Quo in praecepto v. 23. verba בלא ראות leguntur. Id quod ita explicant. Exilio homicidam puniri debere, *quod non speculatus fuerit*, vtrum adesset homo, qui proiecto lapide necari potuerit. Hisce igitur verbis *coetum* [סומא], qui speculari nequiuerit, *excipi* & ab exilio liberari statuunt. Quare hunc excepturi essent; Exemplum.

a) Babha kama, fol. 45, b) Halichoth olam , p. 2. 194. 195.

ſent; niſi Deut. XIX, 4. verba בבלי רעת legerentur; per quae *coecus ſecundo* excipi videatur. Propter hanc iam repetitam excluſionem, *coecum* [סומא], qui homicidium per errorem commiſerit, exilii poenam non minus, quam ceteros, ſubire debere ſtatuunt. c)

XII.

Verba propter diuerſam circumſtantiam repetita.

§. 346. XII. פרשה שנאמרה ונשנית בשביל דבר שנתחדש בה, *Eadem vel ſynonyma verba propter diuerſam circumſtantiam repeti ſolent.* d) Vt huius axiomatis vſus intelligatur; obſeruetur, Iudaeos ſtatuere, quod *nihil* in pentateucho *ſuperflue* ſcriptum ſit, niſi eo conſilio, vt *ratiocinia* ex illis, quae abundent, eliciantur. (§. 259.) Haec iam *ex verbis propter diuerſam circumſtantiam repetitis elici debere negant.*

Exemplum,

§. 347. Lev. XIV, 15-17, vbi de *purificatione leproſi* praecipitur, *manus ſiniſtrae* (שמאלית), *manus* (יד), *pedis* [רגל], & *auris* [אזן], mentio fit. Eadem verba Lev. XIV, 25-28. vbi de *leproſi pauperis purificatione* [קרבן עני] praecipitur, *repetuntur.* Ex hiſce repetitis verbis *ratiocinia formari debere negant*; quod *propter diuerſitatem ſacrificii* pauperis purificandi *repeti debuerint.*

Dicunt-

c] Maccoth, fol. 9, 2.
d] Halichoth olam, p. 195.

Dicuntque: כל פרשה שנאמרה ונשנית לא נשנית אלא בשביל דבר שנתחדש בה, *Quicquid hic repetitur, non niſi propter diuerſam circumſtantiam repetitur*: minime autem eo conſilio, vt ex repetitis ratiocinando inferatur. e)

XIII.

Diſiunctio rerum.

§. 348. XIII. הפסיק חענין, *Diſiunctio rerum.* Auctor Halichoth olam multas *diſiunctionis* (הפסק) ſpecies habet. 1. *Vacuum* inter ſectiones *ſpatium.* 2. Additum *in ſectionis fine ſuperfluum verſum*, e. g. Num. XXX, 1. qui eam à ſequenti ſectione diſtinguat. 3. Vnicum verſui ſubiunctum abundans *vocabulum*, e. g. הרוגו Num. XXXI, 17. per quod à ſequenti ſeparetur. 4. *Modulationem* vel *accentus.* His miſſis, de illa disiunctione rerum dicemus, quae per *particulam* את fit. Quam tamen per *praefixum* ו, huic particulae praemiſſum iterum tolli ſtatuunt. Formulae ſunt: את פסקיה קרא, *Particula* את *has res diſiungit.* Reſpondetur, ſi ו adſit: ו"יו ערביה קרא, *At vero praefixum* ו *has res iterum coniungit.* f)

§. 349.

e) Mnachoth, fol. 10, 1.
f) Halichoth olam, p. 196.

Vſus axiomatis.

§. 349. Si de pluribus rebus in eodem effato praecipiatur; eandem earum rationem eſſe, per *argumentum à combinatione* (היקש) concluditur. Docetur igitur per hoc axioma, ſi cui iſtarum rerum particula את praemiſſa ſit; à ceteris ad eam *per argumentum à combinatione* (היקש) *inferri non debere.*

Exemplum.

§. 350. E. g. Lev. V, 24. 25. praecipitur de iniuſte partis vel retentis: ושלם את בראשו וחמשתיו יוסף עליו לאשר הוא לו יתננו ביום אשמתו: ואת אשמו יביא ליהוה וגו׳. *Soluet ipſam ſummam, cum ſuperaddita parte illius quinta; dabitque illi cuius eſt, quo tempore ſacrificium pro delicto offerat. Et ſacrificium ſuum pro delicto offeret deo, &c.* Iam quo in caſu *duplum* (כפל) reſtitui debet, *quintam ſummae* [חמשית] ſuperaddere opus non eſt. Quaeritur igitur, num per היקש inferri poſſit, quod hoc in caſu neque *ſacrificium pro delicto* [אשם] offerre opus ſit. Negant *doctores*, per היקש inferri debere; quod *particula* את *ſacrificio pro delicto* [אשם] *praemiſſa id diſiungat.* Dicit autem *R. Simeon filius Iochaei, praefixum* ו huic particulae praemiſſum *tollere iſtam diſiunctionem* [הפסק]; vt adeo per היקש omnino inferri poſſit. g]

XIV.

g] Babha kama, fol. 65, 2.

XIV.

§. 351. XIV. אוירי במקראות, *Diuerſorum propter vſum loquendi cumulatio.* Haec quoque regula docet, ex diuerſis propter vſum loquendi cumulatis per ratiocinia inferri non debere. Quaeritur: פלוני למה לי, *Cui bono hoc quoque ponitur?* Reſpondetur: אוירי דכתיב פלוני כתב נמי פלוני, *Quoniam illud ſcriptum eſt; hoc quoque, pro communi loquendi vſu, additur.* h] Diuerſorum propter vſum loquendi cumulatio.

§. 352. Quaeritur, cur Exod. XXI, 24. 25. dicatur: עין תחת עין : נפש תחת נפש וכתתה תחת עין שן תחת שן יד תחת יד רגל תחת רגל וגו, *Vitam pro vita pendito, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, &c.* Cum tamen horum vnum poſuiſſe ſuffeciſſet: ſiquidem ab vno ad cetera inferri potuiſſet. Reſpondetur, *haec coniuncta eſſe, quoniam vulgari loquendi vſu ita coniungi ſoleant.* i] Exemplum.

XV.

§. 353. XV. דברה תורה כלשון בני אדם, *Loquitur codex ſacer vt homines loqui conſueuerunt.* Ita dici ſolet, ſi quod *vocabulum diuerſis in formis* repetatur, & ex repetitione Scriptura ſacra more hominum loquitur.

h] Halichoth olam, p. 196. 197. i] Babha kama, fol. 84. 1.

titione illa per ratiocinia nihil effici debeat. E. g. Deut. XV, 8: והעבט תעבישנו. Deut. XV, 14: ענוה תעניק. k)

Doctorum de praeceptis axiomata.

§. 354. Doctorum de certis *praeceptorum ſpeciebus axiomata*, quoniam ad codicis ſacri interpretationem proprie non pertinent, in commodiorem locum differimus.

CAP. XIII.

DE

REGVLIS XXXII. HERMENEVTICIS R. IOSAE GALILAEI.

§. 355.

R. Ioſae Galilaei axiomata hermeneutica.

Ad 32. *hermeneutica axiomata R. Ioſae Galilaei* [לי"ב מרות שההגרה נדרשת בהן] accedimus. Res, circa quas haec axiomata verſantur, ad *nouem ſumma capita* reduci poterant. 1. *Vocabulorum* certorum *ſignificatus* inueſtigatur. 2. *Phraſeologia inſolentior* examinatur. 3. *Ellipſes*, & 4. *Pleonaſmi* examinantur. 5. De *verborum, propoſitionum* & *ſectionum ſitu* & *ordine* diſputatur. 6. De *ſimilibus, comparationibus, parabolis* & *aenigmatibus* praecipitur. 7. Quomodo

k] Babha mezia, fol. 31, 2.

modo *contradictiones apparentes* tollendae ſint, docetur. 8. De *ratiociniis* nonnullis praecipitur. 9. *Cabbaliſtici* aliqui *modi ſcripturam interpretandi* exponuntur. Relinquimus lectori, vt axiomata illa ad haec, vel commodiora, ſi id fieri poſſe exiſtimet, capita reducat. Nos ordinem, quem apud Iudaeos inuenimus, ſequimur.

I.

§. 356. I. ריבוי *Particulae ampliandi vel includendi virtutem habentes*, ſunt את ה ו ד, גם *etiam*, אף *vel, quin etiam*. Hae plura *includere* [לרבות] creduntur, praeter id quod in textu exprimitur. l] Particulae ampliandi virtutem habentes.

§. 357. Gen. XXI, 1: ויהוה פקד את שרה וגו', *Deus viſitauit Saram*. Si particula את abeſſet; ſola Sara foecunda facta diceretur. Haec autem particula indicat, omnes ſteriles vna cum illa foecundatas fuiſſe. *R. Simeon Haamſuni*, quid per particulam את includeretur, per totum pentateuchum inueſtigare aggreſſus fuit. Cum vero ad locum Deut. VI, 2: למען תירא את יהוה אלהיך, *vt reuerearis dominum deum tuum*, peruenisſet; dubius haeſit. Sed & hoc in loco *R. Akibha* ſe expediuit; dicendo, *doctores* includi: m] cum non minus docto-

את

l] Halichoth olam, p. 175. 176.

m] Babha kama, fol. 41, 2.

doctoribus quam ipsi summo numini reuerentia debeatur. [מורא רבך כמורא שמים].

גם §. 358. Exod. XII, 32: גם צאנכם גם בקרכם קחו. Si particula גם abesset; diceretur, Pharaonem permisisse, vt sua pecora secum abducerent Israëlitae. Addita autem *particula* גם *indicat, Pharaonem de suis ipsius gregibus dona* quoque Israëlitis *dedisse.* Id quod futurum, Mosen Exod. X, 25. praedixisse contendunt.

אף §. 359. 2. Reg. II, 14: אף הוא ויכה את המים, *VEL SOLVS ille aquas percussit.* Si particula אף abesset; diceretur, Elisaeum iam idem, quod antea Eliam, praestitisse. Iam vero particula אף indicat, plus, quam Eliam, praestitisse Elisaeum. Antea enim vtrisque, Eliae & Elisaeo, deum id dedisse, vt Iordanis vndae exsiccarentur: iam autem soli Elisaeo.

II.

Particulae imminuendi virtutem habentes.

§. 360. II. מיעוט. *Particulae imminuendi virtutem habentes*, sunt אך *vix ac ne vix quidem*, רק *tantum non*, מן *ex.* Hae imminuere vel de illis, quae dicantur, *detrahere* (למעט) dicuntur. n)

§. 361.

n) Halichoth olam, p. 176. 177.

§. 361. Gen. VII, 23: וישאר אך נח אך *Vix ac ne vix quidem ſeruatus fuit Noachus.* Quippe pulmonibus eum laboraſſe tradunt.

§. 362. Gen. XXII, 11: כי אמרתי רק אין יראת אלהים במקום הזה, *Quoniam ſuſpicabar, tantum non omnem ſummi numinis reuerentiam abieciſſe harum regionum homines.* Tam improbos homines eſſe ſuſpicabar, vt vix vlla ſummi numinis apud illos reuerentia ſupereſſet. רק

§. 363. Exod. XVIII, 13: ויעמוד העם על משה מן הבקר עד הערב, *Turba Moſen circumſtitit ab horis matutinis vsque ad veſperam.* Particula מן indicat, Moſen non a ſummo mane vsque ad veſperam in cognoſcendis cauſis occupatum fuiſſe; attamen aliquam etiam matutinarum horarum partem huic negotio impendiſſe. Aliquot enim diei horas eum erudiendis diſcipulis dediſſe tradunt. מן

III.

§. 364. III, ריבוי אחר ריבוי. *Si particulae includendi virtutem habentes cumulentur*; indicatur, *tot res includi* debere, *quot* eiusmodi *particulae* compareant. E. g. 1 Sam. XVII, 36: גם את הארי גם הדוב הכה עבדך. Per tres illas includendi virtutem habentes particulas; גם, porro את, & iterum גם, indicari contendunt, quod Particularum includentium cumulatio.

quod Dauid non ſolos leonem & vrſum, ſed ſimul duos leonis & vnum vrſi catulos, occiderit. o)

IV.

Particularum imminuentium cumulatio.

§. 365. IV. מיעוט אחר מיעוט. *Si particulae imminuendi virtutem habentes cumulentur*; res, de qua ſermo eſt, toties imminuitur, vel aliquid de ea detrahitur, quot eiusmodi particulae comparent. E. g. Num. XII, 2: הרק אך במשה דבר יהוה הלא גם בנו דבר. Per duas imminuentes particulas, רק & אך, indicari volunt, *Moſen* prophetico munere *ſerius* fungi incepiſſe, quam Aharonem & Mariam; quin *ne tum quidem natum fuiſſe*, cum hi prophetico munere iam fungerentur. p)

V.

Argumentum à diſpari explicitum.

§. 366. V. קל וחומר מפורש. *Argumentum à diſpari explicitum* dicitur, cuius concluſio diſertis verbis per ſacros ſcriptores exprimitur. E. g. Jer. XII, 5. *Cum peditibus cucurriſti, & defatigatus es? Quomodo igitur equis te miſcere audeas?* Eſther. IX, 12: *In Suſorum metropoli* 500. *viros & 10. Hamanis filios occiderunt Iudaei. Quid quaeſo in ceteris regni vrbibus eos feciſſe putes?* q)

VI.

o) Halichoth olam, p. 177.
p) Halichoth olam, p. 177. 178.
q) Halichoth olam, p. 178.

VI.

§. 367. VI. ק"ו סתום. *Argumentum à diſpari implicitum* dicitur, cuius concluſio non exprimitur; ſed lectori formanda relinquitur. E. g. Pſ. XV, 4: נשבע להרע ולא ימיר, *Qui, quod ſe affligere velit, iurauerit; & non mutet ſententiam.* Quaeritur, cur Dauid non ſimpliciter laudet illum, qui iuramentum ſeruet; ſed illum tantummodo, qui id ſeruet, ſi ſe afflicturum iurauerit. Reſpondetur, per argumentum à diſpari inferri debere; qui *iuramentum ſeruet*, quo *ſe afflicturum ſponderit*; illum *multo magis id ſeruaturum*, quo *nihil, quod ſe affligat, promiſerit.* r) Argumentum à diſpari implicitum.

VII.

§. 368. VII. גזרה שוה. *Argumentum à vocabulorum conuenientia eſt*, quo ex eodem de duabus rebus vſurpato vocabulo colligunt, eandem vtriusque rei eſſe rationem vel naturam. E. g. Iud. XIII, 5. de Simſone dicitur: ומורה לא יעלה על ראשו כי נזיר אלהים יהיה הנער מן הבטן. *Et nouacula ne tranſito ſuper caput eius; quia Naſiraeus dei puer erit ab incunabulis.* Similiter 1 Sam. I, 11. de Samuele dicitur: ומורה לא יעלה על ראשו, *Et nouacula ne tranſito ſuper caput eius.* Ex duobus his locis Argumentum à vocabulorum conuenientia.

r) Halichoth olam, p. 178.

locis hunc in modum argumentantur: De vtroque vocabulum מורה, *nouacula*, legitur. Iam vero Simſon Naſiraeus fuit. Ergo Samuel quoque Naſiraeus fuit. s]

VIII.

Argumentum ab exemplo.

§. 369. VIII. בנין אב. *Argumentum ab exemplo* hoc loco eſt, quo docetur, quae vocabuli vel phraſeos ſemel ſit, eam ſemper deinceps eſſe rationem. E. g. Exod. III, 4. legitur: ויקרא אליו אלהים מתוך הסנה ויאמר משה משה ויאמר הנני, *Vocauit eum deus ex dumo, dicendo: Moſes, Moſes! Tum ille reſpondit: Ecce! adſum.* Colligunt ex hoc loco, quoties dicatur, ויקרא אליו אלהים; id eſt, quoties deus Moſen vocaſſe dicatur: toties verba, *Moſes, Moſes!* audita fuiſſe; totiesque Moſen reſpondiſſe: *Ecce! adſum.* t]

Quando per id inferatur.

§. 370. Monent autem, à tali loco per argumentum ab exemplo ad nullum eorum qui illum praecedant, ſed ad ſola illa, quae ſequantur, inferri debere.

IX.

Compendium dictionis.

§. 371. IX. דרך קצרה, *Compendium dictionis* dicitur, ſi vnius pluriumue vocabulorum *ellipſis* ſit ſupplenda. E. gr. 1 Chron.

s) Halichoth olam, p. 178.

t) Halichoth olam, p. 178. 179

1 Chron. XVII, 5. legitur: ואהיד מאהל אל אהל וממשכן. Vt oratio plena sit, supplendum est: אל משכן. In supplendis tamen ellipsibus temerarios esse non debere, monent. u)

X.

§. 372. X. דבר שהוא שנוי. *Argumentum à repetitione* est, quando ab iisdem rebus vel verbis saepius repetitis infertur. E. g. Gen. XLI, 3. septem vaccae septem penuriae annorum symbolum sunt; & v. 7. septem spicae totidem annorum. Ex his igitur versibus 14. penuriae anni prodeunt. Ex repetitione insomniorum per Pharaonem v. 19. & 23. facta, noui 14. penuriae anni prodeunt. Totidemque tertio ex facta v. 27. per Josephum repetitione prodeunt. Ex quo colligitur, 42 annorum famem deum per haec insomnia Aegyptiis esse minatum. Quos tamen, propter Jacobi in Aegyptum aduentum, ad 7. annos reductos esse dicunt. Vel etiam Josephi deprecationi hanc mitigationem tribuunt. Verba enim illius v. 27: יהיו שבע שני רעב, vt deprecationem interpretantur: *Sint, quaeso, non nisi septem penuriae anni!* Suo tamen tempore Aegyptios Argumentum à repetitione.

u) Halichoth olam, P. 179.

ptios diuinas haſce minas non effugiſſe monent. De quo Ezech. XXIX, 12. w)

XI.

Diſturbatus verborum ordo

§. 373. XI. סידור שנחלק. *Verba ordine diſturbato* nonnunquam poſita eſſe, obſeruant. Quae in ſuum ordinem redigere iubent. In eo tamen negotio temerarios eſſe vetant. x)

Exemplum.

§. 374. E. g. 2. Chron. *XXX*, 18. 19. legitur: כי מרבית העם רבת מאפרים ומנשה יששכר וזבלון לא השהרו כי אכלו את הפסח בלא ככתוב כי התפלל יחזקיהו עליהם לאמור יהוה השוב יכפר בער: כל לבבו הכין לדרוש האלהים יהוה אלהי אבותיו ולא בטהרת הקדש: Quae verba hunc in modum transponere iubet *Iſaacides*: כי מרבית — כי אכלו את הפסח בלא ככתוב ולא בטהרת הקדש כי התפלל יחזקיהו עליהם לאמור יהוה השוב יכפר בעד כל לבבו הכין לדרוש האלהים יהוה אלהי אבותיו Hunc vero in modum *Aben Eſra* haec verba in iuſtum ordinem redigenda eſſe putat. כי מרבית — כי אכלו את הפסח בלא ככתוב כי התפלל יחזקיהו (כל לבבו הכין לדרוש האלהים יהוה אלהי אבותיו) עליהם לאמור יהוה השוב יכפר בעד [אכלו את הפסח בלא ככתוב] ולא בטהרת הקדש: Nobis autem verba in ſuo ordine relicta commodum ſenſum ſpirare videntur.

XII.

w) Halichoth olam, p. 179. 180.

x) Halichoth olam, p. 180.

XII.

§. 375. XII. דבר שהוא בא ללמד ונמצא ללמד. Si *res duae comparentur*, nonnunquam fit, vt *illi, per quam illustrari debebat altera, plus lucis per hanc affundatur.* y) Illustratio comparatorum reciproca.

§. 376. De Aegypto dicitur Jer. XLVI, 22: קולה כנחש ילך, *Clamor eius tanquam serpentis edetur.* Iam vero de serpentis clamore nusquam legitur. Concludunt igitur, quemadmodum Aegyptiorum deletorum clamor vniuersum peruaserit orbem, ita serpentis quoque seductoris, cum per angelos manus ipsi pedesque praeciderentur, clamorem peruasisse orbem vniuersum. Exemplum I.

§. 377. Puella desponsata, cuius pudicitiae in agro vis illata sit, comparatur cum homine, qui in impii homicidae manus inciderit. Adduntur verba, ואין מושיע לה, *& nemo adfuit, qui eam eriperet.* Ex quibus verbis cogunt, si quis adsit, qui puellae desponsatae vim inferri videat, hunc vel per improbi stupratoris caedem illius pudicitiae consulere teneri. Iam porro, vi factae comparationis, concludunt, licere tertio superuenienti occidere impium aggressorem, qui ab alterius caede verbis retrahi nequeat. z) Exemplum II.

XIII.

y) Halichoth olam, p. 180. z) Sanhedrin, fol. 73, 1.

XIII.

Res eadem primo generalius & dein specialius expofita.

§. 378. XIII. כלל שאחריו מעשה והוא פרשו של ראשון. *Res eadem nonnunquam bis, primo generalius & dein specialius, exponitur.* Axiomatis huius vsus est, vbi de diuersis rebus exponi videri possit; cum tamen expositio posterior non nisi specialius persequatur ea, quae prior generalius tantummodo attigerat. a)

Exempla.

§. 379. Sic de primorum hominum creatione Gen. I, 27. paucis exponitur. Specialiora autem huius historiae momenta Gen. II, 7. 21. 22. subiunguntur. Quod Esaias Vssia rege prophetico munere fungi inceperit, ex Es. I, intelligitur. Quod vero isto demum anno, quo Vssias rex fatis functus est, hoc ipsi munus diuinitus demandatum sit, ex Es. VI, 1. euincitur.

XIV.

Omne simile dissimile est.

§. 380. XIV. דבר גדול שהוא נתלד ברבר קטן הימנו להשמיע לאזן כדרך שהיא שומעת. *Res nobilior cum multo ignobiliori nonnunquam comparatur; pro lectorum captu.* Quoniam legentium vel audientium multorum tantus animi torpor est, vt sine hac comparatione rei nobilioris dignitatem prorsus non essent intellecturi. E. g. Deut. XXXII, 2. cum pluuia comparatur

a] Halichoth olam, p. 180.

ratur doctrina; licet haec illa multo sit praestantior. Quippe docere vult Moses, doctrina vel minus quam pluuia carere posse orbem. Pluuiae autem necessitatem omnes intelligunt; doctrinae non item. b)

XV.

§. 381. XV. שני כתובים המכחישין זה את זה. Si *duo sacri codicis loca sibi contradicere videantur*; locus tertius est quaerendus, per quem loca illa concilientur, vt contradictio apparens tollatur. c) Contradictio duorum sacri codicis locorum apparens.

§. 382. Si loca 1. Chron. XXI, 5. & 2. Sam. XXIV, 9. conferantur; differentia 300000. numeratorum per Dauidem Israëlitarum prodit. Quippe 1. Chron. XXI, 5. dicitur, fuisse summam numeratorum, 1100000 Israelitarum, & 470000. Iudaeorum. Sed 2. Sam. XXIV, 9. dicitur, fuisse 800000 Israëlitarum, & 500000 Iudaeorum. De Iudaeis non est cur valde solliciti simus; cum differentia non nisi 30000 virorum sit. Nimirum dici potest, in Chronicorum libro eorum numerum accurate dari; libri autem Samuelis auctori numerum placuisse rotundum. De Israëlitis autem quid fiet? In auxilium aduo- Exemplum.

b) Halichoth olam, p. 180. 181.
c) Halichoth olam, p. 181.

aduocant 1. Chron. XXVII, 1; vbi miniſtrorum regiorum vno menſe miniſtrantium 24000. fuiſſe dicuntur. Per 12 igitur menſes, vel totum annum, 288000. regiorum miniſtrorum numerus prodit. Hi cum numero Iſraëlitarum in Samuelis libro obuio in ſummam colligantur: & 1088000 habebis. Non igitur niſi 12000 in numero 1. Chron. XXI, 5. expreſſo deſiderantur. Tot vero Iſraëlitarum principes (נשיאי ישראל) fuiſſe contendunt. Iam in Samuelis libro numerum regis iuſſu tum numeratorum dari dicunt; in quibus regii miniſtri & populi principes non fuerint, vtpote quorum nomina in regiis archiuis iam ante fuerint ſcripta. In Chronicorum autem libro totam ſummam, his quoque incluſis, exprimi contendunt.

XVI.

Vocabulum emphatice poſitum.

§. 383. XVI. דבר שהוא מיותר במקומו *Vocabulum* aliquod, cuius loco aliud adhiberi potuiſſet, *cum ſingulari emphaſi* nonnunquam *poni* (נתיתר), obſeruant. d)

Exemplum.

§. 384. Channa preces ſuas, 1. Sam. I, 11. orditur verbis: יהוה צבאות, *O! domine exercituum!* In hac dei appellatione hanc emphaſin quaerunt: O! deus, tu duos creaſti mundos; ſuperiorem, in quo proles

d] Halichoth olam, p. 181. 182.

les non gignitur; & inferiorem, qui prolis procreatione conseruatur. Iam igitur si huic accensenda sim, prole me bea: sin illi, largire mihi immortalitatem.

XVII.

§. 385. XVII. דבר שאינו מתפרש במקומו ומתפרש במקום אחר. *Res, quae suo loco silentio transitur, alieno loco exposita* non raro legitur. Gen. II. non commemoratur, quod in paradiso tuguriola auro, lapidibus pretiosis & margaritis ornata exstructa fuerint. Id autem ex Ezech. XXVIII, 13. euinci posse existimant. Sunt sane loca, in quibus non contemnendus huius axiomatis vsus est. e) Res alieno loco exposita.

XVIII.

§. 386. XVIII. דבר שנאמר בקצת והוא נוהג בכל. Nonnunquam *cum restrictione dicuntur*, quae tamen *sine* illa *restrictione* sunt *accipienda*; vel *de vna specie*, *quae de toto genere*. f) Cum restrictione dicta, sed sine illa accipienda.

§. 387. Huc pertinet illud, Exod. XXII, 30: ובשר בשדה טרפה לא תאכלו, *Carnemque IN AGRO laceratam ne comeditote.* Nihil enim interest, siue in agro siue alibi pe- Exemplum I.

e] Halichoth olam, p. 182.

f] Halichoth olam, p. 182.

pecus ſit laceratum. Quare etiam generalius Lev. XXII, 8. dicitur: נבלה וטרפה לא יאכל, *Cadauer & laceratum ne comedito.* Iſto autem in loco, addendo בשדה, *in agro*, Moſes tantummodo innuit, quid vt plurimum fieri ſoleat (דבר הכתוב בהווה), Saepius enim contingit, vt in agris pecora lacerentur; rariſſime in vrbibus.

Exemplum II.

§. 388. Dicitur Exod. XXIII, 19: *Ne coquito hoedum in lacte matris ſuae.* Cum tamen ſecundum Iudaeos non ſolum id, vt caro hoedi in matris lacte coquatur (לאו דוקא), ſed vt vlla quadrupedum caro in quocunque lacte coquatur, nefas ſit.

XIX.

Diuerſarum rerum praedicata quando vtrique competant.

§. 389. XIX. דבר שנאמר בזה וה"ה בחבירו, Vbi de duabus rebus ſermo eſt, quarum vnicuique ſuum tribuitur praedicatum, *vtrique vtrumque praedicatum* non raro eſt *tribuendum.* Quo tamen axiomate abutendum non eſſe monent: vtpote quod locum tantummodo habeat, vbi vtrique ſubiecto vtrumque praedicatum ex aequo competat. Ita illa effata plerumque ſunt comparata, vt vel vtrumque praedicatum locum medium & ſubiecta duo extrema, vel vtrumque ſubiectum locum medium & praedicata duo extrema occupent. g)

§. 390.

g] Halichoth olam, p. 182. 183.

§. 390. Exemplum obuium eſt in Pſ. XCVII, 11: אור זרוע לצדיק ולישרי לב שמחה, *Lux ſata eſt iuſto, & ſinceris laetitia:* Ibi *iuſtis lux,* & *ſinceris laetitia* tribuitur: cum tamen vtrisque vtrumque competat. At vero ſignificatur, *lucem & laetitiam vtrisque* à deo eſſe deſtinatam. Deut. XIV, 21. praecipitur: *Cadauer ne comeditote. Adaenae illud dabis, vt comedat, vel vendito extraneo.* Diſputatur, vtrum verborum ſenſus ſit, quod cadauer aduenae dono dari, & extraneo vendi debeat; an vtrique dono dari vel vendi poſſit. h) Lev. XXV, 37. dicitur: את כספך לא תתן לו בנשך ובמרבית לא תתן אכלך: Diſputatur, vtrum ad argentum tantummodo נשך & ad victum tantummodo מרבית, an vtrumque ad vtrumque referri debeat. i) Lev. XIX, 32. praecipitur: מפני שיבה תקום והדרת פני זקן, *Caniciei aſſurgito, & honorato ſenem.* Ex quo euincitur, & ſeni decrepito & erudito aſſurgi debere, neque minus vtrumque in honore eſſe habendum. k)

Exempla.

XX.

§. 391. *XX.* דבר שנאמר בזה ואינו ענין לו אבל הוא ענין לחביריו. *Quod de re vna dicatur, de re prorſus diuerſa* nonnunquam *intelligi debere* contendunt. l)

De re vna dictum de prorſus alia intelligendum.

§. 392.

h) Pſachim, fol. 21, 2.
i) Babhamezia, fol. 61, 1.
k) Kidduſchin, fol. 32, 2. 33, 1. 2.
l) Halichoth olam, P. 381.

Exempla.

§. 392. Ne in benedictione Mosaica Simeonitae neglecti videantur; verba Deut. *XXXIII*, 7: ויאמר ליהודה, *Idem Iudae dixit*, de Simeonitis accipere iubent, hoc sensu: Idem, quod Rubenitis dixerat Moses, Simeonitis quoque dixit. Huc consuetudinem referimus, qua, si quid mali vel infausti de Israelitis praedicandum sit, id, boni ominis causa, non de ipsis, sed de illorum inimicis, praedicatur. [כאדם שמקלל את עצמו ותולה קללתו בחבירו m]

XXI.

Similia vltra tertium comparationis ne extendantur.

§. 393. *XXI.* דבר שהוקש לשתי מדות ויאמר נותן לו הכל הימה שבשתיהן. *Si qua res duabus cum rebus comparetur*; vtriusque non nisi ea *praedicata*, quae *illius naturae conuenientia* sint, *illi tribuantur*. Si res bona sit, bonae vtriusque rei proprietates illi tribuantur; sin mala sit, malae. n]

Exemplum.

§. 394. Comparatur *iustus* Ps. LII, 13. cum *palma* & *cedro*. Cum *palma* eum comparari dicunt, intuitu *dulcissimorum fructuum*; minime vero intuitu eius, quod vmbram non det, & conficiendis ex ea vasis inepta sit. Cum *cedro* autem eum comparari dicunt, intuitu *vmbrae* quam det, & quae

m) Sotah, fol 11, 1. Vid. & *Raschi*, ad Exod. 1, 10.

n) Halichoth olam, p. 184.

quae ex illius lignis parari possint *vasorum*, minime vero intuitu sterilitatis.

XXII.

§. 395. *XXII.* דכר שחבירו מוכיח עליו. Ex antecedentibus intelligitur, sicubi *ellipsis* sit; eaque *ex antecedentibus* est *supplenda*. o) Idem est, quod Aben-Esra dicere solet: ושך עמו ואחר עמו *Vocabulum id huc pertinet; sed & ad sequentia.* Ellipsis ex antecedentibus supplenda.

§. 396. Dabimus exempla, vocibus inserendis parentheſi inclusis. Prou XXI, 14: מתן בסתר יכפה אף ושחד בחק (יכפה) חמה עזה. Es. XLII, 8: אני יהוה הוא שמי וכבודי לאחר לא אתן ותהלתי לפסילים [לא אתן]. Ps. IX, 19: כי לא לנצח ישכח אביון תקות ענוים [לא] תאבד לעד. Exempla.

XXIII.

§. 397. XXIII'. דבר שהוא מוכיח על חבירו. Nonnunquam non nisi *de re vna vel specie dicitur, quod de pluribus vel toto genere est intelligendum.* p) Dici quoque solet: חרא מתרי או מתלת נקוש וה"ה לשארא, Non nisi *vnum ex duobus vel tribus ponitur. Par autem ceterorum omnium ratio est.* Species loco generis posita.

§. 398. Ps. *XXIX.* 8. 9. deus fulminibus & fulguribus *ceruas* syluarum terri- Exemplum.

tu-

o) Halichoth olam, p. 184.

p) Halichoth olam, p. 185.

turus dicitur. Ponuntur autem *ceruae pro omnibus feris* in ſyluis obuiis, quae ſint trepidaturae. Solas autem ceruas poni exiſtimant, quod hae, propter pedum pernicitatem, ad capiendam celerrimam fugam, ceteris ſint aptiores.

XXIV.

Species eminentior generi ſubiuncta.

§. 399. XXIV. דבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד על עצמו. *Generi ſpecies*, vel *toti pars* aliqua *ſubiungi* ſolet, vt *ceteris* eam *praeſtantiorem* eſſe intelligatur. q)

Exemplum.

§. 400. Sic Ioſ. II, 1. dicitur: *Ite, & explorate terram, & Hierichuntem.* Hierichuntina vrbs, licet terrae pars eſſet, ſeparatim nominari creditur, quod non minoris haec, quam tota reliqua terra, momenti eſſet.

XXV.

Species exceptionis cauſa ſeparatim poſita.

§. 401. XXV. דבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד על חבירו. *De ſpecie* aliqua *ſeparatim* nonnunquam *praecipitur*, vt *diuerſam ceterarum rationem* eſſe intelligatur. r)

Exemplum.

§. 402. Homicida eſt ſub genere eorum, qui alterius corpori damnum inferunt. De his Leu. XXIV, 19. praecipitur: *Quemadmodum* alteri *fecit ita ipſi fiet.* De homicida autem Num. XXXV, 31. hunc

q) Halichoth olam, p. 185.

r) Halichoth olam, p. 185.

hunc in modum praecipitur: *Ne ſumitote lytrum, quo vitam ſuam redimat homicida, qui homicidio doloſo mortem promeruit. Sed is ſupplicio è medio tolletur.* Hoc de homicida praeceptum, vt exceptionem accipientes, ſtatuunt, in ſolo homicidio mulctam locum non habere. Praeceptum autem de ceteris alterius corpori damnum inferentibus non de poena talionis, ſed de mulcta, eſſe interpretandum.

XXVI.

§. 403. XXVI. משל. *Parabola.* Docetur hoc axiomate, parabolas pro veris hiſtoriis non eſſe accipiendas. s) Parabola.

§. 404. Saepius parabolae in V. T. codice leguntur. Qualis illa eſt, Iud. IX, 8: *Iuerunt arbores, vt regem ſibi vngerent.* Significatur, Iſraëlitas Othnieli, Deborae & Gideoni regnum obtuliſſe. Quod vero hi accipere recuſauerint. Exemplum.

§. 405. Frequentiſſimus, vti apud ceteras orientis gentes, ita Iudaeos quoque, parabolarum vſus fuit. Artificio ingenioſas parabolas proponendi R. Meir excelluiſſe dicitur. Cuius hoc encomium eſt: משמרת רבי מאיר בשלו מושלי משלים *Cum R. Meiro artificium parabolas ingenioſe proponendi expirauit.* t) Frequens parabolarum vſus.

XXVII.

s) Halichoth olam, p. 185.

t) Sotah, fol. 49, 1.

XXVII.

Ratio ex ante actis petenda.

§. 406. XXVII. ממעל. *Ex ante actis* rei vel dicti alicuius *ratio* non raro eſt *petenda.* u)

Exemplum.

§. 407. Regi *Iehu* 2. Reg. X, 30. per deum promittitur, quod *quatuor* illius *generationes* regnum in Iſraëlitas ſint obtenturae. Rationem, cur de quatuor praeciſe generationibus promittatur, ex eo petendam eſſe exiſtimant, quod totidem ex Achabi familia, quam Iehu diuino iuſſu deleuerit, generationes regno praefuerint.

XXVIII.

Ratio ex moribus praeſentibus petita.

§. 408. XXVIII. מכנגד. *Ex moribus praeſentibus* rei vel dicti alicuius *ratio* nonnunquam eſt *petenda.* w) Quo trahi illud quodammodo poſſit: כנגד מידה, מידה vel במידה שאדם מודד בה מודדין לו. *Qua menſura menſi fueritis, eadem vobis remetietur.* x) In ſubiungendis exemplis vocabula, quae ad hanc regulam illuſtrandam faciunt, parentheſibus breuitatis ſtudio includemus.

Exemplum I.

§. 409. Num. XIV, 34. deus Iſraëlitis 40 *annorum* in deſertis commorationem minatur; quod exploratores, qui ad ſeditionem ſollicitauerant turbam, in exploranda Palaeſtina 40 *dies* conſumſerant.

§. 410.

u) Halichoth olam, p. 185. 186.
w] Halichoth olam, p. 186.
x] Sotah, fol. 8, 2.

§. 410. Huc pertinet illud, Ier. *XXIII*, 38. 39: ואם [משא] יהוה תאמרו לכן Exemplum II.
כה אמר יהוה יען אמרכם את הדבר הזה
משא יהוה, ואשלח אליכם לאמור לא תאמרו
משא יהוה: לכן הנני [נשיתי] אתכם נשא
ונשׁשׁתי אתכם וגו".

§. 411. Simile illud est, Es. *XXX*, 16: ותאמרו לא כי על סוס [ננוס] על כן [תנוסון] Exemplum III.
ועל (קל) נרכב על כן [יקלו] רדפיכם.

XXIX.

§. 412. *XXIX.* מוקרם ומאוחר שהוא Parenthesis.
בענין אחד. Verba per parenthesin in mediam propositionem nonnunquam ponuntur: quae si illi subiungerentur, dilucidiora essent futura. y]

§. 413. Huc non male fortasse trahitur illud, 1. Sam. III, 3: ונר אלהים טרם יכבה Exemplum.
ושמואל שוכב] בהיכל יהוה וגו', *Et lucerna dei nondum deleta erat in aede dei, cum Samuel cubitum iuisset.* Cur haec ita explicent, id rationis subest, quod praeter familiam Dauidis nemini in aede sacra sedere, nedum cubare, fas fuerit.

XXX.

§. 414. XXX. מוקרם ומאוחר שהוא Pentateuchi sectiones chronologicum ordinem dispositae.
בפרשיות, *Non omnes pentateuchi sectiones chrono-*

y] Halichoth olam, p. 187.

chronologico ordine sunt dispositae. Quin binarum immediate sibi succedentium prior res serius, & posterior res citius gestas, nonnunquam exponit. z)

Exemplum.

§. 415. E. g. Gen. XIV. describitur historia deuictorum per Abrahamum regum Syrorum. Gen. XV. autem *visio de foedere*, quod deus cum Abrahamo *inter dissectorum animalium membra* pepigerit, (עין בין הבתרים) exponitur. Iam vero foedus hoc deum cum Abrahamo septuagenario, quinque annis ante pepigisse, quam Charane in Palaestinam commigraret, contendunt: quoniam, nisi id statuatur, 430. illi exilii anni, Exod. XII, 40, non sint prodituri. A regibus autem Syris victoriam demum reportauit, cum Palaestinae incola aliquamdiu iam fuisset. a)

XXXI.

Notaricon.

§. 416. XXXI. נוטריקון. *Notaricon*, dicitur illa explicatio, qua vel vnum vocabulum in plura disiicitur; vel ex singulis illius litteris singulae voces construuntur. b)

§. 417.

z] Vid. 32. reg herm. R. Iosae Galilaei tractatui Brachoth subiunctas, fol 98, 2.

a] Vid. Tosephoth ad Schabbath, fol. 10, 2. & Seder olam rabba, p. 2. seqq.

b] Halichoth olam, p. 186. 187. Schabbath, fol. 105, 1.

§. 417. Ad ipſorum ſcriptorum ſacrorum imitationem ſe id facere dicunt. Cum Gen. XVII, 5. vocabulum אברהם per אב המון גוים, patrem multitudinis gentium, explicetur. c) Exemplum I.

§. 418. Vocabulum כרמל, id eſt, *frumentum quod nondum ad plenam maturitatem perductum eſt*, explicant per רך מל, id eſt, דבר שהוא רך ונמלל ביד, *rem quae adhuc tenera manu conteri poteſt.* d) Exemplum II.

§. 419. Dauid vindictam à Simei ſumendam Salomoni filio commendat, dicendo 1. Reg. II, 8: והוא קללני קללה נמ"רצת. Vbi vocabulum נמר"צת explicant, נואף מואבי רוצח צורר תועבה, me *adulterum, Moabitam, homicidam, tyrannum, abominabilem*, eſſe dixit. e) Exemplum III.

§. 420. Num. *XXII*, 32. angelus Bileamo dixit: *Cur iam ter aſinam tuam percuſſiſti? Ecce! ego exii, vt tibi reſiſterem.* כי י"רש הדרך לנגדי. Vocabulum י"רש explicant, יראה ראתה נשתה, *Timuit* aſina tua, quia me *vidit*; & propterea de via *declinauit.* f) Exemplum IV.

XXXII.

§. 421. *XXXII.* גמטריא. *Geometria*, an *Arithmetica?* Ita dicuntur illi explicandi Geometria.

c] Ibid.
d] Ibid.
e] Ibid.
f] Ibid.

di modi, quibus vel *ex vocabuli litteris* certus aliquis *numerus* elicitur (חשבון האותיות); vel varia *consonantium permutatio* (חילוף זו בזו) instituitur. g)

Argumentatio ex numerico litterarum valore.

§. 422. Exemplum *argumentationis ex numerico litterarum valore* (חשבון האותיות) hoc sit. Gen. XIV, 14. Abraham 318. suorum contra reges Syros armasse, illorumque virtute hos in fugam coniecisse dicitur. Iam vero nominis אליעזר litterae 318. conficiunt. *Cum solo* igitur *Eliesare* suo *Abraham reges* istos *fudisse* creditur.

Litterarum permutatio.

§. 423. *Litterarum permutationis* (תמורת האותיות) infinitae fere species sunt. *Nos* eas tantummodo recensebimus, quarum in Talmude vestigia reperimus: nempe *alphabetha* (לשונות), quae *Atbasch* (את"בש) & *Atbach* (אט"בח) appellantur.

Atbasch.

§. 424. *Alphabethum Atbasch* (לשון אתבש) ita constructum est, vt alphabethi extremae & singulae binae ab extremis aequaliter distantes litterae sibi inuicem hunc in modum substituantur:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ

ת ש ר ק צ פ ע ס נ מ ל

Per hoc alphabethum euincunt, Jer. LI, 1. per verba לב קמי significari כשדים, *Chal-*

g] Halichoth olam, p. 186.

Chaldaeos. Item pro מנא מנא תקל ופרסין apud Danielem cap. V, 25. ſcriptum fuiſſe tradunt, יטת יטת ארך פוגחמט; quae cauſa fuerit, cur à Chaldaeis ſcriptura illa legi nequiuerit. h)

§. 425. *Alphabethum Atbach* (לשון אטבח) ita elaboratum eſt, vt litterae vnarios ſignificantes eae ſibi ſubſtituantur, quarum ſumma *denarium* efficit; denarios ſignificantium eae, quarum ſumma *centenarium* efficit; centenarium ſignificantes cum finalibus ita permutentur, vt ex permutandarum ſumma *millenarius* prodeat. Praeterea ה & נ ſibi quandoque ſubſtituuntur. Atbach.

א	ב	ג	ד	י	כ	ל	מ	ק	ר	ש	ת	ה	*
ט	ח	ז	ו	צ	פ	ע	ס	ץ	ף	ן	ם	נ	

Ope huius alphabethi, Prov. XXIX, 21. ex מנון faciunt סהדה. i)

CAP.

h] Sanhedrin, fol. 22, i] Succah, fol. 52. 2. 1.

CAP. XIV.

DE

REGVLIS XIII. HERMENEVTICIS R. ISMAELIS.

§. 426.

Tredecim argumenta R. Iſmaëlis.

Venimus nunc ad fortiſſimum illud *doctrinae Iudaicae caſtellum, tredecim propugnaculis inſtructum*, ex quibus eam caſuumque in pentateucho non obuias, ſed per doctores factas, deciſiones fortiter propugnant. Et ſi dicendum ſit, quod res eſt, infeliciter Chriſtianorum plerique arietes admouerunt, quod munitionum naturam vix vlli ſatis perſpectam habuerunt. Iudaeis tam ſacra haec ſunt, vt *in precibus matutinis* id, quod ſequitur, *Exoticorum effatum* quotidie recitent. k)

רבי ישמעאל אומר בשלש עשרה מדות התורה נדרשת בהם. מקל וחומר. ומגזירה שוה. מבנין אב מכתוב אחד ומבנין אב משני כתובים. מכלל ופרט. ומפרט וכלל. כלל ופרט וכלל אי אתה דן אלא כעין הפרט. מכלל שהוא צריך לפרט ומפרט שהוא צריך לכלל. וכל דבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד לא ללמד על עצמו יצא אלא ללמד על הכלל כולו יצא. וכל דבר שהיה בכלל ויצא לטעון טען אחד שהוא כענינו יצא להקל ולא להחמיר. וכל דבר שהיה בכלל ויצא לטעון טען אחר שלא כענינו

k] Vid. Seder Tphilloth, in Schachrith.

כענינו יצא להקל ולהחמיר· וכל דבר שהיה
בכלל ויצא לדון בדבר החדש אי אתה יכול
להחזירו לכללו עד שיחזירנו הכתוב לכללו
בפירוש· דבר הלמד מעניגו ודבר הלמד מסופו·
וכן שני כתובים המכחישין זה את זה עד
שיבוא הכתוב השלישי ויכריע ביניהם

R. Ismaël dixit: Tredecim argumentorum species sunt, per quae ex pentateucho infertur. 1. *Per argumentum à dispari.* 2. *Per argumentum à vocabulorum conuenientia.* 3. *Per argumentum ab exemplo ex vna & ex duabus pentateuchi sectionibus.* 4. *Per argumentum à genere & specie.* 5. *Per argumentum à specie & genere.* 6. *Per argumentum à genere & specie & genere; per quod non nisi ad species similes inferri debet.* 7. *Per argumentum à genere indigente specie & à specie indigente genere.* 8. *Per argumentum, quo euincitur, si de qua specie de nouo quid specialiter praecipiatur, id de ceteris singulis sub eodem genere comprehensis similibus speciebus valere.* 9. *Per argumentum à specie, de qua aliquid, non vero omne id, quod de genere, praecipitur.* 10. *Per argumentum à specie, cui penitus diuersa tribuuntur; quo euincitur, huic speciei sola ea, quae de ea praedicantur, siue leuiora sint, siue grauiora, competere.* 11. *Per argumentum à specie, de qua contradictoria praedicantur, quod ea ad genus referri non debeat, nisi pentateuchus illam disertis verbis ad id referat.* 12. *Per*

argumentum ab antecedentibus & consequentibus. 13. *Per argumentum, quo docetur, quod duorum locorum contradictio apparens per locum tertium tolli debeat.*

Quorum plura sunt, si accurate distinguantur.

§. 427. Obseruant Iudaei, in Talmude *plures*, si accurate distinguantur, quam tredecim *argumentandi modos* inueniri. l) Vnde nemo mirari debet, quod nos in sequentibus capitibus philosophiae Iudaicae *viginti argumenta* exponamus.

Sunt traditio Mosis ex Sinai.

§. 428. *Philosophiae suae auctorem* faciunt *Mosen*, ipsumque *deum*. *Tredecim* enim illas *ratiociniorum species traditionem Mosis ex Sinai* esse contendunt. (מדות י"ג הלכה למשה מסיני]. m)

Ex solo pentateucho per ea inferatur.

§. 429. Per haec autem ratiocinia non nisi ex pentateucho inferre iubent. Ex traditionibus autem Mosis ex Sinai per illa inferre vetant. Quippe dicunt: כי אגמריה למשה על הפסוק הוא דאגמריה ולא על הלכה, *Deus Mosen argumenta haec edocuit, vt ex pentuteucho per ea inferretur; non vero ex traditionibus Mosis ex Sinai.* n)

Ne temere per ea inferatur.

§. 430. Quin negauit *Raschi*, vlli doctorum hodie integrum esse, istis ratiociniis vti, si vnicum argumentnm à dispari excipias. Sed quae veteres per ea effecerint,

l] Halichoth olam, p. 113.

m] Halichoth olam, p. 142.

n] Ibid.

rint, ea teneri debere. *Auctores* autem *τῶν Tosephoth* statuunt, quemlibet doctorem per illa hodie quoque suo ipsius iudicio recte argumentari. Attamen hi quoque argumentum à vocabulorum conuenientia (גזרה שוה) excipiunt. o)

CAP. XV.

DE *ARGVMENTO A DISPARI.*

§. 431.

Disparia (קלין וחמורין) dicuntur, quae certo quidem respectu similia sunt, quorum vero alterum *maius*, vel *grauius*, vel *dignius*, vel *nobilius* est; alterum *minus*, vel *leuius*, vel *vilius*, vel *ignobilius*. Sunt igitur diuersarum saltem specierum res. E. g. Peccatum in deum commissum grauius est; peccatum autem in homines commissum leuius est. Disparia.

§. 432. *Nobilitas* (חומרא) Iudaeis est obligatio, crimen, virtus, poena, retributio, &c. harumue rerum eminentior gradus (מעלת חומרא). Hinc *maius*, *grauius* vel *nobilius* (חומר vel חמור) est res, cui talis nobilitas, quae alii cuidam rei desit, com- Maius.

o] Halichoth olam, p. 139. 140.

competat. Et rem *aggrauare* (החמיר) dicitur, qui de ea talem nobilitatem praedicet vel affirmet.

Minus.

§. 433. *Ignobilitas* (קולא) Iudaeis est obligationis, criminis, virtutis, poenae, retributionis, &c. negatio, vel saltem harum rerum inferior gradus (מעלת קולא). Hinc *minus*, *leuius*, vel *ignobilius* [קל] est res, cui nobilitas talis, quae alii cuidam rei insit, non competat: seu, quod idem est, cui ignobilitas competat, quae alii cuidam rei non competat. Et rem *eleuare* (הקל) dicitur, qui talem nobilitatem ei competere neget; vel qui ignobilitatem de ea praedicet.

Praedicatum qualecunque.

§. 434. *Praedicatum qualecunque* [כל דהו] dicitur, quod rem, cui competit, nobiliorem; eamque, cui non competit, ignobiliorem non facit.

Nobilitas & ignobilitas *certa* & *dubia*.

§. 435. Cum nobilitas tum ignobilitas vel *certa* est, vel *dubia*. *Certa*, quam rei competere constat. *Dubia*, de qua, num rei competat an non competat, non constat.

Nobilitas & ignobilitas *communis* & propria.

§. 436. Cum nobilitas tum ignobilitas vel *communis* est, vel *propria*. *Communis*, quae maiori & minori, pluribusue rerum speciebus, ex aequo competit. *Propria*, quae horum alterutri, vel soli speciei cui id subordinatur, inest, alteri deest.

§. 437.

§. 437. *Ratio diſparitatis* (מעיוה כח אחד בא ללמוד) eſt nobilitas vel ignobilitas propria, quatenus ex ea intelligitur, vtra duarum certo reſpectu ſimilium rerum maius vel minus quid ſit. Diciturque illius intuitu, *Ratio nobilitatis*; huius autem intuitu *Ratio ignobilitatis*. E.g. Damnum bouis dentibus & pedibus illatum leuius quid eſt: Damnum autem cornibus illatum, grauius. Ratio diſparitatis eſt, quoniam bouis poſſeſſor illud in loco publico illatum refundere non tenetur; huius autem dimidiam refundere debet. Ratio diſparitatis.

§. 438. *Ratio diſparitatis* vel *per communem diſcurſum*, duce ratione, (מסברא); vel *per pentateuchum*, illius quodam praecepto vel effato eam ſuppeditante, (מדין vel מדין התורה), inuenitur. Quam communis diſcurſus ſuppeditat, ea non magni apud Iudaeos momenti eſt. Sed praeualet ea, quae per pentateuchum ſuppeditatur. p] Rationum diſparitatis fontes.

§. 439. *Duarum rerum* B & C *vtraque, diuerſo reſpectu, maius & minus* eſſe poteſt. Inſit nobilitas A rei B, quae rei Z deſit; Erit, reſpectu huius rationis nobilitatis A, res B maius, & res Z minus. (§. 437.) Contra ea deſit nobilitas E rei B, quae rei Z inſit; Erit, reſpectu huius rationis nobili- Simpliciter & reſpectiue maius & minus.

p) Sepher Crithuth, Part. I. cap. 1. §. 7. fol. 4, 2. Halichoth olam, p. 125. 126.

bilitatis E, res B minus, & res Z maius. (§. 437.) E. g. Mater hoedi caprini maius quid eſt quam vacca & ouis; illo reſpectu, quod matrem cum hoedo ſuo die eodem mactare peccatum eſt, vaccam autem & ouem cum illo eodem die mactare licet. Contra ea mater hoedi caprini minus quid eſt quam vacca & ouis; illo reſpectu, quod coitus matris cum hoedo caprino licitus eſt, vaccae autem vel ouis cum illo coitus illicitus. Hinc *ſimpliciter maius* & *minus* eſt, quod intuitu omnium diſparitatis rationum tale eſt. *Reſpectiue* autem *maius* vel *minus* eſt, quod intuitu vnius rationis diſparitatis *maius* eſt; intuitu autem alterius *minus*.

Rationes diſparitatis pugnantes.

§. 440. *Rationes diſparitatis* A & E, per quas euincitur, duarum rerum B & Z vtramque diuerſo reſpectu maius & minus eſſe, appellantur *pugnantes*.

Ratio diſparitatis aliquid efficiens & nihil efficiens.

§. 441. *Ratio diſparitatis* vel *efficit*, quod efficere debebat; vel *nihil efficit*. *Ratio nobilitatis vel ignobilitatis aliquid efficiens* (חומרא או קולא שגורמת הדין) eſt, qua in diſparium alterutro poſita, alia quaedam nobilitas vel ignobilitas ponitur. *Ratio nobilitatis vel ignobilitatis nihil efficiens* (חומרא או קולא שאינה גורמת הדין) eſt, qua in diſparium alterutro poſita, alia quaedam nobilitas vel ignobilitas non ponitur.

§. 442.

§. 442. Quod *ratio nobilitatis* vel *ignobilitatis rei Z nihil efficiat*, docetur per *instantiam* rei similis C, cui cum illa ratio nobilitatis vel ignobilitatis competat, aliam tamen quandam nobilitatem vel ignobilitatem non competere certum sit. E. g. Ratio nobilitatis, quod vaccae vel ouis cum hoedo caprino coitus illicitus sit, non efficit, quod cum illarum lacte huius carnes coquere illicitum sit. Quoniam animalium immundorum quoque coitus cum hoedo caprino illicitus est: nihiloque tamen minus cum illorum lacte huius carnes coquere licitum est. quod ratio disparitatis nihil efficiat.

§. 443. Contra ea *rationem nobilitatis vel ignobilitatis aliquid efficere* supponitur, quamdiu talis instantia dari nequeat. Vel si, ea data, doceri possit, rem C, à qua illa petita sit, rei Z dissimilem esse. Docere, quod ratio disparitatis aliquid efficiat.

§. 444. *Argumentum à dispari* (קל וחומר id est) est, quo vel à minori ad maius vel à maiori ad minus, pro nobilitate vel ignobilitate aliqua rei vtrique ex aequo competente, infertur. (לומרין) Huiusque argumenti duae sunt species: *Argumentum à minori ad maius*, & *argumentum à maiori ad minus*. q) Argumentum à disparí.

§. 445. *Argumentum a minori ad maius* est, per quod infertur, nobilitatem, quae de Arg. à minori ad maius.

q) Halichoth olam, p. 116. Sepher Crithuth, Part. I. cap. 1. §. 1. fol. 4, 1.

de re minori praedicetur, de re maiori vel magis esse praedicandam (לומרין חמור מקל להחמיר). r) E. g. Cum hoedi caprini matris, cui tamen cum illo coire licet, lacte illius carnes coquere illicitum est. Ergo cum vaccae vel ouis, quibus cum hoedo caprino coire non licet, lacte huius carnes coquere vel magis illicitum est. s)

Arg. a maiori ad minus.

§. 446. *Argumentum à maiori ad minus* est, per quod infertur, nobilitatem, quae de re maiori negetur, de re minori vel magis esse negandam. (לומרין קל מחמור להקל). t) E. g. Damnum per bouis cornu in loco publico illatum refundendum est; & tamen in fundo illud patientis priuato illatum non nisi dimidium restituitur. Iam vero damnum per bouis dentes vel pedes in loco publico illatum non refunditur. Ergo id in fundo illud patientis priuato illatum non nisi dimidium restitui debet. u)

Termini argumenti a dispari.

§. 447. *Quatuor* argumenti à dispari *termini* sunt. 1. *Minus* aliquod vel *maius* B, *a quo* ad rem aliam Z *infertur*. (מלמד vel גרון). 2. *Maius* aliquod vel *minus* Z, *ad quod* à re B *infertur*.

בא

r) Ibid.
s) Chulin, fol. 114, 1.
t) Halichoth olam, p. 116. Sepher Crithuth, Part. I. cap. 1. §. 11. fol. 4, 1.
u) Babba kama, fol. 26, 1.

(למד vel בא מן הדין). 3. *Ratio diſparitatis* A (מאיזה כח אחה בא ללמוד): Quae pro conditione rei, ad quam infertur, vel nobilitatis vel ignobilitatis ratio appellatur. 4. *Nobilitas* aliqua vel *ignobilitas* Y, *pro qua infertur*, quae quidem intuitu rei B certa, intuitu autem rei Z dubia eſt; quam rei Z & B communem eſſe, illique non minus quam huic competere, docetur (דין).

§. 448. Quoniam *ratio nobilitatis vel ignobilitatis medius terminus* eſt, vi cuius rei, ad quam infertur, nobilitas vel ignobilitas, pro qua infertur, vel magis competere debet; *ſola* illa *diſparitatis ratio*, *quae aliquid efficit*, *in argumento a diſpari adhiberi debet*: nihil efficientis autem nullus vſus eſt. (§. 441.) Ratio diſparitatis efficiens eſto.

§. 449. *Duae* argumenti à diſpari *propoſitiones* ſunt. *Praemiſſa* (תחלת דינא vel עיקרא דדינא) docet, rem B, à qua infertur, minus vel maius quid eſſe; & tamen nobilitatem vel ignobilitatem Y, pro qua infertur, illi competere. *Concluſio* (סוף דינא) docet, rem Z, ad quam infertur, maius vel minus quid eſſe; adeoque illam nobilitatem vel ignobilitatem Y illi vel magis competere. w) Propoſitiones argumenti a diſpari.

§. 450. *Argumentum a diſpari categoricum* (ק"ו של מקומות) dicitur, in quo res Arg. a diſpari categoricum.

w) Halichoth olam, p. 123.

res, à qua infertur, & ad quam infertur, reticentur; & ſolius rationis diſparitatis beneficio pro nobilitate vel ignobilitate aliqua infertur. x) E. g. Vbicunque interius ſpatium immunditiem non contrahit, ſuperficies tamen immunditiem contrahit. Ergo vbi interius ſpatium immunditiem contrahit, ibi ſuperficies vel magis immunditiem contrahit. y)

Arg. à diſpari inutile.

§. 451. *Argumentum à diſpari inutile* (ק"ו שמופרך) dicitur, per quod nihil efficitur, niſi quod in ipſo quoque pentateucho praecipitur. (ולא מהני לן הק"ו דלא גמרינן ביה מילתא דלא כתיבא). z)

Argumenta à diſpari in ſacris obuia.

§. 452. Monent Iudaei, non ſolum *ratione duce* [מן הדעת], verum etiam *ex pentateucho* (מן התורה), *intelligi*, quod *per argumentum à diſpari recte inferatur*. a) Quoniam ipſe *deus à delicto in patrem ad delictum in ſe* argumentetur. b) Imo 10. argumenta à diſpari in ſacris numerant. c)

Principium argumenti à diſpari.

§. 453. *Principium argumenti à minori ad maius* hoc conſtituunt. *A re ſimpliciter minori ad ſimpliciter maiorem, per rationem diſpa-*

x] Halichoth olam, p. 136. 137.

y] Toſephoth ad Chulin, fol. 25, 1.

z] Halichoth olam, p. 118. 119.

a] Halichoth olam, p. 116. Sepher Crithuth, Part. I. cap. 1. §. 1. fol. 4, 1.

b] Num. XII, 14.

c] Gen. XLIV, 8. Exod. VI, 12. Num. XII, 14. Deut. XXXI, 27. 1 Sam. XXIII, 3. Jer. XII, 4. 5. Ezech. XV, 4. 5. Prou. XI, 31. Eſth. IX, 12. Vid. Jalkut Schimoni, Part. II, fol. 19, 2.

disparitatis aliquid efficientem, recte infertur, quod huic *nobilitas dubia*, quae illi, *non minus competat*; adeoque illi non propria, sed vtrique communis sit. Et *argumenti à maiori ad minus* hoc faciunt *principium. A re simpliciter maiori ad simpliciter minorem, per rationem disparitatis aliquid efficientem, recte infertur*, quod huic nobilitas dubia *non magis* quam illi *competat*; adeoque ignobilitas vtrique communis sit. Cum vero intelligi semper nequeat, vtrum disparitatis ratio, cuius beneficio infertur, aliquid efficiat, an nihil efficiat; (§. 442. 443.) *à re respectiue minori ad respectiue maiorem, & vice versa, sine oppositi formidine inferri negant*; si vel ingenti rationum disparitatis numero non nisi vnica pugnans opponi possit. Fieri enim posse, vt vnica haec pugnans disparitatis ratio ceteris omnibus praeualeat, ad efficiendum, vt nobilitas vel ignobilitas dubia, de qua quaeritur, rei, à qua inîinfertur, vel soli speciei, ad quam illa pertinet, propria sit. (שמא אותה חומרא או קולא עדיפא מכל שכנגדה לגרום אותו רבר). d]

§. 454. Intelligitur ex his, *à minori ad maius pro ignobilitate*, & *à maiori ad minus* A minori ad maius pro ignobilitate, &

d) Halichoth olam, p. 121. 122. Sepher Crithuth, Part. I. cap. 1. §. 2. fol. 4, 1.

à maiori ad minus pro nobilitate ne inferatur.

pro nobilitate, inferri *minime* debere. Negant vero etiam Talmudici, per argumentum à minori ad maius *pro nobilitate*, *cuius* indiuiduus *comes ignobilitas* ſit, & per argumentum à maiori ad minus *pro ignobilitate*, *cuius indiuiduus comes nobilitas* ſit, inferri debere. (כל דין שאתה דן תחלתו להחמיר וסופו להקל אינו דין). e)

Exceptionum principia.

§. 455. Argumentando à diſpari *peccatur*, 1. ſi *à reſpectiue minori ad reſpectiue maius*, *& vice verſa* inferatur. [§. 453.] Quod ſi factum eſſe vel per vnicam diſparitatis rationem pugnantem doceri poſſit; argumentnm a diſpari infringitur. (נסתר). Peccatur quoque 2. ſi *ope diſparitatis rationis nihil efficientis* inferatur. [§. 448.]

Exceptionum duae ſpecies.

§. 456. *Exceptionum* contra argumentum à diſpari [תשובה על הק"ו vel פירכא אדינא], ad infringendum illud, [ליסתור הדין], duae ſunt ſpecies. 1. *Exceptio contra praemiſſam* [פ רכא אעיקרא דדינא], & 2. *Exceptio contra concluſionem* [פירכא אסוף דינא]. f)

Exceptio contra praemiſſam.

§. 457. *Exceptione contra praemiſſam* (פירכא אעיקרא דדינא) docetur, res, à quarum vna ad alteram infertur, non niſi reſpectiue minus & maius eſſe. Quippe *pro-*

e) Pſachim, fol. 27, 2. f) Halichoth olami, p. 121-123.

proferatur ratio nobilitatis vel ignobilitatis pugnans, quae rei à qua infertur competat (אעיקרא דרינא פרכינן מגופיה), quam vero rei, ad quam infertur, non competere certum ſit. Quippe hunc in modum excipitur: מה לפלוני שכן חמור או קל בכך וכך תאמר בוה שאינו חמור או קל בכך וכך *Quomodo quaeſo a re B, cui nobilitas vel ignobilitas E competit, ad rem Z, cui illa nobilitas vel ignobilitas non competit, inferre audeas?* g) E. g. Contra argumenti, per quod ab interdicta carnium hoedi caprini cum matris ſuae lacte coctione infertur, quod neque cum vaccae vel ouis lacte hoedi caprini carnes coquere liceat, (§. 445.) praemiſſam excipitur: Quomodo quaeſo à matre, quam neque eodem die cum hoedo ſuo mactare licet, ad vaccam vel ouem, quas cum hoedo caprino eodem die mactare licet, inferre audeas? h)

§. 458. *Exceptio* á ratione diſparitatis pugnante, quae non per pentateuchum, ſed *communem diſcurſum*, ſuppeditata ſit, admodum debilis & infirma habetur. [§. 438.] Exceptio non ex pentateucho petita.

§. 459. Interdum *exceptio* ex pentateucho petita formatur, *quae prorſus non quadrat*; & quae ab aliqua nobilitatis vel igno- Exceptio, quae non quadrare videatur.

g) Halichoth olam, p. 121, 122. h) Chulin, fol. 114, 1.

ignobilitatis ratione, quae rei alterutri per naturam ſuam competere nequit, eſt deſumpta. i) E. g. Infertur: Femina, quae ad Iſraëlitarum coetum pertinet, ad teſtimonium dandum inepta eſt. Ergo ſeruus, qui ad Iſraëlitarum coetum non pertinet, ad teſtimonium dandum vel magis ineptus eſt. Excipitur: A femina, quae circumciſa non eſt, ad ſeruum, qui circumciſus eſt, inferre non licet. k]

Exceptio à nobilitate rei non facile exiſtente reiicitur.

§. 460. Nihil valet *exceptio a nobilitate* rei, à qua infertur, eminentiori quidem, *non* vero *facile exiſtente*, contra nobilitatem rei, ad quam infertur, inferioris quidem gradus, quae vero frequentius *obuia* eſt. l]

Reſponſiones ad exceptionem contra praemiſſam.

§. 461. *Quatuor exceptionem* contra argumenti à diſpari praemiſſam *eludendi, modi* ſunt. Quorum ſi quis adhiberi poſſit; *argumentum a diſpari in ſaluo manet* [ק"ו במקומו עומד]: vel ſaltem *tranſitus ad argumentum a pari* [מה מצינו] *datur*. Sin ad nullum eorum confugi poſſit; diſputans victas manus opponenti dare debet.

Reſponſio prima.

§. 462. Si oppoſita *ratio diſparitatis* pugnans *ex pentateucho petita non ſit*, [מילתא דלא כתיבא בתורה], ſed *per communem diſcur-*

i) Sepher Crithuth, Part. I. cap. 1. §. 12. fol. 5, 1.

k) Babha kama, fol. 88, 1.

l) Sepher Crithuth, Part. I. cap. 1. §. 20. fol. 5, 2.

diſcurſum ſuppeditata (סברא בעלמא); illam per diſputantem *argumento à diſpari inſertam id vel magis corroborare*, Iudaeorum philoſophi contendunt. (מכניסין אותה בתוך הק'ו ומבליעין אותה בו שלא הועיל לכלום). (§. 458.) Id quod *Incluſio exceptionis* (הכנסת פירכא) appellatur. Quae huiusmodi eſt. Rei B, quae, non obſtante nobilitate E per communem diſcurſum ſuppeditata, per rationem diſparitatis A minus quid tamen eſt, nobilitas Y, pro qua infertur, competit. Ergo rei Z, quae per rationem diſparitatis A maius quid eſt, nobilitas illa Y vel magis competit. m) E. g. *Infertur*: Quia damnum per bouis dentes vel pedes, quod in loco publico illatum prorſus non refunditur, totum refundi debet, ſi in loco priuato illatum ſit; Ergo damnum per bouis cornu, cuius in loco publico illati dimidia refundi debet, in loco priuato illatum vel magis totum refundi debet. *Excipitur*: At *frequentius* contingit, vt *per bouis dentes vel pedes damnum* inferatur, quam per cornu. *Reſpondetur*: Licet damnum per bouis dentes vel pedes frequentius inferatur; in loco tamen publico illatum prorſus non refun-

m] Halichoth olam, p. 125. 126. 138. Sepher Crithuth, Part. I, cap. 1. §. 7. fol. 4, 2.

refunditur: At vero in fundo priuato illatum totum refundi debet. Iam vero damni per bouis cornu in loco publico illati dimidia refundi debet: Ergo hoc, si in atrio priuato illatum sit, totum vel magis refundi debet. n) Talis vero *exceptionis inclusio locum non habet*, si opposita *disparitatis ratio pugnans ex pentateucho petita* [מילתא דכתיבא בתורה] sit. o)

Responsio secunda.

§. 463. Si igitur ex pentateucho illa sit petita, *per aliud argumentum à dispari*, si fieri possit, *doceatur*, *nobilitatem illam vel ignobilitatem* E *rei quoque* Z, *ad quam infertur*, *esse communem*. Cum igitur E ratio disparitatis non sit; (§. 437.) demonstratum non esse, quod res B et Z, à quarum illa ad hanc inferatur, respectiue maius & minus sint. (§. 439.) Adeoque argumentum à dispari firmis talis inniti; quin etiam per argumentum à pari pro eadem conclusione inferri posse. Formula huius responsionis est: היא גופא תיתי בק"ו, *At vero per argumentum à dispari doceri potest, hanc quoque nobilitatem vel ignobilitatem rei, ad quam infertur, communem esse.* p)

Responsio tertia.

§. 464. Hoc si doceri nequeat; concedi quidem debet, nobilitatem vel ignobilitatem

n] Tosephoth ad Babha kama, fol. 25, 1.

o] Halichoth olam, p. 122.

p] Halichoth olam, p. 126. 138.

tem E oppositam esse rationem disparitatis pugnantem; (§. 440.) adeoque argumentum à dispari non procedere. [§. 455.] Detur vero instantia rei C, cui opposita nobilitas vel ignobilitas E non magis competat, quam rei Z, ad quam infertur; cui tamen nobilitatem vel ignobilitatem Y, pro qua infertur, competere constet. Et tum ab hac re C ad rem Z, pro nobilitate vel ignobilitate Y, per argumentum à pari [מה מצינו] inferatur. q]

§. 465. Vel denique disputans argumentum suum in *argumentum à dispari categoricum* [ק"ו של מקומות], contra quod exceptio à respectiue minori & maiori formari nequit, [§. 450.] conuertat. r] E. g. *Infertur:* Omnium ceterorum vasorum, quorum interius spatium immunditiem non contrahit, superficies tamen immunditiem contrahit. Iam vero vasorum fictilium interius spatium immunditiem contrahit. Ergo superficies eorum vel magis immunditiem contrahit. *Excipitur*: A ceteris vasis ad vasa fictilia inferri non potest; quoniam illa אב השומאה fiunt, id est, *primi gradus immunditiem contrahunt*; haec autem non nisi ולד השומאה fiunt, id est, *non* Responsio quarta.

q] Halichoth olam, p. 126.

r] Halichoth olam, p. 136. 137.

non nisi secundi gradus immunditiem contrahunt. Ad quam exceptionem eludendam hoc argumentum incategoricum, quod supra [§. 450.] dedimus, conuertitur. s] Obseruant Iudaeorum philosophi, vbicunque in Talmude talis argumenti in categoricum commutatio non fiat; ibi contra hoc excipi quoque potuisse. t]

Exceptio contra conclusionem.

§. 466. *Exceptione contra* argumenti à dispari *conclusionem* (פורכא אסוף רינא) docetur, rationem disparitatis nihil efficere. Id quod fit per instantiam rei, C, cui ratione nobilitatis vel ignobilitatis A competente, nobilitatem tamen vel ignobilitatem Y, pro qua infertur, non competere, constet. [אסוף רינא מעלנא פרכין]. [§. 442.] Id quod fit formula: פלוני יוכיח, *Res tertia C. conuincet te, hanc disparitatis rationem nihil efficere.* u) E. g. Infertur: Ancilla Ebraea B, quae coitu non acquiritur, argento tamen acquiritur. Vxor Z igitur, quae coitu acquiritur, A, argento vel magis acquiritur. Y. Excipitur: At fratria, C, conuincet te, ita non recte inferri: Quoniam fratria, C, coitu quidem acquiritur, A, argento autem non acquiritur. Y. w]

§. 467.

s] Chulin, fol. 25, 1. Conf. Tosephoth ad h. l.

t] Halichoth olam, p. 137.

u] Halichoth olam, p. 122-124.

w] Kidduschin, fol. 4, 2.

§. 467. *Eluditur* haec *exceptio per rationem disparitatis* E, qua rem C rerum disparium B & Z neutri similem, sed prorsus heterogeneam, esse docetur. Qualis instantiae à re heterogenea petitae cum contra rationem disparitatis nulla vis sit; ratio disparitatis A, quod debebat, efficit. [§. 443.] E. g. At vero fratria, C, instrumento acquiri E nequit, quo ancilla ebraea C & vxor, Z acquiri possunt. x] Responsio ad hanc exceptionem.

§. 468. *Exceptio alia*, quam per instantiam, *contra conclusionem* moueri non solet. Quare id alicubi in Gemara y] factum esse, Iudaeorum philosophi mirantur. z] Exceptio alia contra conclusionem.

§. 469. *Argumentum* à dispari *categoricum oppugnaturus*, inuestiget, quaenam illa, quae reticetur, res sit, à qua infertur. Quam vbi inuenerit, eodem modo, quo *contra* vulgaris argumenti à dispari *praemissam* exceptionem formet. [§. 457.] a] Exceptio prima contra arg. à disp. categoricum

§. 470. Istis autem ambagibus opus non est, vbi *per instantiam infringi* possit *conclusio*. E. g. *Inferatur*: Vbicunque nullus coitus valor est, ibi tamen argenti valor est; [nimirum in acquirenda ancilla Ebraea.] Ergo vbi coitus valor est, [e. g. in acquirenda vxore,] ibi vel magis argenti Exceptio secunda.

x] Ibid.
y] Chulin, fol. 114, 2.
z] Halichoth olam, p. 124.
a] Vid. exemplum Shachim, fol. 40, 2.

ti valor est. *Excipitur*: At vero fratria, quae coitu acquiritur, argento acquiri nequit. b]

Responsiones.

§. 471. Quomodo ad has exceptiones responderi possit, ex ante dictis [§. 462. 463. 464. 467.] intelligitur.

דין אתחלת דינא

§. 472. *De re, ad quam infertur, ne plus inferatur, quam de re, a qua infertur, praedicatur.* (דין, vel plenius, דין לבא מן הדין להיות כנדון]. Id se discere dicunt ex argumento à dispari in pentateucho: c] *Si patrem offendisset, per septem dies prae pudore abscondi deberet; quanto magis, cum deum offenderit, per septem dies abscondi debet Maria.* Non per plures dies propter peccatum in deum, quam propter peccatum in patrem, abscondi iubetur; licet patre infinite dignior deus sit. Et haec quidem regula, ne plus de re, ad quam infertur, quam de ea, à qua infertur, praedicetur, Iudaeis דין אתחלת דינא, id est, *Sufficit ad argumenti praemissam*, dicitur. d]

דין אסוף דינא

§. 473. Quin *si ratio nobilitatis*, quae de re, à qua infertur, absolute negatur, *rei, ad quam infertur*, non nisi *secundum quid competat: nobilitatem* quoque, *pro qua infertur*, licet ea rei, à qua infertur, absolute compe-

b] Halichoth olam, p. 137.

c] Num. XII, 14.

d] Halichoth olam, p. 117-121.

competat, *rei* tamen, *ad quam infertur*, non niſi *ſecundum quid tribui* debere contendunt. Quae regula דיו אסוף דינא, id eſt, *Sufficit ad argumenti concluſionem*, dicitur. E. g. Per argumentum, quo à bouis pedibus & dentibus ad cornu infertur, (§. 462.) inferre iubent: Ergo damni per bouis cornu, cuius in loco publico illati dimidia refundi debet, in loco quoque priuato illati dimidia refundi debet. e) Hanc tamen regulam in Talmude non raro negligi obſeruant. f)

§. 474. Neque vero de vtraque hac regula idem ſenſerunt doctores. Quippe diſtingui debere cenſuerunt, vtrum *inutile* [§. 451.] per eas argumentum redderetur, necne. 1. *Vbi* per eas *inutile non redderetur*, *obſeruari* illas *debere*, vnanimiter ſtatuerunt. (היכא דלא מפריך ק"ו כ"ע אית להו דיו). g) In cenſum enim non venit doctor aliquis, qui hoc quoque in caſu eas locum habere negauit. (היכא דלא מפריך ק"ו איכא תנא דליתי ליה דיו) h) 2. Sin inutile per has regulas argumentum

Diſſenſus doctorum de דיו.

e] Babha kama, fol. 25, 1.

f] Halichoth olam, p. 119-121.

g] Babha kama, fol. 25, 1. 2. Sepher Crithuth, Part. I. cap. 1. §. 3. fol. 4, 1. §. 8, fol. 4, 2. Halichoth olam, p. 117. 118.

h] Babha mezia, fol. 95, 1. Halichoth olam, p. 119.

tum reddatur, distinguunt. Nimirum locum eas habere statuunt, si pro casus decisione in pentateucho non obuia inferatur. (שייך לומר ויו היכא שהק'ו אחא לרבות דבר חדש שאין כתוב כלל). i) Sin vero per argumentum à dispari pro decisione aliqua non inferatur; sed per id res aliqua tantummodo declaretur vel explicetur; has regulas exulare iubent. (היכא דעיקר ק'ו לא אתי כי אם לפרושי ולגלויי מילתא בעלמא לא שייך לומר ויו). k]

Quid faciendum, si haec regula negligatur.

§. 475. Vbi haec regula negligatur; plus tamen quam vnicum gradum [מעלה אחת], praeter id, quod rei, à qua infertur, competat, de re, ad quam infertur, praedicare vetant. Quod proportio, qua rerum, à qua & ad quam infertur, altera alteram antecellat, inuentu difficillima sit. E. g. Licet deus infinitis modis praestantior hominibus sit; Si tamen haec regula negligi deberet, à 7. dierum poena propter offensum patrem non nisi ad 14. dierum poenam propter offensum deum inferri debere contendunt. l]

Arg. à disp. non valet contra pentateuchum.

§. 476. Argumentum à dispari, quod in pentateucho diserte scriptis aduersetur, nul-

i] Halichoth olam, p. 120. 121.
k] Ibid.
l] Sepher Crithuth, Part. I. cap. 1. §. 3. fol. 4. 1.

nullum est. Hinc tale argumentum infringitur, vbi pentateuchi auctoritas illi opponatur. m]

§. 477. *Argumenta à dispari sibi contradicentia* [קלין וחמורין סותרין זה את זה לגמרי] dicuntur, quae ita comparata sunt, vt vnius conclusio alterius praemissam vel rationem disparitatis aperta contradictione euertat. Haec argumenta vel ex pentateuchi silentio vel ex incertis ex illo deductis consequentiis formantur. Qualia haec sunt. n) Primum, quo probatur, *sacerdoti gregario in luctu constituto victimam publicam offerre licere.* Immundities, quae pontificem maximum à victima priuati offerenda arcet, sacerdotem gregarium à victima publica offerenda non arcet. Ergo luctus, qui pontificem maximum à victima priuati offerenda non arcet, sacerdotem gregarium à victima publica offerenda vel minus arcet. Secundum, quo probatur, *pontificem maximum in luctu constitutum, victimam priuati offerre non debere.* Immundities, quae sacerdotem gregarium à victima publica offerenda non arcet, pontificem maximum tamen à victima priuati offerenda arcet. Ergo luctus, qui sacerdotem

Argumenta à dispari sibi contradicentia.

m] E. g. Babha kama, fol. 35. 2. 26, 1.

n] Shhachim, fol. 16, 2. 17, 1. Conf. Tosephoth ad h. l.

tem gregarium à victima publica offerenda arcet, pontificem maximum à victima priuati offerenda vel magis arcet. Tertium, quo probatur, *immunditiem a victima priuati offerenda non arcere pontificem maximum.* Luctus, qui ſacerdotem gregarium à victima publica offerenda arcet, pontificem maximum à victima priuati offerenda non arcet. Ergo immundities, quae ſacerdotem gregarium à victima publica offerenda non arcet, pontificem maximum à victima priuati offerenda vel minus arcet. Quartum, quo probatur, *immunditiem a victima publica offerenda arcere ſacerdotem gregarium.* Luctus, qui pontificem maximum à victima priuati offerenda non arcet, ſacerdotem gregarium à victima publica offerenda arcet. Ergo immundities, quae pontificem maximum à victima priuati offerenda arcet, ſacerdotem gregarium à victima publica offerenda vel magis arcet. Eiusmodi argumenta, quoniam ex incertis praemiſſis & rationibus diſparitatis infertur, nulla ſunt. Quare in Gemara dicitur: כל חדא וחדא תיקו ברוכתיה *Quicquid de his pentateuchus habet, id obſeruetur; ab vno autem ad alterum ne inferatur.* o)

§. 478.

o) Sepher Crithuth, Part. I, cap. 1. §. 19. fol. 5, 2. Halichot olam, p. 138. 139.

§. 478. *Argumenta* autem *a diſpari ſibi* quidem *oppoſita, non* tamen *contradicentia* [שאינם מכחישין ומותרין זה את זה לגמרי] dicuntur, quorum ea conditio eſt, vt argumenti vnius concluſio alterius praemiſſam vel rationem diſparitatis non penitus euertat; ſed vt ſimul ſtare poſſint. Qualia haec ſunt. p] Primum: *Fratria*, quam libello repudii repudiari poſſe non dicitur, *exuendo calceo* tamen *repudiari poteſt*. Ergo *vxor*, quae libello repudii repudiari poſſe dicitur, *exuendo calceo vel magis repudiari poteſt*. Alterum: *Vxor*, quam exuendo calceo repudiari poſſe non dicitur, *libello* tamen *repudii repudiari poteſt*. Ergo *fratria*, quae exuendo calceo repudiari poteſt, *libello repudii vel magis repudiari poteſt*. Si talibus argumentis per pentateuchum non contradicatur, vtrumque ſtare poſſe ſtatuunt. Licet enim à diſpari argumentando legitime non inferatur; argumento tamen à pari vtramque concluſionem ſtabiliri poſſe. q]

Argumenta à diſpari ſibi oppoſita, non tamen contradicentia.

§. 479. *Validae* quidem *ſunt per argumentum a diſpari factae deciſiones*. Quia tamen argumentando aberrari facile poteſt; deciſionum harum transgreſſores *admonitio ſub poenae periculo facta poenae non ſubii-*

Deciſionum per arg. a diſpari factarum valor.

p) Kidduſchin, fol. 14. q) Halichoth olam, p. 1. 138. 139.

subiicit. Neque poena corporis afflictiua per argumentum a dispari decerni potest. [אין מזהירין ואין עונשין מן הדין. r]

A traditione Mosis ex Sinai per arg. a disp. ne inferatur.

§. 480. Quia tredecim argumentandi modi (י"ג מדות) eum in finem à deo tantummodo sunt datae, vt ex pentateucho per illos inferretur; [§. 429.] à constitutione Mosaica ex Sinai per argumentum *à* dispari inferre, vel ab ea contra hoc argumentum exceptiones vel responsiones ad exceptiones petere, non licet. (אין דנין מהלכה ק"ו) s)

A statutis doctorum per arg. a disp. ne inferatur.

§. 481. Quoniam doctores statuta sua ita fecerunt, prout sepes legi diuinae faciendа, ne homines incauti eam transgrederentur, id requirere visa est; *non argumentandum est* per argumentum à dispari *a statutis doctorum ad statuta pentateuchi; neque a statutis pentateuchi ad statuta doctorum; neque ab vno doctorum statuto ad alterum eorum statutum.* (אין דנין דברי תורה מדברי סופרים ולא דברי סופרים מדברי תורה וכן לא דברי סופרים מדברי סופרים). t]

Arg. a dispari alii ratiocinio superstructum.

§. 482. Inquiritur, num à decisione per ratiocinium elicita pro decisione alia per argumentum à dispari inferre liceat; vel, num ratiocinio alii, & cui, argumentum à dispari superstrui possit. Statuuntque,

1. *Argu-*

r) Halichoth olam, p. 141. 142.
s) Ibid. p. 142.
t) Ibid. p. 140. 141.

1. *Argumento à diſpari* (קל וחומר), 2. *Argumento à vocabulorum conuenientia* (גזרה שוה), 3. *Argumento a combinatione* (היקש) *argumentum a diſpari ſuperſtrui poſſe.* Num vero id etiam *argumento ab exemplo* (בנין אב) ſuperſtrui poſſit, *dubitatur.* u)

§. 483. *Argumentum a diſpari* cuilibet *ſuo ipſius iudicio formare licet.* Neque opus eſt, vt per traditionem à ſuo praeceptore illud acceperit. w)

Arg. a diſp. quilibet ipſe formare poteſt.

CAP. XVI.

DE

ARGVMENTO A PARI.

§. 484.

Similia vel *paria* (דומות) dicuntur res, quae in characteribus vel praedicatis conueniunt; vel in pluribus, vt eiusdem ſpeciei res; vel in paucioribus, vt diuerſarum quidem ſpecierum, eidem tamen generi ſubordinatarum, res. Hinc *ſimilitudo* (הדמות) eſt plurium rerum in characteribus vel praedicatis conuenientia: Quae perfectior in eiusdem ſpeciei, imperfectior in diuerſarum ſpecierum eidem generi ſubordinatarum rebus eſt. Et *res* compa-

Similia.

u] Sepher Crithuth, Part. II. pag. 18, 19.

w] Halichoth olam, p. 139. 140.

comparare (השוות), eſt, docere, eadem illis criteria vel praedicata conuenire.

Similitudo certa & dubia.

§. 485. *Similitudo* vel *certa* eſt vel *dubia*. *Certa*, eſt rerum plurium in praedicato aliquo conuenientia, de qua conſtat. *Dubia*, de qua non conſtat.

Ratio ſimilitudinis.

§. 486. *Ratio ſimilitudinis* (הצד השוה) eſt ſimilitudo certa, quatenus ex ea intelligitur, res plures eſſe ſimiles. Per quam adeo docetur, vel ſaltem innuitur, res vel ad eandem ſpeciem pertinere, vel ſaltem ad idem genus proximum vel remotius. [§. 484.]

Ratio ſimilitudinis aliquid efficiens & nihil efficiens.

§. 487. *Ratio ſimilitudinis* vel *efficit*, quod efficere debebat; vel *nihil efficit*. *Ratio ſimilitudinis aliquid efficiens* eſt, qua in perfectius ſimilibus poſita ponitur alia quaedam ſimilitudo. *Ratio ſimilitudinis nihil efficiens* eſt, qua in perfectius ſimilibus poſita, alia ſimilitudo non ſemper ponitur.

Docere, quod ratio ſimilitudinis nihil efficiat.

§. 488. *Rationem ſimilitudinis nihil efficere*, docetur per *inſtantiam* rei perfectius ſimilis, cui cum ratio ſimilitudinis competat, alia tamen quaedam ſimilitudo non competat. [§. 487.]

Docere, quod ratio ſimilitudinis aliquid efficiat.

§. 489. *Rationem ſimilitudinis aliquid efficere* ſupponitur, quamdiu talis inſtantia dari nequeat. Vel ſi ea data, doceri poſſit, rem illam diſſimilem eſſe.

§. 490. *Res ad eandem ſpeciem pertinere,* docetur, ſi ratio ſimilitudinis proferatur, quae non niſi eiusdem ſpeciei rebus communis ſit. [מה מצינו]. Eiusdem ſpeciei res.

§. 491. *Res ad idem genus* vel proximum vel remotius pertinere, docetur, ſi ratio ſimilitudinis proferatur, quae non niſi eiusdem generis rebus communis ſit. [אחיא במה הצר]. Eiusdem generis res.

§. 492. *Res ad diuerſas ſpecies pertinere,* docetur, ſi praedicatum pluribus rebus commune proferatur, quod rei alteri competere, alteri vero non competere, certum ſit. [מה לפלוני שכן כך וכך]. Diuerſarum ſpecierum res.

§. 493. *Res ad diuerſa genera pertinere,* docetur, ſi proferatur praedicatum, quod ſingulis iſtius generis, cui res altera ſubeſt, rebus competere, rei vero alteri non competere, certum ſit. [מה לעץ השוה שבהן שכן כך וכך]. Diuerſorum generum res.

§. 494. Praedicatum illud, per quod docetur, res ad diuerſas ſpecies vel ad diuerſa genera pertinere, appellatur *ratio diſſimilitudinis.* Quod quidem *praedicatum qualecunque* [כל דהו] eſſe poſſit. Rectius tamen doceri, quod res diſſimiles ſint, ſtatuunt, ſi rei alteri *nobilitatem* (חומרא), vel *ignobilitatem* (קילא), quae alteri non competat, competere doceri poſſit. Ratio diſſimilitudinis.

Argumentum a pari.

§. 495. *Argumentum a pari* (מה מצינו vel מה הצר) eſt, quo à re ſimili vna vel pluribus ad rem vnicam aliquam ſimilem infertur, quod huic idem aliquod praedicatum, nobilitas, vel ignobilitas, competat, quae illi, vel illis. E. g. Ex Aegypto, quae extra Palaeſtinam eſt, decimae pauperum anno ſeptimo dari debent. Ergo ex Ammonitide quoque & Moabitide, quae extra Palaeſtinam ſunt, decimae pauperum anno ſeptimo dari debent. x)

Termini argumenti a pari.

§. 496. *Quatuor* argumenti à pari *termini* ſunt. 1. *Res ſimilis* B, *a qua* ad rem ſimilem Z *infertur.* (מלמר). 2. *Res ſimilis* Z, *ad quam* à re ſimili B *infertur.* (למר). 3. *Ratio ſimilitudinis* A (הצר השוה שבהן). 4. *Similitudo* Y, *pro qua infertur;* quae quidem intuitu rei B certa, intuitu autem rei Z dubia ſit: quam rei Z & B communem eſſe, illique non minus quam huic competere, docetur (דין).

Propoſitiones argumenti a pari.

§. 497. *Duae* argumenti à pari *propoſitiones* ſunt. *Praemiſſa* (תחלת דינא) docet, rei B, cui ratio ſimilitudinis A competat, nobilitatem vel ignobilitatem Y, de qua quaeſtio eſt, competere. *Concluſio* (סוף דינא) docet, rei Z eandem rationem ſimilitudinis competere; ergo nobilitatem vel ignobilitatem Y illi quoque non minus competere. §. 498.

x) Iadaim, cap. 4. miſchn. 3. fol. 172, 2.

§. 498. Argumentum à pari, quo à rebus pluribus ad rem aliquam ſimilem infertur (מה הצר), vel argumento à pari, quo à re vnica ad alteram illatum fuerat, vel argumento à diſpari ſuperſtruitur. [y) [בנוי על מה מצינו או על קל וחומר]

Arg. a pari argumento a diſpari ſuperſtructum.

§. 499. Argumentum à pari innititur iſti axiomati: *Par parium ratio eſt.* Quia vero haec regula ſuas patitur exceptiones, ſi res, à quarum vna ad alteram infertur, non ſatis ſimiles ſint; argumentum à pari impugnari poteſt. Isque recte demum à pari argumentatus eſt, qui exceptiones eludere, & docere poſſit, res, à qua & ad quam infertur, ſi non vni ſpeciei, ſaltem generi, cuius ſingulis ſpeciebus nobilitas vel ignobilitas, pro qua infertur, competat, ſubordinari.

Fundamentum argumenti a pari.

§. 500. *Duae exceptionum* contra argumentum à pari *ſpecies* ſunt. 1. Qua argumenti *praemiſſa*, 2. Qua illius *concluſio impugnatur.*

Exceptiones contra arg. a pari.

§. 501. *Concluſio impugnatur*, ſi *per inſtantiam* (מעלמא) doceatur, quod ratio ſimilitudinis nihil efficiat. (§. 488.) Quam tamen exceptionem formari tantummodo iubent, ſi à re ſimili vna ad alteram inferatur. Sin à pluribus inferatur; eam oppone-

Exceptio contra concluſionem.

y) Halichoth olam, p. 131.

ponere vetant. (נקטינן דכל מה הצר מגופיה פרכינן אבל מעלמא לא פרכינן). z)

Reſponſio ad hanc exceptionem.

§. 502. Haec exceptio ita eluditur, vt doceatur, rem illam, à qua inſtantia petita ſit, eſſe diſſimilem; vtpote cuius aliqua nobilitas vel ignobilitas propria rebus B & Z, a qua & ad quam inferatur, non competat. (§. 489.) Hoc vero ſi doceri nequeat; inquiritur, num res Z ad quam infertur, rei B, à qua per argumentum à pari illatum fuerat, an rei C, à qua inſtantia petita, ſimilior ſit: vt intelligatur, à quanam harum ad rem Z rectius inferatur. a)

Exceptio I. contra praemiſſam.

§. 503. *Praemiſſa* argumenti à pari *impugnatur*, ſi *ratio diſparitatis* E rerum B, à qua infertur, & Z, ad quam infertur, proferatur. Quia hac ratione docetur, eas diuerſarum ſpecierum vel etiam diuerſorum generum res eſſe: (§. 492. 493.) à quarum adeo vna ad alteram per argumentum à pari inferri nequeat. (§. 495.)

Si pro nobilitate inferatur.

§. 505. *Si* per argumentum à pari *pro nobilitate Y inferatur*; excipiatur, rei, B, à qua infertur, aliam *nobilitatem* E competere, quae rei Z, ad quam infertur, non competat: Adeoque neque per argumentum à pa-

z) Ibid. p. 130. a) Iadaim, fol. 172, 2.

à pari, (§. 495.) neque per argumentum à diſpari, (§. 454.) recte inferri. b)

§. 505. Si per argumentum à pari *pro ignobilitate* Y *inferatur*; excipiatur, rei B, à qua infertur, nobilitatem aliquam E non competere, quae rei, ad quam infertur, competat: Adeoque neque per argumentum à pari, [§. 495.] neque per argumentum à diſpari, (§. 454.) recte inferri. c) Si pro ignobilitate inferatur.

§. 506. Quando *exceptio a qualicunque diſſimilitudine* peti poſſit, & non poſſit, ſuis locis videbimus. d) Primam exceptionem, ſi non niſi ab vna ad alteram rem argumentetur diſputans, à qualicunque diſſimilitudine peti non debere, docent Iudaeorum philoſophi. (נקשינן רכל חרא ל מחרא קולא וחומרא פרכינן כל דהוא לא פרכינן). e) Non deſunt tamen exempla, vbi à re ſatis leui haec exceptio ſit petita. Interdum quoque exceptio huic leuior, quae illi ſatis magni momenti, eſſe videtur. Exceptio qualiscunque diſſimilitudinis.

§. 507. Quoniam, per nobilitatem vel ignobilitatem E rei B, à qua infertur, propriam, argumentum à pari inuertitur; (§. 495.) *prouocetur ad rem aliam ſimilem* C, cui Reſponſio I.

b) Halichoth olam, p. 131.
c) Ibid.
d) §. 508. 511. 513.
e) Halichoth olam, p. 131.

C, cui illa nobilitas vel ignobilitas E non magis quam rei Z, ad quam infertur, competat; & quae nobilitatem vel ignobilitatem Y, pro qua infertur, cum re B communem habeat: atque *ab hac* iam *re C ad rem Z inferatur.* f) Qua in reſponſione ſi opponens acquieſcat; diſputans *breui manu* (בפלגא דינא) rem confeciſſe dicitur. g)

Exceptio. II.

§. 508. Sin aliqua *nobilitas vel ignobilitas* I rei C inſit, *quae rei* Z, *ad quam infertur, non competat;* hanc proferat opponens; eaque doceat, neque C & Z eiusdem ſpeciei res eſſe. (§. 492.) Hanc exceptionem à *qualicunque* quoque *praedicato* (כל דהו), quod rei alteri competat, alteri non competat, recte peti, Iudaeorum philoſophi obſeruant. (על הרא מתרתי אפילו כל דהו פרכינן ואפילו קודם שחזר הדין ולא באנו עדיין להצר השוה). h)

Reſponſio II.

§. 509. Reſpondeat diſputans, ſi poſſit, *nobilitatem* hanc *vel ignobilitatem I, rei B non magis* quam rei Z *competere; cui tamen nobilitatem vel ignobilitatem Y, pro qua inferatur, competere certum ſit.* Quia vero iam

f] Halichoth olam p. 126.
g] Sepher Crithuth, Part. I. cap. 1. §. 16. fol. 5, 1.
h) Halichoth olam, p 131. 132. 134.

iam neque à ſola re B, (§. 503.) neque à ſola re C, (§. 508.) vtpote diſparibus, ad rem Z inferri poteſt; (§. 495.) hunc in modum inferat: *Res B & C diuerſarum ſpecierum res ſunt.* Quippe rei B nobilitas vel ignobilitas E competit, quae rei C non competit; contra ea rei C nobilitas vel ignobilitas I competit. quae rei B non competit. *Diuerſarum autem hae ſpecierum res generi, cui nobilitas vel ignobilitas A vel A A competit, ſubordinantur; de quo genere nobilitas vel ignobilitas Y, pro qua infertur, praedicatur. Huic iam generi res Z, ad quam infertur, non minus ſubeſt.* Ergo nobilitas vel ignobilitas Y, pro qua infertur, de illa quoque praedicatur. (לא ראוי זה כראוי זה ולא ראוי זה כהאוי זה הצד השוה שבהם וכו' i) Et tum demum diſputans *per iuſtum ratiocinium* (בכולו דינא) rem confeciſſe dicitur. k)

§. 510. Sin rei B nobilitas vel ignobilitas I non minus quam rei C competat; *prouocet* diſputans *ad rem ſimilem tertiam D*, cui nobilitates vel ignobilitates E & I non magis quam rei Z competant; cum tamen nobilitatem vel ignobilitatem Y, pro qua infertur, illi competere certum ſit. Quare Reſponſio alia.

i) Halichoth olam, p. 126. 127.

k) Sepher Crithuth, Part. I. cap. 1. §. 16. fol. 5, 1.

re iam ab hac re D ad rem Z per argumentum à pari inferri poteſt. l)

Exceptio ad hanc reſponſionem.

§. 511. Hanc *reſponſionem impugnaturus doceat, rei D competere nobilitatem vel ignobilitatem O*, quae rei Z, ad quam infertur, non competat. Cum adeo haec quoque diſſimilia ſint; (§. 492.) à re D ad rem Z inferri non poſſe. (§. 495.) Monent Iudaeorum philoſophi, hanc *exceptionem à nobilitate vel ignobilitate, non vero à qualicunque praedicato*, peti debere. [חדא מחלת כל מה דלא הדר דינא לא ליפרכינן כל דהו אלא תשובת קולא וחומרא m]

Reſponſio ad hanc exceptionem.

§. 512. Reſpondeatur, *nobilitatem* hanc *vel ignobilitatem O rei* B, *vel rebus B & C, non magis* quam rei Z, *competere.* Quia vero non à ſola re B, neque à ſola re C, neque ab his coniunctim, neque à ſola re D, vtpote diſparibus, ad rem Z inferri poteſt; doceatur, *eas ſingulas*, neque minus rem Z, ad quam infertur, *ſub vno genere*, cui nobilitas vel ignobilitas A vel AA competat, *comprehendi.* (§. 491.) Cui generi cum nobilitas vel ignobilitas Y, pro qua infertur, competat; rei quoque Z, ad quam infertur, eam competere inferatur.

§. 513.

l) Halichoth olam; p. 128.

m) Ibid. p. 132-135.

§. 513. *Impugnaturus* responsiones §. 509. vel §. 512. datas, doceat, *rem Z, pro qua infertur, ad idem genus*, ad quod res B & C, vel res B & C & D, *non pertinere.* Eumque in finem *praedicatum* V. proferat, quod *rebus B & C*, vel rebus B & C & D, *commune* sit; *rei* autem Z, *ad quam infertur, non competat.* n) Praedicatum dicimus; quia *à qualicunque praedicato* (כל דהו) hanc exceptionem recte formari Iudaeorum philosophi largiuntur. (חדא מחלת אי הדר דינא ואתי במה הצר פרכינן כל דהו על מה הצר). o) Exceptio III.

§. 514. *Exceptio* haec peti debet *à nouo aliquo praedicato V*, quod singulis illis rebus B & C, vel B & C & D, commune sit. Nec sufficit, vt nobilitates vel ignobilitates E & I & O, quarum illa rei B, ista rei C, & haec rei D, propria est, coniunctim repetantur. Non tamen desunt in Talmude loca, vbi hoc fiat: p) id quod Iudaeorum philosophos male habet. q) Qualis esse debeat.

§. 515. Disputans det *instantiam rei F*, cui nobilitas haec vel ignobilitas V. non magis quam rei Z, ad quam infertur, competat; cum tamen nobilitatem vel ignobilitatem Y, pro qua infertur, illi competere Responsio III.

n) Ibid. p. 128.
o) Ibid. p. 132.135.
p) Ktubhoth, fol. 32, 1. Conf. Tosephoth ad h. l.
q) Halichoth olam, p. 128.130.

petere certum sit. Et sic a re hac F ad rem Z per argumentum à pari inferat.

Exceptio IV. §. 516. Vlterius *excepturus*, proferat *nobilitatem vel ignobilitatem* E E, rei F competentem, quae rei Z, ad quam infertur, non competat. Cum igitur hoc ipso demonstratum sit, res dissimiles esse; (§. 492.) ab illa ad hanc per argumentum à pari inferri nequit. (§. 495.)

Responsio IV. §. 517. Doceat disputans, 1. hanc *nobilitatem vel ignobilitatem V rebus B & C & D*, saltem vni earum, *non magis* quam rei Z *competere*. 2. *Res* B & C & D & F, à quibus, & Z, ad quam infertur, *vni cuidam generi*, cui nobilitas vel ignobilitas AA vel AAA competat, *subesse*. Vnde 3. recte inferatur, quod illis quoque nobilitas vel ignobilitas Y, pro qua infertur, ex aequo competat.

Disputatio vlterior. §. 518. Si *vlterius* opponi possit; *eodem modo excipi & responderi* pergatur. Reliquum est, vt ea, quae dicta sunt, exemplis ex Talmude illustremus.

Exemplum I. §. 519. Quod *carnem cum lacte coctam in vsus suos non magis conuertere* quam comedere *liceat*, hunc in modum probatur. r) *Fructus arborum trium primorum annorum*, circa quos peccatum non fuit, in vsus tamen suos conuertere nefas est.

Er-

r) Chulin, fol. 115, 2. 116, 1.

Ergo carnem cum lacte coctam, circa quam coctione peccatum iam fuit, in vſus ſuos conuertere vel magis nefas eſt. (§. 445.) Exc. I. At fructus arborum trium primorum annorum ſemper illiciti[a] fuerunt. Caro autem cum lacte cocta ante coctionem illicita non fuit. (§. 457.) RESP. I. At vero *fermentum paſchatis* licitum aliquando fuit; & tamen in vſus ſuos id conuertere nefas eſt. Ergo carnem quoque cum lacte coctam, licet illa licita aliquando fuerit, in vſus ſuos conuertere nefas eſt. (§. 464.) Exc. II. At fermenti paſchatis comeſtio excidio punitur. Carnis autem cum lacte comeſtio excidio non punitur. (§. 508.) RESP. II. At vero *miſcellarum vineae* comeſtio excidio non punitur: Et tamen in vſus ſuos eas conuertere nefas eſt. (§. 510.)

§. 520. *Copulatione vxorem acquiri* negant. Sequenti tamen ratiocinio id euincere conantur. s] *Argento*, quo matrimonium non conſummatur, vxor acquiritur. Ergo copulatione, qua matrimonium conſummatur, vxor vel magis acquiritur. [§. 445.] Exc. I. At argento res deo ſacrae & decimae ſecundae redimi poſſunt. Hae autem copulatione redimi nequeunt. [§. 457.] RESP. I. At vero *coitu* res deo ſa- Exemplum II.

a) Kidduſchin, fol. 5, 1. 2.

ſacrae & decimae ſecundae non magis redimi poſſunt; eoque tamen vxor acquiritur. Ergo copulatione quoque, licet ea res deo ſacrae & decimae ſecundae redimi nequeant, vxor acquiritur. [§. 464.] EXC. II. At coitu fratria quoque acquiritur; quae copulatione acquiri nequit. [§. 508.] RESP. II. At argento fratria non magis acquiri poteſt. Quare iam hunc in modum argumentor: Argento fratria acquiri nequit, quae coitu acquiri poteſt. Coitu autem res deo ſacrae & decimae ſecundae redimi nequeunt, quae argento redimi poſſunt. Quia vero ambo ſub genere rerum, quibus aliquid adquiri poteſt, comprehenduntur; vxor quoque illis acquiritur: Iam copulatio huic generi non minus ſubeſt. Ergo opulatione vxor quoque acquiritur. [§. 509.] EXC. III. At argenti & coitus multiplex vſus eſt; copulationis autem multiplex vſus non eſt. [§. 513.] RESP. III. At vero non magis *inſtrumenti* multiplex vſus eſt; & tamen vxor illo acquiritur. Ergo copulatione quoque, licet illius multiplex vſus non ſit, vxor acquiritur. (§. 515.) Exc. IV. At inſtrumento vxor repudiari quoque poteſt; quae copulatione repudiari nequit. (§. 516.) RESP. IV. At vero argento quoque & coitu vxor repudiari nequit. Quare hunc in modum

ite-

iterum argumentor: Argento & coitu vxor repudiari nequit, quae instrumento repudiari potest. Contra ea instrumenti non est multiplex vsus, qui est argenti & coitus. Haec tria autem sub genere rerum sunt, quibus aliquid acquiri potest; adeoque vxor illis quoque acquiritur. Iam vero copulatio sub eodem genere est. Ergo copulatione vxor quoque acquiritur. (§. 517.)

§. 521. Ex iis, quae capite hoc & praecedenti dicta sunt, apparet, argumenta à pari & dispari sibi inuicem suppetias ferre; verum etiam se inuicem oppugnare. Arg. a disp. & pari consensus & dissensus.

CAP. XVII.

DE *ARGVMENTO A VOCABVLORVM CONVENIENTIA.*

§. 522.

Argumentum à vocabulorum conuenientia (ג'ש, id est גזרה שוה) est, *quo vocabuli eiusdem, vel* etiam vocabulorum *synonymorum*, in diuersis pentateuchi locis de diuersis rebus scriptorum *beneficio*, ab harum rerum vna ad alteram, quasi perfecte similes essent, *inferunt*; & quod de earum vna dictum est, de altera quoque valere debere contendunt. (שתי תיבות רומות שנכתבו בתורה בשני מקומות והם מגזרות שוות ללמד Definitio.

ללמד ו על ו נכחנו). *t*) E. g. Verba בגר ועור Leu. XI, 32. in legibus de *immunditie per reptile contracta*, & Num. XXI, 20. in legibus de *immunditie per cadauer humanum contracta*, leguntur. Iam poſtquam euicerunt, *mattam* per reptilia immunditiem contrahere; per argumentum hoc à vocabulorum conuenientia porro inferunt, mattam immunditiem ex cadauere quoque humano contrahere. *u*)

Vocabula, quorum virtute infertur, eadem ſunto

§. 523. *Vocabulum*, vi cuius à re altera ad alteram infertur, non ſolum *vtrobique idem*, verum etiam *eiusdem ſignificatus*, *eiusdemq; formae* (גזרה שוה) eſto. *w*) E. g. Vtrobique עון; non vno in loco עון, & in altero עוון. *x*)

Diuerſarum tamen formarum nunquam ſunt, vel & ſynonyma.

§. 524. Per *vocabulum* tamen etiam *diuerſarum formarum*, vel etiam per *ſynonyma*, inferre licet; niſi ad rem eandem à re alia, vel a re eadem ad rem aliam, vi vocabuli vel eiusdem vel in eadem forma poſiti inferri poſſit. Hoc enim ſi fieri queat; argumentum hoc, per quod vocabuli eiusdem & in eadem forma vtrobique poſiti beneficio inferatur, eſt praeferendum. (ה"מ היכא דליכא דרמי ליה אבל היכא דאיכא דרמי ליה מדרמי ליה ולפינן). *y*)

§. 524.

t) Halichoth olam, p. 142.
u) Babha Kama, fol. 25, 2.
w) Sepher Crihuth, P. I, cap. 2. §. 4. fol. 7, 1.
x) Mnachoth, fol. 4, 1.
y) Halichoth olam, p. 144. 145. Sepher Crithuth, Part. I. cap. 2. §. 5. fol. 7, 1.

§. 525. *Superfluae voces* illae, quarum vi per argumentum à vocabulorum conuenientia inferatur, in textu esse debent. Id est, abesse posse debebant, vtpote ad rem ibi explicandam non necessariae. Vel etiam totus, in quo comparent, versus abesse posse debebat; re in illo exposita iam aliunde cognita. Vel aliqua saltem vocis, vi cuius infertur, littera abesse posse debet. Interdum ex ipso illo versu, an vocabulum abundet, intelligi potest. Interdum autem, num abundet necne, per longas disputationes inquiritur. z) Abundent vocabula, per quae inferatur.

§. 526. Quodsi *vocabulum*, cuius virtute infertur, *vtroque in versu abundet*; non solum *recte* à re altera ad alteram *infertur*; verum etiam *nulla* contra argumentum *exceptio quidquam valet*. [גורדה שוה מופנה משני צדדין למרים ואין משיבין]. *a*] Vocabulum abundans in vtroque loco.

§. 527. Si *binae voces alterutro in versu abundent*; idem valet, *acsi vna* aliqua vox *in vtroque versu superflua* esset. (אי איכא שתי תיבורת מופנורת מצד אחד מהני כמו שתי הפנאות משגי צדדין). *b*) Binae voces in alterutro loco abundantes.

§. 528. Sin *alterutro* tantummodo *in loco vocabulum abundet*; *argumentatio recte se* quidem *habet*; si, rerum alteram nobiliorem alteram vero ignobiliorem esse, excivocabulum alterutro in loco abundans.

z] Babha kama fol. 25. 2. b] Ibid. p. 144.
a] Halichoth olam, p. 142.

excipi nequeat. Quodſi autem fieri id poſſit, *recte excipitur*. (גזרה שוה מופנה, מצד אחד למדין ומשיבין). *c*] Sunt tamen, qui ſtatuant, neque hic exceptionibus iſtis locum eſſe. Praeferunt tamen argumentum à vocabuloruin conuenientia, vbi vocabulum vtrobique abundet. Nimirum ſi a re A ad rem Z vocabulo non niſi alterutro in loco abundante, *ſed* & a re B ad eandem rem Z vocabulo vtrobique abundante, inferri poſſit; tum non à re A, ſed à re B, ad rem Z inferre iubent. *d*]

Vocabulum neutro in loco abundans.

§. 529. Quodſi vero *vocabulum*, vi cuius inferri debebat, *neutro in loco abundet; argumentum* à vocabulorum conuenientia *locum habere negant*. (ג"ש אינה מופנה, כל עיקר אין למדין הימנה). *e*) Sunt tamen, qui ſic quoque inferri poſſe contendant. Huic autem argumento nobilitatem vel ignobilitatem rei, à qua inferatur, opponi poſſe ſtatuunt. *f*]

Si vocabulum id de re, ad quam infertur, prorſus non legatur.

§. 530. Si *vocabulum*, vi cuius inferri debebat, *de re ipſa, ad quam infertur, in pentateucho non legatur*; licet id ei competere ex pentateucho per bonam conſequentiam doceri poſſit: per argumentum à vo-

c] Ibid. p. 142.
d] Ibid. p. 143. 144.
e] Ibid. p. 142.
f] Sepher Crithuth, P. I. cap. 2. §. 7. fol. 7, 1.

à vocabulorum conuenientia *inferre vetant*. g)

§. 531. Quotiescunque ad rem aliquam & a re ignobiliori & à re nobiliori per argumentum à vocabulorum conuenientia inferri possit; *à re nobiliori* ad eam *inferatur*. Nisi forte praegnans ratio in promtu sit, quae à re ignobiliori ad eam potius inferri debere suadeat. h) A re nobiliori potius inferatur quam ab ignobiliori.

§. 532. Per argumentum à vocabulorum conuenientia ordinarie *euincitur, quod rei*, ad quam infertur, eadem *nobilitas vel ignobilitas*, quae rei à qua infertur, *competat*. E. g. Deut. XXII, 28. 29. praecipitur, illum, qui puellae non desponsatae violentum stuprum obtulerit [אותם] patri illius 50 argenteos pendere debere. Exod. XXII, 15. 16. praecipitur, illum, qui puellam non desponsatam vitiauerit consentientem [מפתה], pecuniam patri illius pendere debere; non addita summae quantitate. Quoniam vero vtrobique verba, אשר לא ארשה, comparent; hunc quoque 50 argenteos pendere debere, concludunt. i) Infertur pro praedicato.

§. 533. Non desunt vero exempla, vbi per argumentum à vocabulorum conuenien- Infertur pro subiecto.

g] Ibid. §. 16. fol. 8, 1. Vid. exemplum Sbhachim, rel. 16, 1.

h] Sepher Crithuth, P. I. cap. 2. §. 19. 20. fol. 8, 1.

i] Ktubhoth, fol. 38, 1.

nientia *doceatur*, *de quonam subiecto pentateuchus loquatur.* k) E. g. dubitatur, vtrum Deut. XIX, 17. per שני האנשים litigantes de re aliqua intelligendi sint, an testes. Concluditur, quoniam hic vocabulum שני, quod Deut. XIX, 15. de testibus, legatur; ergo hic de testibus quoque sermonem esse. l)

Ne imperfecte inferatur.

§. 534. Praecipiunt, אין ג׳ש למחצה, *non ex parte, sed perfecte, per argumentum à vocabulorum conuenientia inferri debere.* m) Quorum verborum duplex sensus est; inq; eorum vtroque sunt accipienda. 1. Praecipitur, *de re, ad quam inferatur, omne id, quod de re, à qua inferatur, statui debere.* E. g. Leu. IV, 2. *peccans per errorem* [בשגגה] sacrificii piacularis [חשאת] damnatur. Leu. V, 17. *is, qui dubitat num qua in re deliquerit necne* [בספק], sacrificii pro delicto dubio [אשם תלוי] damnatur. Vtrobique vocabulum מצות legitur; quare ab vno ad alterum inferunt. Iam aliunde euincunt, quod Leu. IV, 2. de eo tantummodo sermo sit, qui *peccatum* tale per errorem commiserit, *quod ex proaeresi commissum* [במזיד] *exterminationem diuinam* [כרת]

k] Sepher Crithuth, Part. I. cap. 2. §. 10. f. 7, 1. 2.

l] Schbhuoth, fol. 30, 1.

m] Sepher Crithuth, Part. I. cap. 2. §. 11. fol. 7, 2.

[כרת] mereatur; & *ex errore commissum* [בשוגג] *sacrificio maius & minus non agnoscente* [קרבן קבוע] expiari debeat. Concludunt igitur per argumentum à vocabulorum conuenientia, Leu. V, 17. illum tantummodo sacrificium pro delicto dubio [אשם תלוי] offerre iuberi, qui dubitet, an tale commiserit *delictum, quod ex proaeresi commissum* [במויד] *exterminationem diuinam* [כרת] mereatur; & *ex errore commissum* [בשוגג] *sacrificio maius & minus non agnoscente* [קרבן קבוע] expiari debeat. Si quis igitur per hoc argumentum à vocabulorum conuenientia euincere velit, illum quoque sacrificium pro delicto dubio [קרבן תלוי] offerre iuberi, qui dubitet, vtrum peccatum commiserit, quod quidem per errorem commissum [בשגגה] sacrificio maius & minus non agnoscente [קרבן קבוע] expiari debeat, cuius vero ex proaeresi commissi poena exterminatio diuina (כרת) non sit; is imperfecte per argumentum a vocabulorum conuenientia infert. Id quod fieri non debet. *n)* 2. Praecipitur, *nonsolum à re A ad rem B, sed inuerso quoque ordine à re B ad rem A, inferri* debere. E. g. Vidimus, (§. 532.) ab illo, qui puellam non de-

n) Crithuth, fol. 22, 2.

deſponſatam violento ſtupro compreſſerit, [אונס] ad illum, qui amplexus ſua ſponte admittentem vitiauerit מפתה, inferri. Ab hoc autem ad illum viciſſim infertur. Nimirum dubitatur, quid Deut. XXII, 29. per *argenteos* [כסף] intelligatur. Quoniam igitur Exod. XXII, 16. verba, כסף ישקל, leguntur; infertur, nonſolum hic, verum etiam illic, *ſiclos* [שקלים] intelligi. *o*]

Quomodo a rerum diuerſimode determinatarum vna ad alteram inferatur.

§. 535. Si *à rerum diuerſimode determinatarum* vna ad alteram per argumentum à vocabulorum conuenientia inferatur; ſunt, qui exiſtiment, *ſub determinatione rei, a qua infertur, ad alteram inferri* debere [רון מינה ומינה]. Plerique autem doctores ſtatuunt, *ſub determinatione ipſius illius rei, ad quam infertur, inferri* debere. [רון מינה ואוקי באתרא]. *p*] E. g. Leu. V, 21. ſeqq. *depoſitarius ſua ſponte* (מפי עצמו) peierans ſacrificii pro delicto damnatur. Id quod de vtroque caſu explicant, ſiue *coram iudicibus* [בבית דין] ſiue *coram priuatis* (שלא בב"ד) peierauerit. Leu. V, 1. *teſtis mendax, qui per iudices* [מפי אחרים בב"ד] adiuratus peierauerit, ſacrificii pro delicto damnatur. Iam cum vtrobique vocabulum תשא legatur; ab altero ad alterum per argumentum à vo-

ca-

o] Ktubhoth, fol. 38, 1. p] Halichoth olam, p. 148. 149.

cabulorum conueniéntia infertur. A *periurio depoſitarii* (שבועת פקדון) ad *periurium teſtium* (שבועת עדות) vel 1. hunc in modum. Depoſitarius, qui *ſua ſponte* (מפי עצמו) peierauerit, *ſiue* id *coram iudicibus* factum ſit *ſiue coram priuatis* (בב"ד ושלא בב"ד), de ſacrificio pro delicto tenetur. Ergo *teſtis*, qui *ſua ſponte peierauerit*, (דון מינה), *ſiue* id *coram iudicibus*, *ſiue coram priuatis* factum ſit (ומנה), de ſaerificio pro delicto tenetur. Vel 2. hunc in modum. Ergo *teſtis*, qui *ſua ſponte peierauerit* (דון מנה), non tamen niſi *coram iudicibus* id factum ſit (ואוקי באתרא), de ſacrificio quoque pro delicto tenetur. Contra ea à *periurio teſtium* [שבועת עדות] ad *periurium depoſitarii* (שבועת פקדון) vel 1. hunc in modum infertur. Teſtis mendax *per alios* [מפי אחרים], & illos quidem *iudices* [בב"ד], *adiuratus*, ſi peierauerit, ſacrificio pro delicto tenetur. Ergo *depoſitarius* quoque *per alios* (דון מנה), & illos quidem *iudices* (ומנה), *adiuratus*, ſi peierauerit, ſacrificio pro delicto tenetur. Vel 2. hunc in modum. Ergo *depoſitarius* quoque *per alios* (דון מנה), *ſiue iudices illi ſint ſiue priuati* (ואוקי באתרא), *adiuratus* ſi peierauerit, ſacrificio pro delicto tenetur. *q*]

§. 536.

q] Schbhuoth, fol. 31, 1. 2. 34, 1.

Exceptiones.

§. 536. Contra quae argumenta à vocabulorum conuenientia excipi poteſt, (§. 528. 529. *eodem modo, quo contra argumentorum a diſpari & pari praemiſſam, excipitur.* Nimirum *ſi pro nobilitate* aliqua *inferatur*; docetur, *rei, a qua inferatur, competere nobilitatem*, quam rei, ad quam inferatur, non competere certum ſit. Sin *pro ignobilitate* aliqua *inferatur*; docetur, *rei, ad quam inferatur, competere nobilitatem*, quam rei, à qua inferatur, non competere certum ſit. (אם יש להישב ממעלת המלמד על הלמד משיבין כדרך שמשיבין על הק"ו). *r*]. Excipi quoque ſolet, *non a re illa*, a qua diſputans inferat, *ſed a re alia*, vel *non ad rem illam*, ad quam diſputans inferat, *ſed ad rem aliam*, per argumentum a vocabulorum conuenientia *inferri debere.* (§. 524. 528. 531.)

Argumenta a voc. conu. ſpuria.

§. 537. *Duae* argumentorum a vocabulorum conuenientia *ſpecies* ſunt, quae *genuinae non habentur*, 1. Vbi *pluribus opus ſit pentateuchi effatis.* 2. Quorum formula ſit, *dicitur ſuperius, & dicitur inferius.* Haec, ſaltem priorem ſpeciem, genuinae probationis virtutem habere negant; ſed *probationis ſpuriae* (אסמכתא בעלמא) inſtar eſſe largiuntur. *s*]

§. 538.

r] Halichoth olam, p. 142. 143.

s] Halichoth olam, p. 147. 148.

§. 538. Interdum, vbi per argumentum à vocabulorum conuenientia inferant, *pluribus pentateuchi effatis*, ad quorum primum à secundo, ope secundi à tertio ad primum, ope tertii à quarto ad primum, & sic porro inferatur, ratiocinorumque catena opus est, ad euincendum id, quod effici debebat. (פעמים לא יש חיבות לג"ש והוא מביא אותן ע"י חיבות אחרות ואחר כך דן מהם). *t)* E. g. Fermentum ante pascha per patrem familias *ad lucernam* (נר) *conquiri* debere, hunc in modum probatur. Exod. XII, 19. praecipitur: *Toto septiduo fermentum ne inuenitor in aedibus vestris.* Habetur ibi verbum מצא, *inuenire.* Iam Gen. XLIV, 12. verbum מצא, *inuenire*, & חפש, *inuestigare*, coniunguntur. Ergo fermentum, ne in paschatis festo inueniatur, *inuestigandum* vel *conquirendum* & remouendum est. Porro Zeph. I, 12. dicitur, אחפש בנרות, *perscrutabor ad lucernas.* Ergo fermentum *ad lucernas conquirendum est.* Denique Prou. XX, 27. vocabula נר, *lucerna*, in singulari, & חפש, *perscrutari*, coniunguntur. Ergo non nisi *vnica lucerna ad conquirendum* fermentum adhiberi debet. *u)*

Vbi pluribus pentateuchi effatis opus est.

§. 539. Genuina quoque argumenta à vocabulorum conuenientia non habentur

Vbi formula, *dicitur superius & inferius.*

t] Ibid. u] Pschim, fol. 2, 1. 7, 2.

tur ea, de quibus hac formula vtuntur, נאמר למעלה ונאמר למשה, *Vocabulum hoc legitur ſuperius, & legitur inferius*; concluduntque, id vtrobique in eodem ſignificatu eſſe accipiendum, vel vtrobique idem de eo eſſe ſtatuendum. w)

Per hoc arg. ne evincatur, quod alio modo euinci poſſit.

§. 540. *Quod per aliud argumentum euinci poſſit, per argumentum a vocabulorum conuenientia ne euincatur.* Sed id tantummodo euincatur, quod per alia argumenta euinci nequeat. Opus autem non eſt, vt de re, à qua infertur, [מלמר], id pro quo infertur (רין) diſertis verbis in pentateucho legatur; dummodo id illi conuenire per bonam conſequentiam doceri poſſit. E. g. A *paſtore* (שומר שכר) ad *depoſitarium* [שומר חנם] per argumentum à vocabulorum conuenientia inferri poteſt; quoniam de vtroque verba, אם לא שלח ידו, leguntur. Euinci autem non debet, depoſitarii haeredes à reſtitutione depoſiti, ſi de eo lis ſit orta, abſolui, vt paſtoris haeredes abſoluuntur: Quoniam id per argumentum à diſpari euinci poteſt. *Paſtor* (שומר שכר) autem *in pentateucho a reſtitutione abſoluitur, ſi iurare poſſit*, pecus fidei ſuae commiſſum ſua culpa non periiſſe. Ex quo *per prenam conſequentiam* colligitur, eum, *ſi dubius*

w] Halichoth olam, p. 145. 146.

bius id iurare nequeat, damnum refundere debere. Recte igitur per argumentum à vocabulorum conuenientia infertur: Vt *paſtor*, ſi pecus nulla ſua culpa periiſſe *iurare nequeat, reſtitutione tenetur*; ita *depoſitarius* quoque, *ſi iuramento purgare ſe nequeat, reſtitutione tenetur. x)*

§. 541. *Sua ipſius auctoritate nemini argumentum a vocabulorum convenientia formare licet.* Sed traditione perpetua, per primos doctores ab ipſo Moſe accepta, ſingula argumenta à vocabulorum conuenientia ad ſe peruenisſe contendunt. (אין אדם דן גזרה שוה מעצמו אלא אם כן קבלה מרבו. *y)*

Singula argumenta a voc. conuen. ſunt traditio Moſis ex Sinai.

§. 542. Licet vero omnes à vocabulorum conuenientia argumentationes traditione acceptae dicantur; aliquid tamen doctorum inueſtigationi fuit reliquum. 1. In nonnullis enim *ſola vocabula abundantia*, quorum beneficio pro deciſione aliqua inferri debeat, *data* dicuntur: E. g. שומאתו שומאתו. Quo in caſu diſpiciendum fuit, quaenam illae res eſſent, à quarum vna ad alteram inferri deberet. 2. In nonnullis autem *non niſi res datae* dicuntur, *à quarum altera ad alteram* ſit *argumentandum.* Quo in caſu diſpiciendum fuit do-

Inueſtigatio doctorum circa argumenta a voc. conu.

cto-

x] Sepher Crithuth, Part. I. cap. 2. §. 1, fol. 6, 2.

y] Halichoth olam, p. 145. 146.

ctoribus, cuiusnam vocabuli virtute id sit faciendum. z) Multum enim interest scire, quaenam illa vocabula sint, quae propter argumentum à vocabulorum conuenientia abundent. E. g. A stupratore violento (אונס) ad blandientem (מפתה), & ab hoc vicissim ad illum, per argumentum à vocabulorum conuenientia infertur. Iam vtrobique a) verba, אשר לא אורשה, neque minus vocabulum, בתולה, comparent, Si verba אשר לא אירשה propter argumentum à vocabulorum conuenientia abundare credantur; sequitur, propter vitiatam puellam adhuc intactam (בתולה), siue illa aliquando desponsata iam fuerit, siue non fuerit, dummodo virum nondum sit experta (בעולה), vtrumque stupratorem illius 50. siclos soluere debere. Sin vocabulum בתולה propter hoc argumentum abundare credatur; sequitur, propter compressam filiam, siue virgo (בתולה) adhuc intacta sit, siue iam ante vitiata (בעולה), dummodo desponsata nunquam fuerit, patri per vtrumque stupratorem 50. siclos esse soluendos. Si vero desponsata iam fuerit, eos solui non debere. b)

Arg. à vocabulorum conu. sensum literalem ne subuertat.

§. §43. At vero regula est, quae has consequentias certis limitibus circumscribat.

z] Ibid. p. 146. 147.
a] Exod. XXII, 15. Deut. XXII, 28.
b] Ktubhoth, fol. 38, 1. 2.

bat. Quippe dicunt: לא אחיא גיש ומפקא ליה לקרא מפשטיה לגמרי, *Argumentum à vocabulorum conuenientia ſenſum litteralem penitus euertere non debet.* Id eſt, licet vocabula illa abundent; ad ea tamen in ſenſu litterali eruendo penitus attendi non debere, cenſendum non eſt. Statuunt igitur doctores, licet verba אשר לא אורשה propter argumentum à vocabulorum conuenientia abundent; non tamen niſi propter compreſſam eam, quae nunquam deſponſata fuerit, argentum patri ſolui debere. c]

§. 544. Diſputatur, vtrum argumentum à vocabulorum conuenientia (גזירה שוה) an à combinatione (חיקש) praeſtantius ſit. R. Iſmaëlem argumentum à combinatione praetuliſſe, extra controuerſiam eſt poſitum. d) Num arg. hoc argumento à combinatione praeferendum ſit.

§. 545. Inquiritur, num *ratiociniis* aliis, *& quibusnam*, *argumentum à vocabulorum conuenientia ſuperſtrui* poſſit. Diciturque 1. *Argumento à diſpari* (קל וחומר) argumentum à vocabulorum conuenientia (גזירה שוה) ſuperſtrui poſſe. 2. Neque minus *argumento à vocabulorum conuenientia* (ג'ש) vni argumentum à vocabulorum conuenientia (ג'ש) alterum. Num vero *argumento à combinatione* [היקש] argumentum Quibus argumentis ſuperſtrui poſſit.

c] Ibid. d] Halichoth olam, p. 149. 150.

tum à vocabulorum conuenientia (ב"ש) ſuperſtrui poſſit, ita dubitant, vt ad negatiuam propius inclinent. e)

CAP. XVIII.

DE *ARGVMENTO A COMBINATIONE.*

§. 546.

Combinata.

Per pentateuchum combinata (המוקשים בפסוק) dicuntur res, de quibus in eodem pentateuchi verſu vel commate, ſaltem in eadem ſectione, praecipitur. Quarum parem rationem eſſe contendunt.

Argumentum à combinatione.

§. 547. *Argumentum à combinatione* (היקש) eſt, per quod infertur, duarum pluriumue rerum, quarum in eodem vel vicinis eiusdem pentateuchi ſectionis verſibus mentio eſt facta, alteri omne id, quod alteri, competere. (כל שני דברים המוקשים בפסוק אחד דריש להו בכל התורה כולה דהוקשו ללמוד זה מזה). f) E. g. Deut. XVI, 16. tria feſta maiora in eodem commate combinantur. Concludunt igitur, quemadmodum in ceteris feſtis ſacrificia in feſti honorem offerenda [חגיגה] per totum feſtorum ſeptiduum offerre liceat, ita ſacrificia quoque in pente-

e] Sepher Crithuth, Part. II. f] Halichoth olam, p. 149.

pentecoſtes feſti honorem offerenda per totum ſeptiduum offerre licere. g]

§. 548. Dantur exempla, vt *per vnicum vocabulum res plures*, de quibus idem ſtatuendum ſit, *indigitari* contendant. h] E. g. Lev. XXI, 15. pontifex maximus matrimonio cum certis perſonis interdicitur; ne ad ſacerdotium ineptum faciat *ſemen ſuum* [זרעו]. Ex tali igitur matrimonio ſuſceptus filius ad peragendas functiones ſacerdotales ineptus, & filia ad nubendum ſacerdoti inepta eſt. Quia vero non זרע, ſed זרעו dicitur; neptim quoque ex filio à matrimonio cum ſacerdote ineundo excludi, per argumentum à combinatione euincunt. i]

Res plures in vnico vocabulo combinatae.

§. 549. Axioma eſt: *Per argumentum à combinatione, rerum in pentateucho combinatarum illi omnia ea quae de hac, & huic viciſſim omnia ea quae de illa praedicantur, tribui debent.* [קיימא לן דאין הקש למחצה]. k] Non tamen extendi hoc debet ad exempla, vbi liquido pateat, res eo conſilio eſſe combinatas, vt à re altera ad alteram non niſi pro praeceptorum illi, in quo exponendo per pentateuchum combinantur, cognatorum communione infe-

Per arg. à combinatione perfecte inferatur.

g] Roſch haſſchanah, fol. 7, 2. fol. 4, 2. 5, 1.
h] Sepher Crithuth, Part. I. cap. 2. §. 15.
i] Kidduſchin, fol. 77. 1.
k] Halichoth olam, p. 150.

inferatur. l] E. g. Deut. V, 14, vbi de quiete ſabbathica praecipitur, homines, bos & aſinus combinantur. Iam bouem & aſinum eidem aratro alligare nefas eſt. Non tamen nefas eſſe, vt homo cum his aratrum coniunctim trahat, ſtatuunt. Quoniam homines & animalia bruta non niſi intuitu legum de quiete ſabbathica combinata ſint: minime vero eum *in finem*, vt ab illis ad haec, vel vice verſa, in diuerſis quoque legibus per argumentum à combinatione inferretur. m]

A combinatorum nobiliori inferatur.

§. 550. Ad rem cum nobiliori & ignobiliori combinatam *à nobiliori inferri debet.* [קולא וחומרא לחומרא מקשינן]. *Niſi* praegnans ratio ſuadeat, vt *potius* ab ignobiliori ad eam inferatur. n]

Summa arg. à combin. dignitas.

§. 551. *Argumenti à combinatione eandem vim* eſſe contendunt, *acſi id*, pro quo infertur, *de vtraque re in pentateucho diſſertis verbis praeciperetur.* [היקש הוי כמאן דכתיב בקרא בהדיא] o]

Exceptiones non formantur.

§. 552. Hinc contra hoc argumentum *exceptiones formari debere negant.* [קיימא לן דאין משיבין על ההקש] p]

§. 553.

l] Sepher Crithuth, Part I cap. 2. §. 21. fol. 8. 1

m] Babha kama, fol. 5, 2.

n] Halichoth olam, p. 150. 151. Sepher Crithuth, Part I. cap. 2. §. 19 20. fol. 8, 1.

o] Halichoth olam, p. 149.

p] Ibid.

§. 553. Eademque de cauſa *argumentum à combinatione argumento à vocabulorum conuenientia praeferunt.* (היקש ערוף מגזירה שוה). q) Argumento a voc. conu. praefertur.

§. 554. Hanc quoque rationem eſſe, cur per *R. Iſmaëlem* in XIII. argumentandi modorum numerum relatum non ſit, nonnulli ſuſpicantur. Cuius tamen rei alias cauſas afferunt alii. r) Cur in 13. arg. modis non numeretur.

§. 555. Num *argumento à vocabulorum conuenientia* (גזרה שוה) *argumentum à combinatione* (היקש) ſuperſtrui poſſit, dubitatur. s) Num alii arg ſuperſtruatur.

CAP. XIX.

DE *ARGVMENTO A CONNEXIONE.*

§. 556.

Connexa (סמוכין) dicuntur vicinae pentateuchi ſectiones, vel etiam res de quibus in vicinis pentateuchi ſectionibus praecipitur. Quarum parem rationem eſſe contendunt. Connexa

§. 557. *Argumentum a connexis* (סמיכה vel סמוכין) eſt, per quod à rerum, de quibus in vicinis pentateuchi ſectionibus Argumentum à connexis.

prae-

q] Halichoth olam, p. 149. 150.
r] Sepher Crithuth, Part. I. cap. 2. §. 13.
s] Sepher Crithuth, fol. 7, 2. Part. II.

praecipitur, altera ad alteram, quod huius eadem quae illius ratio sit, infertur. [שני מקראות הסמוכים זה לזה ניתנו לדרוש]

t) E. g. *Deut.* XXV, 4. sectio desinit in interdicto, quod trituranti boui os non sit obturandum. In sequenti sectione v. 5. seqq. de iure leuiratus praecipitur. Iam quaeritur, num cogenda fratria sit, vt scabioso vel leproso leuiro nubat. *Id* quod per argumentum à connexis negatur. Vti enim in bouem triturantem, ita in fratriam quoque clementia esse vtendum. u)

Non multum differt ab arg. à combinatione.

§. 558. Non multum differunt *argumenta à combinatione* (היקש) & *à connexis* (סמוכין). Quare nomina quoque *non* raro confunduntur.

R. Iuda eo vti dissuadet.

§. 559. *R. Iuda* censuit, argumento hoc vtendum non esse, nisi vbi ipse pentateuchus id fieri debere innuat, vel aliquid abundet; vt in Deuteronomio. w)

Praeteritur a R. Ismaële.

§. 560. Et hanc rationem esse, nonnulli suspicati sunt, cur illi in suis argumentandi modis locum non dederit *R. Ismaël*, quod R. Iudae accederet, nec nisi ea argumenta, quorum per totum pentateuchum vsus esset, recensere voluerit. x]

CAP.

t] Halichoth olam, p. 151.
u] Iebhamoth, fol. 4, 1.
w] Halichoth olam p. 151.
x] Sepher Crithuth, Part. I. cap. 2. §. 14. fol. 7, 2.

CAP. XX.

DE

ARGVMENTO AB EXEMPLO.

§. 561.

Argumentum ab exemplo (בנין אב) eſt, per quod vel ab vna vel duabus rebus ad ceteras res omnes ſimiles infertur, his idem quod illis competere. Diſſimilibus autem id non competere, porro inferri ſolet. y) Arg. ab exemplo.

§. 562. Denominatio, qua Iudaei hoc argumentum inſigniunt, *Structura* vel *conſtitutio patris* (בנין אב), figurata eſt. Quam ipſorum philoſophi ita interpretantur, quod *pater* [אב], id eſt, res à quibus infertur, per *matrem*, id eſt, rationem ſimilitudinis, progignat *filios* ſui ſimiles, de quibus idem praedicetur. *Structurae* [בנין] vocabulum autem ideo adhiberi exiſtimant plerique, quod non ab vna, ſed à duabus rebus, ad ceteras ſimiles per hoc argumentum inferri debeat: quemadmodum in aedificando non later lateri, ſed binis dimidiis lateribus later, imponatur. z) Nominis explicatio.

§. 563. Per argumentum ab exemplo eo- Eodem modo, quo per arg. à pari, infertur.

y) Sepher Crithuth, Part. I. cap. 3. §. 1. 2. fol. 8, 2. 9, 1.
z) Ibid. §. 2. fol. 8, 2. 9, 1.

eodem modo, quo per argumentum à pari, infertur. Nimirum quaeritur *ratio similitudinis* (הצר השוה שבהם), quae, quod debebat, efficiat; per quam doceatur; res, à quibus & ad quas infertur, similes esse. Et per quam, si à duabus rebus inferatur, eae ad idem genus, cuius singulis speciebus similitudo, pro qua infertur, competat, referantur. a)

Discrimen inter argumenta a pari & ab exemplo.

§. 564. Qui per hoc argumentum necessario à duabus rebus inferri debere contendunt, illi existimant, hoc inter argumentum *à pari* (מה מצינו) & *argumentum ab exemplo* (בנין אב) *interesse*, quod per illud *a re vnica ad secundam* (הרא מהרא) per hoc autem *a binis rebus ad tertiam* (הרא מהרתי) inferatur. Neque tamen negare sustinent, in Talmude saepissime *argumentum ab exemplo* (בנין אב) appellari, per quod non nisi ab vnica re inferatur. Id quod agnoscentes alii, cur *R. Ismaël* in Torath cohanim id silentio praeterierit, inquirunt. Sunt, qui existiment, factum id esse, quod id argumentum ab exemplo, quo non nisi ab vnica re ad ceteras similes inferatur, nobilius (עדיף) esset eo, quo à duabus rebus ad eas inferatur, & tam frequens, vt illius specialiter mentionem facere superuacaneum duxerit. Verior igitur *argumentorum a pari* (מה מצינו) & *ab exemplo* (בנין אב) *differen-*

a) Ibid. §. 1. 2. fol. 8, 2.

ferentia haec ſit, quod per illud vel ab vnica vel à pluribus rebus *ad rem vnam ſimilem*, (§. 495.) per hoc autem vel ab vnica vel à duabus rebus (מלמדין) *ad res omnes ſimiles* (§. 561.) inferatur. Duorum tamen horum argumentorum nominibus Iudaeos promiſcue vti, eaque non raro confundere, lubentes largimur. b)

§. 565. Argumenti ab exemplo duae ſpecies ſunt. 1. *Argumentum ab exemplo ex vna pentateuchi ſectione* (בנין אב מכתוב אחד). 2. *Argumentum ab exemplo ex duabus pentateuchi ſectionibus.* בנין אב משני כתובים). c) Duae ſpecies argumenti ab exemplo.

§. 566. *Argumentum ab exemplo ex vna pentateuchi ſectione* (בנין אב מכתוב אחד) eſt, ſi à re vna B, vel duabus rebus B & C, virtute rationis ſimilitudinis A, ad res ceteras omnes, quibus illa ratio ſimilitudinis A competat, inferatur pro ſimilitudine vna Y, vel pro ſimilitudinibus pluribus Y & YY, quae de rebus B & C, à quibus ad ceteras infertur, in eadem pentateuchi ſectione eodemque praecepto praedicantur. d) Arg. ab exemplo ex vna pentateuchi ſectione.

§. 567. Exemplum argumenti ex vna pentateuchi ſectione, per quod à re vnica infertur, hoc ſit. Deut. XIV, 4. dicitur, שה כשבים ושה עזים. Iam, cum non dicatur שה כשבים ועזים; intelligitur, vocabulum שה ibi explicari, quod *agnum* ſigni- Exemplum I.

b) Ibid. §. 1. 2. 3. 4. fol. 8, 2. 9, 1.
c) Halichoth olam, p. 151. 152.
d) Sepher Crithuth, Part. I. cap. 3. §. 1. 2. fol. 8, 2. 9, 1. cap. 4. §. 4. fol. 10, 1.

ſignificet, *cuius vterque parens vel ex genere ouino vel caprino ſit.* Ergo quotiescunque vocabulum שה legitur, *agnum* ſignificat, *cuius vterque parens vel ex genere ouino vel caprino ſit.* e)

Exemplum II.

§. 568. Exemplum argumenti ex vna pentateuchi ſectione, per quod à duabus rebus infertur, hoc ſit. Lev. XV, 4. ſeqq. dicitur, *lectum* (משכב) & *ſedile* (מושב) *per gonorrhea laborantem immunda reddi, & immunditiem propagare.* Iam igitur hunc in modum infertur. *Lectus* (משכב) & *ſedile* (מושב), quae *ſupellectilia* ſunt *eum praeciſe in finem facta vt homo in illis requieſcat* (עשויים לנחת אדם לברו), *immunditiem* per gonorrhea laborantem contractam *ad contrectantem & geſtantem* (במגע ובמשא) *& ad veſtes propagant.* Ergo *omnia ſupellectilia, quae eum praeciſe in finem facta ſunt, vt homo in illis requieſcat* (עשויים לנחת אדם לברו), *immunditiem* per gonorrhea laborantem contractam *ad contrectantem & geſtantem* [במגע ובמשא] *& ad veſtes propagant.* Excipitur igitur e. g. *currus* (מרכב), qui eum praeciſe in finem, vt homo in illo requieſcat, non eſt factus. f)

Arg ab exemplo ex duabus pentateuchi ſectionibus.

§. 569. *Argumentum ab exemplo ex duabus pentateuchi ſectionibus* (בנין אב משני כתובים) eſt, ſi à duabus rebus B & C, vi rationis ſimilitudinis A, ad res ceteras omnes,

e) Babha kama fol. 77, 2. Chulin, fol. 78, 2.

f) Sepher Crithuth, Part. I. cap. 3. §. 1. fol. 8. 2

omnes, quibus illa ratio ſimilitudinis A competit, inferatur pro ſimilitudinibus pluribus Y & YY, quae de rebus B & C, à quibus ad ceteras infertur, in diuerſis pentateuchi ſectionibus diuerſisque praeceptis praedicantur. g)

§. 570. Exemplum hoc eſto. Exod. XXVII, 20, 21. Moſes iubetur, Iſraëlitis *iniungere* (תצוה), vt oleum ſuppeditent, quod lucernis ſacris inſeruiat, quae *in perpetuum* (לדורות) accendi debeant. Num. V, 2. Moſes iubetur, Iſraëlitis *iniungere* (צו), vt immundos ex caſtris relegent. Id quod eos *ſtatim* (מיד) feciſſe, v. 4. ſubiungitur. Iam à praecepto de accendendis lucernis ſacris ad praeceptum de relegandis ex caſtris immundis inferunt, quod hi *in perpetuum* (לדורות) quoque ſint relegandi. Viciſſim à praecepto de relegandis immundis ad praeceptum de accendendis lucernis inferunt, quod hae *ſtatim* (מיד) quoque accendi debuerint. Quo facto, per argumentum demum ab exemplo ab his duobus praeceptis ad cetera omnia praecepta, de quibus verbum *iniungendi* (צוה) legitur, hunc in modum infertur. *Praecepta de lucernis* ſacris & *relegandis immundis* de quibus verbum *iniungendi* legitur (בצו), *ſtatim* obſeruanda fuerunt, & *in perpetuum* ſunt Exemplum.

g) Ibid. cap. 4. §. 1. 4. fol. 9. 2. 10, 1.

sunt obseruanda. (מיד ולדורות). Ergo *omnia praecepta*, de quibus verbum *iniungendi* legitur, (בצו), *statim* obseruanda fuerunt, & *in perpetuum* sunt obseruanda. (מיד ולדורות). h]

Quando a duabus rebus inferri possit.

§. 571. At *à rebus duabus, de quibus idem* in pentateucho *praecipitur*, *ad res ceteras similes inferri non debet.* [שני כתובים הבאים כאחד אין מלמדין]. [§. 323.] At vero haec regula locum tantummodo habet, *si duae illae res perfectius similes sint*; vt, si ab vna ad alteram per argumentum à pari & ab vna earum ad ceteras similes omnes per argumentum ab exemplo inferatur, nobilitas vel ignobilitas rei, à qua inferatur, opponi nequeat. *Quodsi vero non nisi imperfectius similes sint*, & exceptiones nobilitatis vel ignobilitatis rei, à qua infertur, formari possint; tum *regula haec locum non habet.* i]

Quando per arg. ab exemplo ex duabus pentateuchi sectionibus inferri possit.

§. 572. *In triplici* igitur *casu per argumentum ab exemplo ex duabus pentateuchi sectionibus* [בנין אב משני כתובים] *inferri potest.* 1. *Si de vtraque re*, B & C, à quibus inferendum sit, *vtraque similitudo* Y & YY, pro quibus inferatur, *in pentateucho* quidem *praedicetur*; per argumentum à pari autem *ab harum rerum altera B ad alteram* C, & vice versa, *inferri nequeat*, *neque*

h) Ibid. cap. 4. §. 1. fol. 9, 2.

i) Ibid. cap. 4. §. 4. fol. 10, 1.

que magis ab harum rerum alterutra *ad res ceteras, similes* per argumentum ab exemplo; quia fit quod excipi possit. Tum, si nihil excipi possit, ab vtraque hac re B & C ad ceteras res omnes similes, pro similitudinibus Y & YY, per argumentum ab exemplo recte infertur. k] 2. *Sin de rerum*, à quibus infertur, *altera* B non nisi *alterutrum praedicatum* Y, & *de altera* C non nisi *alterum praedicatum* YY, in sacris *praedicetur*; à re B autem ad rem C pro praedicato Y, & vicissim à re C ad rem B pro praedicato YY, per argumentum à pari rite illatum sit: recte quoque dein ab vtraque re B & C, pro vtroque praedicato Y & YY, ad ceteras res similes omnes per argumentum ab exemplo infertur. l] 3. *Si* denique *de rerum*, à quibus infertur, *altera B vtrumque praedicatum* Y & YY in sacris *praedicetur, de re altera* C vero non nisi *vnum horum praedicatorum* Y; à re B autem ad rem C, pro praedicato altero YY, per argumentum à pari rite illatum sit: recte dein ab vtraque re B & C, pro vtroque praedicato Y & YY, ad ceteras res similes omnes, licet à re B sola id fieri nequiuerit, per argumentum ab exemplo infertur. m] §. 573.

k) Sepher Crithuth, Part. I. cap. 4. §. 1. fol. 9, 2. 10, 1.

l) Ibid. §. 2. fol. 9, 2. 10, 1.

m) Ibid. §. 3. fol. 9, 2. 10. 1.

Exceptiones & reſponſiones.

§. 573. Contra argumentum ab exemplo *eodem modo, quo contra argumentum à pari, excipitur. Eodemque modo*, quo ibi, ad exceptiones *reſpondetur.*

A re ſimiliori ad ſimiliores inferatur.

§. 574. Si *a diuerſis rebus*, pro diuerſis concluſionibus, per argumentum ab exemplo inferri poſſit; *ab illa inferatur, inter quam & res, ad quas inferri debet, plures rationes ſimilitudinis intercedunt.* Quae autem rebus, ad quas inferri debet, imperfectius ſimilis eſt, ab illa ne inferatur. E. g. A placentis ſacrificii euchariſtici [לחמי תודה] ad cetera ferta infertur, quod placentarum decem numero eſſe debeant: quia ſex ſimilitudinis rationes ſunt. Contra ea à panibus in aede ſacra exponendis [לחם הפנים] inferri, quod duodecim numero placentae eſſe debeant, debere negant: quod non niſi quatuor ſimilitudinis rationes inueniantur. n]

Quibus argumentis ſuperſtrui poſſit.

§. 575 Inquiritur, num aliis, & quibus argumentis argumentum ab exemplo [בנין אב] ſuperſtrui poſſit. Nimirum 1. *Argumento a combinatione*, [היקש], & 2. *argumento ab exemplo* [בנין אב) vni argumentum ab exemplo (בנין אב) alterum *ſuperſtrui poteſt.* Num. 1. *argumento a diſpari* (קל וחומר), vel 2. *argumento a vocabulorum conuenientia* (גזרה שוה), argumen-

n) Mnachoth, fol. 76, 1.

mentum ab exemplo (בנין אב) ſuperſtrui poſſit, *in dubio relinquitur.* o)

CAP. XXI.

DE *ARGVMENTORVM A GENERE ET SPECIE DIVERSIS SPECIEBVS.*

§. 576.

Characteres ſimilitudinis & diſſimilitudinis rerum.

Characteres, ex quorum identitate vel diuerſitate de rerum ſimilitudine & diſſimilitudine iudicium fertur, diſtinguuntur 1. in *characteres nobiliores* (הצרים החשובים, vel חר צר), qui omnibus eiusdem generis ſuperioris ſubalternis generibus communes ſunt. 2. In *characteres ignobiliores* (צר שני vel הצר הגרוע), qui omnibus generis quoque inferioris ſubalternis generibus vel ſpeciebus communes ſunt. 3. Et *characteres minoris momenti* (צר גרוע מן הגרוע, vel צר שלישי), qui non niſi generis infimi ſpeciebus, vel ſpeciei indiuiduis, communes ſunt. p)

Genera & ſpecies.

§. 577. *Genus longius remotum* eſt, quod pauciores characteres nobiliores conſtituunt. Cui quae ſubſunt, illis non niſi *infimus ſimilitudinis gradus* competere dicitur, (שאינם רומים אלא מקצת הצרין החשובין). *Genus non tam longe remotum* eſt,

o) Sepher Crithuth, Part. II.

p) Halichoth olam, p. 156-159.

eſt, quod plures vel etiam omnes characteres nobiliores conſtituunt. Cui quae ſubſunt, illis *inferior ſimilitudinis gradus* competere dicitur (שאינם רומים אלא שרומים מכל הצדדין vel מצר אחד). *Genus propinquius* eſt, quod praeterea characteres ignobiliores conſtituunt. Cui quae ſubſunt, illis *ſuperior ſimilitudinis gradus* competere dicitur. (דמי משני צדדין vel רומים אפילו מן הצר הגרוע). *Genus proximum* eſt, quod praeterea characteres minoris momenti conſtituunt. Cui quae ſubſunt, illis *ſummus ſimilitudinis gradus* competere dicitur. (דמ מג' צדדין, vel רומים אפילו בגרוע מן הגרוע). *Species* eſt, quam praeterea omnes minimi momenti characteres conſtituunt. Cui quae ſubſunt, ea *perfecte ſimilia* (רומים לגמרי) dicuntur. q) E. g. *Genus remotum* eſt rerum, quae ſunt *foetus ex foetu* (פרי מפרי). *Genus propinquius* eſt rerum, quae ſunt *foetus ex foetu ex terra nutrimentum habentes* (פרי מפרי וגידולי קרקע). *Genus proximum* eſt rerum, quae ſunt *foetus ex foetu ex terra nutrimentum & ex terra natis ortum habentes* [פרי מפרי וגידולי קרקע וולד ולדות הארץ]. Huic ſubordinatae *animatorum & vegetabilium ſpecies* ſunt. r]

§. 578.

q] Ibid.
r] Erubhin, fol. 27, 2. 28, 1.

§. 578. *Genus non plenum* [כלל שאינו מלא] dicitur, quod certo quodam nomine non ſignificatur; ſed vocabulo, quod ſine ſequentibus plenum ſenſum non fundat. E. g. Si dicatur, וכו יתן. *ſi quis dederit*, pro, *res quaelibet quae alteri dari poſſit*. Num tale genus vt genus conſiderari, & ab illo inferri debeat, diſputatur; aliis id affirmantibus, aliis negantibus. s] Genus non plenum.

§. 579. Par *ſpecierum* ratio eſt, vt *obſcurius* nonnunquam *exprimantur*. E. g. Speciei vicem nonnunquam ſubit particula, מן, *ex*; id eſt, aliqua generis ſubſequentis ſpecies. E. g. מן הבקר, *aliqua boum ſpecies*. t] Species obſcurius expreſſa.

§. 580. Coniunguntur *vario ordine* in pentateucho *genus* [כלל] *& ſpecies* [פרט]; vt nunc genus &, dein ſpecies, nunc ſpecies & dein genus, nunc genus dein ſpecies & iterum genus, nunc ſpecies dein genus & iterum ſpecies, poſita reperiantur. Genera & ſpecies vario ordine in pentateucho penuntur

§. 581. Eum, *in generibus & ſpeciebus* hoc vel illo ordine *locandis*, à ſcriptore ſacro ſemper obſeruatum eſſe *ordinem*, vt ex eo intelligi poſſit, vtrum de ſolis expreſſis ſpeciebus, an de pluribus, & de qualibus praete- Non temere tamen.

s) Halichoth olam, p. 161. Sepher Crithuth, Part. I. cap. 6. §. 4. fol. 10, 2. 11, 1.

t) Lev. I, 2.

praeterea, ſub genere comprehenſis loquatur, contendunt Iudaei.

Argumenta à genere & ſpecie atque ab incluſione & exceptione.

§. 582. Diuerſam autem doctores eorum viam ingrediuntur; his *argumentationibus à genere & ſpecie* [כללי ופרטי], illis vero *ab incluſione & exceptione* [ריבוי ומיעוטי], rem conficiendam eſſe exiſtimantibus. u)

In argumentis a gen. & ſpecie, generis ante ſpeciem & poſt eam poſiti virtus.

§. 583. *Argumentationes à genere & ſpecie* ſunt, quibus ſpecies generi ſubiunctae huius *explicatio* (פירוש) eſſe, id eſt, indicare, quod praeter expreſſas nullae ceterarum ſub praemiſſo genere comprehenſarum intelligendae ſint, ſupponuntur. Quaſi dicas: *Res ſub iſto genere comprehenſae, nimirum hae ſpecies, ſed nullae praeterea.* Genus vero ſpeciebus ſubiunctum earum *deſtructio* (מחירה) eſſe, quaſi illae ſcriptae non eſſent, creditur; adeoque genera ſubordinata omnia ſpeciesque omnes generi illi ſubordinatas eſſe intelligendas ſtatuunt. Quaſi dicas: *Hae ſpecies, & in vniuerſum ſpecies omnes ſub hoc genere comprehenſae.* w]

Generis primo & poſtremo, vel medio inter ſpecies loco poſiti virtus.

§. 584. Hinc *vbi genus dein ſpecies & iterum genus* comparent; ſpecies priori generi in pentateucho ſubiunctae excludunt ceteras ſpecies illi generi ſubordinatas. Genus poſterius ſpeciebus ſubiunctum includit

u) Halichoth olam, p. 161. 162.

w) Halichoth olam, p. 162. 163.

cludit ceteras ſpecies. (§. 583.) Quod cum contradictio futura eſſet, ſi de omnibus & ſingulis ſpeciebus, quae reticentur, vtrumque eſſet intelligendum: *ſpecies diſſimiles excluduntur, ſimiles includuntur.* Similiter, *vbi ſpecies dein genus & iterum ſpecies* comparent; *genus* prioribus ſpeciebus *ſubiunctum includit ſpecies ſimiles*; & *ſpecies* poſteriores *generi ſubiunctae excludunt ſpecies diſſimiles.* x)

Argumenta ab inclusione & exceptione.

§. 585. *Argumentationes ab incluſione & exceptione* ſunt, quibus nunquam ceterae ſpecies omnes vel excluduntur vel includuntur; ſed ſupponitur, *genus* in quocunque ſitu *omnia genera inferiora contentasque ſub illis ſpecies includere*; *ſpecies* autem expreſſas in quocunque ſitu *nonnullas, vel ſaltem vnicam*, earum, quae reticentur, *excipere.* Ita tamen, vt, pro diuerſo generum & ſpecierum ſitu & numero, nunc pauciores ſpecies vel includantur vel excludantur. y)

Genus & ſpecies longius a ſe diſtantia.

§. 586. *Si genus & ſpecies longiori interuallo à ſe inuicem diſtent* (כלל ופרט והמרוחקין זה מזה); tum *R. Iuda ſanctus* per argumenta à genere & ſpecie inferri poſſe negat. *Schammaeani* autem id fieri debere, dummodo in eadem pentateuchi ſectione [בתר עניינא] compareant, affirmant.

x) Ibid. p. 162.

y) Ibid. p. 162. 163.

mant. Quodſi tamen ex diuerſis pentateuchi ſectionibus [בחרי ענייני] arceſſenda ſint; & ipſi negant. Ratio eſt, quod *diuerſae pentateuchi ſectiones eo ordine, quo ſcriptae, non ſint locatae; eadem vero ordinem chronologicum ſeruet.* [דאין מוקדם ומאוחר בתורה אבל בחר ענייניא כאי דמוקדם מוקדם ומאי דמאוחר מאוחר z].

Dubius generum & ſpecierum ordo.

§. 587. Cum de generibus non plenis [§. 578.] & de generibus & ſpeciebus in eadem pentateuchi ſectione aliquo interuallo à ſe inuicem diſtantibus [§. 586.] diſſentiant *doctores*; non quoque fieri non poteſt, quin *de modo argumentandi nonnunquum diſſentiant*; his genus, illis ſpecies priori loco poſitas eſſe exiſtimantibus. a]

Species argumentorum a genere & ſpecie.

§. 588. Argumentationum à genere & ſpecie quatuor ſunt modi. 1. *Argumentum a genere & ſpecie* [כלל ופרט]. 2. *Argumentum à ſpecie & genere* [פרט וכלל]. 3. *Argumentum a genere & ſpecie & genere* (כלל ופרט וכלל). 4. *Argumentum a ſpecie & genere & ſpecie* [פרט וכלל ופרט].

Species argumentorum ab incluſione & exceptione

§. 589. Argumentationum autem ab incluſione & exceptione non niſi tres ſunt modi. 1. *Argumentum ab incluſione & exceptione* [ריבוי ומיעוט]. 2. *Argumentum ab exce-*

z) Halichoth olam, p. 161. Sepher Crithuth, part. 1, cap. 5, §. 4. fol. 10, 2. cap. 7. §. 4. 5. fol. 11, 2. 12, 1. §. 8. fol. 12, 2. Babhakama, fol. 84, 2. 85, 1.

a) Sbhachim, fol. 4, 2.

exceptione & inclusione (מיעוט וריבוי). 3. *Argumentum ab inclusione & exceptione & inclusione* [ריבוי ומיעוט וריבוי]. Nam ab exceptione & inclusione & exceptione [מיעוט וריבוי ומיעוט] non argumentantur.

§. 590. Quoniam denique non vna de causa de specie aliqua in pentateucho specialiter praecipitur; *quatuor quoque a specie argumenta* sunt. 1. *A specie de qua specialiter aliquid praecipitur.* 2. *A specie coordinata.* 3. *A specie dubia.* 4. *A specie spuria.* Argumenta a specie.

CAP. XXII.

DE *ARGVMENTO A GENERE ET SPECIE.*

§. 591.

Argumentum a genere & specie (מכלל ופרט) est, quo ex genere priori & speciebus posteriori loco in pentateucho positis colligitur, *non nisi de solis subiunctis speciebus*, ceteris omnibus ad id genus pertinentibus, simillimis quoque, exclusis, illo loco *praecipi.* (אין בכלל אלא מה שבפרט ואין לך להוסיף ואפילו הרומה). b) E. g. Lev. I, 2: *Si quis victimam deo offerre velit; ex quadrupedi-* Arg. à genere & specie.

b) Halicheth olam, p. 154. 155. 162.

pedibus (בהמה), *ex bubus* (בקר) *& ex pecoribus* (צאן) *offeretis victimas.* Hinc quadrupedum victimae ex ſolo genere bouillo, ovino & caprino deſumi debent.

Vſus praemiſſi generis.

§. 592. Nullum igitur *generis vſum* eſſe, quod ſuperflue poſitum ſit, videri poſſit. At vero reſpondetur, poni id debuiſſe; ne quis, per argumentum à diſpari vel ab exemplo vel quodcunque aliud, ad plures ſpecies inferre auderet. c]

CAP. XXIII.

DE *ARGVMENTO A SPECIE ET GENERE.*

§. 593.

Arg. a ſpecie & genere.

Argumentum a ſpecie & genere (מפרש וכלל) eſt, quo ex ſpeciebus priori loco & dein genere poſito colligitur, *ad omnia generi* in pentateucho *expreſſo ſubordinata genera omnesque & ſingulas ſub illo comprehenſas ſpecies eſſe inferendum.* [כלל מוסיף על המפרש ורבי כל מילי]. d) E. g. Exod. XXII, 9. praecipitur: *Si quis alteri tradiderit aſinum, vel bouem, vel quodcunque animal cuſtodiendum &c.* Quoniam ſpecies praecedunt, & genus ſequitur; de omnibus & ſingu-

c) Halichoth olam, p. 155. Sepher Crithuth, Part. I. cap. 5. §. 1.

d) Halichoth olam, p. fol. 10, 1. 155.

ſingulis rebus alterius cuſtodiae concreditis praecipi contendunt. e]

§. 594. Hic quoque *ſpecierum*, quae ſuperflue poſitae videantur, is *vſus* eſſe dicitur, ne quis per argumentum à diſpari vel à vocubulorum conuenientia, vel quodcunque aliud, euincere aggrediatur, quod ibi de omnibus & ſingulis expreſſo generi ſubordinatis generibus inferioribus & ſpeciebus non praecipiatur. f] Vſus praemiſſarum ſpecierum.

CAP. XXIV.

DE

ARGVMENTO A GENERE ET SPECIE ET GENERE.

§. 595.

Argumentum a genere & ſpecie & genere (מכלל ופרש וכלל) eſt, quo ex genere primo loco dein ſpeciebus & iterum genere in pentateucho poſitis colligitur, non quidem ad omnes & ſingulas expreſſo generi ſubordinatas res, attamen *ad omnes ſub eodem genere inferiori, cui expreſſae ſpecies ſubſint, comprehenſas, ſolis diſſimilibus exceptis, inferri debere* (אי אתה דן אלא בעין הפרש). g) E. g. Arg. a genere & ſpecie & genere.

e) Sepher Crithuth Part. I. cap. 6. §. 4. fol. 10, 2. 11, 1.

f) Halichoth olam, p. 155. Sepher Crithuth, Part. I. cap. 6. §. 1. fol. 10, 2.

g) E. g. Deut. XIV, 26. iniungitur: *Emesque argento* [ex decimis ſecundis redeunte) *quicquid appetas,* (QVOD GENVS EST;) *boues, oues, vinum, & ſiceram,* (QVAE SPECIES SVNT;) *quicquid appetas, inquam.* (QVOD ITERVM GENVS EST.) Infertur igitur, non quidem omnia appetibilia, attamen omnes res appetibiles, quae ſub genere *foetuum ex foetu ex terra nutrimentum habentium* (מרי מפרי וגידולי קרקע) ſint, argento pro decimis ſecundis accepto emere licere: Quoniam ſingulae in pentateucho recenſitae ſpecies huic generi ſubſint. h)

Diſſenſus doctorum de hoc argumento.

§. 596. Cum per argumentum à genere & ſpecie & genere ad ſolas ſpecies ſpeciebus in pentateucho expreſſis ſimiles inferatur; (§. 595.) diuerſi autem ſimilitudinis gradus ſint: (§. 577.) *diſſentiunt doctores*; his ſtatuentibus, non niſi *ad ſingulas ſpecies generis proximi vel infimi,* cui omnes in pentateucho expreſſae ſpecies ſubſint; illis, *ad ſingula generis remotioris ſubalterna genera* inferri debere. i)

Alii non niſi ad proximum genus inferunt.

§. 597. Qui ſtatuunt, *generis priori loco poſiti maiorem eſſe virtutem,* (בללא קמא לוקא); ii non niſi *ad ſingulas* cum expreſſis ſpeciebus eidem *proximo generi ſubordinatas ſpeci-*

g) Halichoth olam, p. 155. 156.
h) Erubhin, fol. 27, 2. 28, 10.
i) Halichoth olam, p. 156-159.

ſpecies inferri debere contendunt. Quia enim per argumentum à genere & ſpecie [כלל ופרט] ne quidem ad ſpecies eidem proximo generi ſubordinatas inferre liceat (ראין בכלל אלא מה שבפרט); (§. 591.) *per genus poſteriori loco poſitum* non niſi ceteras, quae in pentateucho reticentur, eidem *proximo generi ſubordinatas ſpecies includi* debere exiſtimant [ראהני כללא בתרא לרבות כל דומה לו מג' צדדין). k] E. g. Argentum ex *decimis ſecundis* acceptum ſolis rebus, quae ſint *foetus ex foetu ex terra nutrimentum & ex terra natis ortum habentes* [פרי מפרי וגידולי קרקע וולד ולרות הארץ] impendi debere contendunt; quoniam ad proximum hoc genus expreſſae in pentateucho ſpecies, boues & oues ex animalibus, & vinum atque ſitera ex vegetabilibus, referri poſſint. Excludunt igitur *aues*; quae *foetus ex foetu ex terra nutrimentum habentes* (פרי מפרי וגידולי קרקע) quidem ſint; *non vero ex terra natis originem debeant* (אבל לאו ולד ולרות הארץ). Nimirum aues ex *paludoſo limo* [רקק] conditas eſſe contendunt l);

§. 598. Qui vero ſtatuunt, *generis poſteriori loco poſiti maiorem eſſe virtutem* [כללא בתרא רוקא]; ii *ad genus ſuperius* quidem, *propinquius* tamen, nec nimis lon- Alii ad remotius genus inferunt.

ge

k) Halichoth olam, p. 156. l) Erubhin, ſol. 28, 1.

ge remotum, inferri debere contendunt. Quia enim per argumentum à ſpecie & genere ad omnia generi in pentateucho expreſſo ſubordinata genera inferatur (כלל מוסיף על הפרט ורבי כל מילו); (§. 593.) hic quoque *ad ſuperius genus recte inferri*, (נתרבה הכל אפילו מה שאינו דומה אלא בשני צדדין), *& per genus priori loco poſitum non niſi genera nimis remota excludi* exiſtimant. (ראהני כללא קמא למעט מה שאינו דומה אלא מצד אחד] m) E. g. Pro rebus, quas argento pro decimis ſecundis accepto coëmere liceat, ita, vt ſupra (§. 595.) docuimus, inferunt; adeoque *aues* quoque *includunt*, licet ex terra natis originem non debeant. *Excludunt* autem *piſces*; quoniam hi ex terra nutrimentum non habent.

Propter abundantem ſpeciem ad genus ſuperius adſcendatur.

§. 599. Si plures ſpecies, quarum aliquae reticeri potuiſſent, in pentateucho expreſſae ſint; *propter vnamquamque abundantem ſpeciem ad remotius genus inferri* debet. n)

Genera prius & poſterius nonnunquam diuerſa ſunt.

§. 600. Licet *genus prius & poſterius diuerſa* ſint (לא דמי כללא קמא לכללא בתרא); per hoc argumentum tamen, ſecundum *R. Iſmaëlem*, inferri poteſt. Quodſi vero prius genus latius pateat quam poſterius; non tamen niſi ad genera vel ſpecies ſub genere poſteriori comprehenſas inferre licet. o)

§. 601.

m) Halichoth olam, p 156.
n) E. g. Babha kama, fol. 62, 2. 63, 1.
o) Sepher Crithuth, Part. I. cap. 6. §. 5. fol. 11, 1.

§. 601. Vbi *genus posterius immediate post genus prius* positum sit, *& dein demum species* sequantur (ב' כללות הסמוכין וה לזה); 1. *Doctores in Palaestina* docuerunt, fingendum esse, quod species medio loco inter duo illa genera positae sint, &, peruerso hoc ordine non obstante, *per argumentum a genere & specie & genere inferri debere.* [הטל הפרט ביניהם ורונם בכלל ופרט וכלל). p) 2. *R. Ismaël* autem hoc in casu non per argumentum à genere & specie & genere (כלל ופרט וכלל), sed *per argumentum ab inclusione & exceptione & inclusione* (ריבוי ומיעוט וריבוי), argumentandum esse contendit. q)

Vtrumque genus ante species positum.

§. 602. Si generi vocabulum, כל, *omnis*) in pentateucho adscriptum sit; *per argumentum* quoque *ab inclusione & exceptione* (ריבוי ומיעוט) est argumentandum. r)

Vocabulum, *omnis*, generi adscriptum.

CAP. XXV.

DE ARGVMENTO A SPECIE ET GENERE ET SPECIE.

§. 603.

Argumentum a specie & genere & specie (פרט וכלל ופרט) est, quo ex speciebus

Arg. à specie & genere & specie.

(p Halichoth olam, p. 160. 161.
q) Sepher Crithuth, Part. I. cap. 7. §. 6.
r) Sepher Crithuth, Part. I. cap. 7. §. 7. fol. 12. 1. 2.

bus primo loco dein genere & iterum ſpeciebus poſitis colligitur, *ad res omnes ſub genere comprehenſas ſpeciebus* in pentateucho *expreſſis ſimiles, ſolis diſſimilibus excluſis, eſſe inferendum.* (אי אתה דן אלא כעין הפרט). E. g. Num. VI, 3. 4. praecipitur: *Naſiraeus a vino & potu inebriante abſtineto &c.* (QVAE SVNT SPECIES;) *ab omni eo quod fit ex vite vinifera,* (QVOD EST GENVS;) *a nucleis acinorum vsque ad vinacia ne comedito.* (QVAE SVNT ITERVM SPECIES.) Infertur ex his, Naſiraeum tenellis quoque *malleolis racemariis* (לולבין) & *pampinis* [עלין] abſtinere debere. s)

Diſſenſus doctorum de modo inferendi.

§. 604. Suſpiceris, nullam prorſus *inter argumenta a genere & ſpecie & genere* (כלל ופרט וכלל) *& a ſpecie & genere & ſpecie* [פרט וכלל ופרט] eſſe *differentiam.* Eſt vero omnino. *Oppoſita* ſibi certo modo ſunt haec argumenta; ſed *diuerſimode, ex diuerſorum doctorum ſententia.* 1. Qui per argumentum a genere & ſpecie & genere (כלל ופרט וכלל) ad genus ſuperius inferunt; (§. 598.) illi per hoc argumentum à ſpecie & genere & ſpecie (פרט וכלל ופרט) non niſi *ad genus proximum inferunt.* 2. Qui vero per argumentum à genere & ſpecie & genere (כלל ופרט וכלל) non niſi ad genus proximum inferunt; (§. 597.) illi per hoc argumentum à ſpecie & genere & ſpe-

s) Halichoth olam, p. 159.

& ſpecie (פרט וכלל ופרט) *ad genus remotius inferunt.* t)

§ 605. Qui alias non niſi ab incluſione & exceptione (ריבוי ומיעוט) argumentantur, (§. 582. 585.) de hoc tamen argumento cum iis, qui à genere & ſpecie argumentantur, conſentiunt: Quia *argumentum ab exceptione & incluſione & exceptione* (מיעוט וריבוי ומיעוט) *non datur.* u) Omnes hoc argumento vtuntur.

§. 606. Inquiritur, cur *R. Iſmaël hoc argumentum* in ſuis argumentandi modis *non numerauerit.* Sunt, qui exiſtiment, eum illius nullam feciſſe mentionem, quod illo in argumentando non ſit vſus. w) R. Iſmaël hoc arg. ſilentio praeteriit.

CAP. XXVI.

DE

ARGVMENTO AB INCLVSIONE ET EXCEPTIONE.

§. 607.

Argumentum ab incluſione & exceptione (ריבוי ומיעוט) eſt, quo ex genere priori & ſpeciebus poſteriori loco poſitis colligitur, *ad genus expreſſarum* in pentateucho *ſpecierum proximum*, id eſt, *ad omnes ſpecie-* Arg. ab incluſione & exceptione.

t) Halichoth olam, p. 159. 160. Sepher Crithuth, Part. I. cap. 7. §. 8. fol. 12, 2.

u) Sepher Crithuth, Part. I. cap. 6. §. 2. fol. 10, 2.

w) Halichotholam, p. 160.

ſpeciebus in pentateucho expreſſis ſimiles res, ſolis diſſimilibus exceptis, eſſe inferendum. [למעש מן הכלל מאי רלא דמי ליה:]. Vt adeo genus ſub ſe comprehenſas ſpecies omnes includat (ריבה הכל), ſpecies expreſſae autem omnes ſibi diſſimiles ſpecies excludant (מיעש שאינו רומה). x)

Eadem illius, quae argumenti à gen. & ſpec. & gen. virtus eſt.

§. 608. Qui igitur argumentationibus ab incluſione & exceptione vtendum eſſe cenſent, his *argumenti ab incluſione & exceptione* (ריבוי ומיעוש) *eadem, quae* argumentationibus à genere & ſpecie vtentibus *argumenti à genere & ſpecie & genere* (כלל ופרש וכלל), *ſi prioris generis maior virtus eſſe* (כללא קמא דוקא) *ſtatuatur, vis eſt.* [§. 597. 607.] y]

CAP. XXVII.

DE

ARGVMENTO AB EXCEPTIONE ET INCLVSIONE.

§. 609.

Arg. ab exceptione & incluſione.

Argumentum ab exceptione & incluſione (מיעוש וריבוי) eſt, quo ex ſpeciebus priori loco & dein genere poſito colligitur, *ad genus expreſſarum* in pentateucho *ſpecierum ſuperius, quod tamen propinquius ſit,*

x) Halichoth olam, p. 167.

Part. I. cap. 5. §. 2. 3. fol. 10, 1. 2,

y] Sepher Crithuth,

ſit, id eſt, *ad res ſpeciebus* in pentateucho *expreſſis nonſolum ſimiles veram etiam diſſimiles, exceptis tamen diſſimilioribus* ſub genere in pentateucho expreſſo contentis, *inferri debere.* z)

§. 610. Cum igitur per argumentum ab incluſione & exceptione ad res plures, quam per argumentum à genere & ſpecie, inferendum ſit; (§. 591. 607.) contrarium hic obtinet, vt *per argumentum ab exceptione & incluſione ad res pauciores, quam per argumentum à ſpecie & genere, inferatur.* [§. 593. 609.] a)

Per quod ad pauciora, quam per arg. à ſpec. & genere, infertur.

CAP. XXVIII.

DE

ARGVMENTO AB INCLVSIONE ET EXCEPTIONE ET INCLVSIONE.

§. 611.

Argumentum ab incluſione & exceptione & incluſione (ריבוי ומיעוט וריבוי) eſt, quo ex genere primo loco dein ſpeciebus & iterum genere poſitis colligitur, *ad genus* expreſſarum in pentateucho ſpecierum *valde remotum*, id eſt, *ad res generi* in pentateucho *expreſſo ſubordinatas omnes, illas quoque quae non niſi in aliquibus characteribus nobilioribus cum expreſſis* in pentateucho

Arg. ab incluſ. & except. & incluſione.

z) Halichoth olam, p. 162. 163.

a) Sepher Crithuth, Part. I. cap. 6. §. 7. fol. 11, 1.

cho *ſpeciebus conueniunt, eſſe inferenduni*, [מרבינן הכל אפילו לא דמי משני צדדין], ſolis rebus quam maxime diſſimilibus excluſis. b]

Plura includit, quam arg. à. gen. & ſpec. & genere.

§. 612. Cum igitur illi, *qui* à genere & ſpecie & genere argumentantes *ſtatuunt, generis poſterioris maiorem eſſe virtutem*, ad genus ſuperius quidem, attamen propinquius, inferant; (§. 598.) *per argumentum ab incluſione & exceptione & incluſione* autem ad genus valde remotum inferatur: [§. 611.] *per hos ad plura, quam per illos, infertur.* E. g. Hi *piſces* quoque *argento pro decimis ſecundis* accepto emere permittunt; & non niſi *ſalſuginem piſcium* (ציר) *excipiunt. c*]

Quid per ſpecies excipiatur.

§. 613. *Per ſpeciem inter duo genera* in pentateucho poſitam *vnam* non niſi *vnica ſpecies* illi diſſimillima excipitur. (לא מיעט לך אלא דבר אחר היותר רחוק]. d] Sin *plures ſpecies* compareant; *per vnam quamlibet* expreſſarum ſpecierum *diſſimilis aliqua ſpecies excluditur.* Quod igitur ſpecies expreſſae ſunt, tot diſſimiles ſpecies excluduntur. e]

CAP.

b) Halichoth olam, p. 162.

c) Sepher Crithuth, Part. I. cap. 7. §. 3. fol. 11, 2.

d] Halichoth olam, p. 162.

e] E. g. Naſir, fol 34, 2.

CAP. XXIX.

DE
ARGVMENTO A GENERE ET SPECIE HOMONYMIA LABORANTIBVS.

§. 614.

Vocabulum homonymia laborans est e. g. verbum *tegendi* (כסה); quod nunc *celare* vel *reticere* significat; f] nunc sub re alia *abscondere*, g] nunc *miscere* cum re alia, quae admixta contegendum oculis subtrahat. Quando Leu. XVII, 13. *sanguinem puluere contegere* iubentur; per additum modum, quod puluere contegi debere dicitur, verbum ab homonymia sua liberatur, & postremum significatum obtinere debere significatur. Simili homonymia *primogeniti* vocabulum laborat. Nunc enim sine sexus discrimine liberorum illum, qui primus editus sit, significat; nunc filiorum primum; nunc primum ex vtroque parente; nunc primum ex eodem patre natum; nunc primum ex matre. Nihil vero interest, siue naturali partu primogenitum suum mater sit enixa, siue ex vtero materno sit exsectus. h] Homonyma.

§. 615. *Argumentum à genere & specie homonymia laborantibus* [מכלל שרוא צריך לפרש] Arg. à gen. & specie homonymia laborantibus.

f] Gen. XVIII, 17.
g] Gen IX, 23.
h] Ha'ichoth olam, p. 164. 165.

לפרש ומפרש שהוא צריך לכלל] est, per quod *de homonymi generis significatu ex subiunctis speciebus coniunctim sumtis, & de homonymae speciei significatu ex praemisso genere iudicium fertur.* E. g. Exod. XIII, 2. Israëlitae *primogenitos, qui vuluam aperiant,* deo consecrare iubentur. Exque v. 12. intelligitur, de solis *maribus* praecipi. Sequentem igitur in modum argumentantur. *Femellas primogenitas deo quoque consecrari debere, suspicari possis.* [יכול אף הנקבות]. *At vero dicitur, mares.* [תלמוד לומר זכר]. *Si igitur mares; ergo illos quoque, ante quos edita femella sit.* [אי וכר יכול אפילו יצאד נקבה לפניו]. *At vero dicitur, qui vuluam aperuerit.* [תלמוד לומר פטר רחם]. *Si igitur illos, qui vuluam aperuerint; ergo illos quoque, ante quos ex utero materno exsectus sit infans.* [אי פטר רחם יכול אפילו נולד אחר יוצא דופן]. *At vero dicitur, primogenitos.* [תלמוד לומר בכור]. i]

Quid discriminis inter hoc & arg. à gen. & specie sit.

§. 616. *Inter argumentum à genere & specie & hoc argumentum id interest*, quod *per illud ad species diuisim sumtas* infertur. *Per hoc* autem *ad genus per species coniunctim sumtas determinatum.* E. g. Per argumentum à genere & specie illaturus esses, duas primogenitorum species, nimirum mares, & vuluam aperientes, deo consecrari debere. Mares; siue soror ante eos edi-

i] Bchoroth, fol. 19, 1. 2.

edita iam sit, siue non sit. Vuluam aperientes; siue ante eos infans ex vtero materno iam sit exsectus, siue non sit. Per hoc autem argumentum infertur, solos illos primogenitos, qui & mares sint & vuluam primi aperuerint, & hos quidem si ante eos infans ex vtero materno nondum sit exsectus, deo consecrari debere. k)

§. 617. Si *species generi* in pentateucho subiunctae *ita comparatae* sint, *vt idem indiuiduum singulis illis subordinari possit*; tum *per argumentum à genere & speciebus homonymia laborantibus* inferri debet. Sin singulis speciebus idem indiuiduum subordinari nequeat; tum per argumentum à genere & specie inferri debet.

Quando hoc & quando argumento à gen. & spec. vtendum sit.

CAP. XXX.

DE *ARGVMENTO A SPECIE DE QVA SPECIALITER QVID PRAECIPITVR.*

§. 618.

Species de qua specialiter quid praecipitur [דבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד] dicitur, *de qua* in diuerso pentateuchi loco *idem quod alibi de genere*, vel *quod generis praedicatis saltem nullo modo repugnet*, sed ea

Species de qua specialiter quid praecipitur.

k] Seper Crithuth, Part. I. cap. 8. fol. 13, 1. 2.

ea tantummodo *explicet, praedicatur.* E. g. Exod. XXII, 17. iniungitur, quod *praestigiatrices ad supplicium trahi* debeant. Leu. XX, 27. *Pythonissas & hariolos lapidibus obruere* iubentur. Item: Lev. XXII, 3. *immundi a comestura sacrorum* [קרשים] arcentur. Lev. VII, 20. immundi *a comestura sacrificiorum salutarium* [שלמים] arcentur. Item: Exod. XX, 10. *Sabbatho vllum opus* [מלאכה] facere prohibentur. Exod. XXXV, 3. *sabbatho ignem accendere* prohibentur. Item: Lev. II, 11. *Fertorum ex fermentatis praeparatio* (עשיית חמץ) prohibetur. Lev. VI, 10. Fertorum ex fermentatis *pistura* (אפיית) prohibetur. l)

Arg. à specie de qua specialiter quid praecipitur.

§. 619. *Argumentum a specie, de qua specialiter quid praecipitur,* est, per quod infertur, non quidem singulis speciebus sub genere in pentateucho expresso comprehensis, attamen *singulis, quae sub genere non nisi vnico gradu inferiori,* sub quo species in pentateucho expressa, *contineantur, idem, quod & de genere & de hac specie specialiter praedicatur, competere.* (כל דבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד לא ללמד על עצמו יצא אלא ללמד על כלל כולו יצא [m].

Praedicatum generis limitatur.

§. 620. Hinc per hoc argumentum *generis praedicatum* non raro *limitatur,* vel *expli-*

l] Halichoth olam, p. 165. 166. Sepher Crithuth, Part. I cap. 2. fol. 14, 1. 2.

m] Ibid. Ibid.

explicatur. (להגביל) E. g. Infertur: vt pythoniſſae & harioli lapidibus ſint obruendi; ita omnes quoque praeſtigiatores hac ſupplicii ſpecie è medio eſſe tollendos. n)

§. 621. *Ipſum* quoque *genus* per hoc argumentum *limitatur.* Nimirum *ſpecies*, quae generi quidem, de quo in pentateucho idem quod de ſpecie praedicatur, non vero generi vno gradu inferiori, cui illa ſpecies ſubeſt, ſubordinatae ſunt, *excluduntur.* (למעט) E. g. *Sacrificia ſalutaria.* (שלמים) generi *altari conſecratorum* (קדשי מזבח) ſubſunt. Ergo ille quidem *excidii* (כרת) damnatur, qui altari conſecrata in immunditie conſtitutus comedat: non autem ille, qui immundus *in vſum aedis ſacrae conſecratis* (קדשי ברק הבית) veſcatur. o) Ipſum genus limitatur,

§. 622. Sunt etiam caſus, vbi *de ſingulis ſpeciebus ſeparatim ſumtis praeceptum accipi* debere euincatur. (לחלק). E. g. Quoniam ſolo igne accendendo in ſabbatho peccatur: Ergo is, qui plura opera (מלאכות) ſabbatho continua inconſiderantia (בהעלם אחת) fecerit, non vnius, ſed tot peccatorum, quot opera fecerit, reum ſe fecit. p) Infertur ad ſingulas ſpecies ſeparatim ſumtas.

§. 623.

n] Halichoth olam, p. 165. Iebhamoth, fol. 4, 1.

o] Halichoth olam, p. 165. 166. Schbhuoth, fol 7, 1. conf. *Raſchi* ad h. l.

p] Halichoth olam, p. 165. Schabbath, fol. 70, 1.

Species indigitantur.

§. 623. Sunt denique exempla, vbi per ſpeciem expreſſam *ceterae ſpecies generi ſubordinandae indigitentur.* (להוסיף) E. g. Vt fertorum fermentatorum *piſtura* [אפייה], ita quoque *actu depſendi* [לישה] & *placentas formandi* [עריכה] peccatur. q)

Quando per hoc arg. inferri debeat.

§. 624. Intellectu facillimum eſt, quando per argumentum à genere & ſpecie, & quando per hoc argumentum à ſpecie de qua ſpecialiter aliquid praecipitur, inferri debeat. Per illud inferatur, ſi ſpecies generi in eadem pentateuchi ſectione ſubiungatur. (§. 586. 591.) Per hoc autem, *ſi de genere & ſpecie in diuerſis ſectionibus praecipiatur.* [אם מרוחקין זה מזה]. r]

Quomodo ab argumento à gen. & ſpec. & gen. differat.

§. 625. Per hoc argumentum ad remotius quidem genus infertur; vt per *argumentum à genere & ſpecie & genere* illi faciunt, *qui generis poſteriori loco poſiti maiorem virtutem eſſe* ſtatuunt. [§. 598.] Attamen id inter haec argumenta intereſt, quod *per argumentum à genere & ſpecie & genere ad genus remotum* quidem, *per hoc argumentum* autem *ad remotius* inferatur. s)

§. 626.

q] Mnachoth, fol. 95, 2. Sepher Crithuth, Part. I. cap. 9 fol. 14, 1. 2.

r] Halichoth olam, p. 166.

s] Ita *Beniamin Wolff Gintzburg*, *Med. D.* ſtatuit, & ex omnibus difficultatibus, ex quibus Raſchi & auctores τῶν Toſephoth ad Schbhuoth fol. 7, 1. extricare ſe neſciunt,

§. 626. Per hoc argumentum inferri debere negant, si id, quod per illud euinci poterat, aliunde euinci possit. Et tum *exceptionis causa de illa specie specialiter praecipi* statuunt. [ללמר על עצמו בלבר יצא]. E. g. *Ignem sabbatho in aedibus priuatis* accendere non licere; *in templo* autem illum accendere licere, ex Exod. XXXV, 3. nonnulli euincunt. Vel: Si quis *ignem sabbatho accenderit*, eum non nisi *nudum praeceptum prohibitiuum* (לאו בעלמא) transgressum esse; adeoque *non meruisse, vt*, quemadmodum propter cetera opera, *lapidibus obruatur*. t) Quando per hoc arg. inferri non debeat.

CAP. XXXI.

DE *ARGVMENTO A SPECIE COORDINATA.*

§. 627.

Species, de qua idem quod de genere, sed cum limitatione quodammodo repugnante, praedicatur (דבר שהיה בכלל ויצא לטעון טען אחר שהוא כענינו), est, *de qua specialiter* quoque in pentateucho, *cum limitatione* (תוספת בעלמא) autem, *quae generis charac-* Species coordinata.

unt, se feliciter extricat. R. *Simson ex Kenon* autem in suo Sepher Crithuth Part. I, cap. 9. fol. 14, 2. in his valde fluctuat & confusus est.

t] Halichoth olam, p. 166. Schabbath, fol. 20, 1. fol. 70, 1.

characteres & praedicata non explicet, ſed nonnullis eorum repugnet, praecipitur. Vel, ſi dicere velimus, quod res eſt, nulla quidem ſpeciei huius praedicata ipſi generi repugnant, ſed intelligitur ex limitationibus repugnantibus, *pentateuchum*, vbi de genere loqui videatur, non de eo, ſed *de ſpecie coordinata, praecipere.* E. g. Quae Leu. XIII, 1-17. *de lepra in genere* dicta erant, illa *de iis leprae ſpeciebus*, quae *in cicatrice vlceris ſanati* [שחין] vel *aduſtionis ſanatae* (מכוה) efflorescat, Leu. XIII, 18-28. partim repetuntur. Nimirum referuntur ad genus leprae, quae ſit *in cute glabra* [במקום עור ובשר]. Mentio fit *intumeſcentiae* [שאת], *puſtularum* [בהרת], *quatuor albedinis ſpecierum* (ד' מראות לובן), & *pilorum albeſcentium* [שער לבן]. Sacerdotes denique his leprae ſpeciebus affectos *per ſeptiduum includere* iubentur. Sunt vero etiam, in quibus à leprae genere, vel potius antea deſcripta coordinata ſpecie, differant. Nam niſi malum ſerpat, aegri *ſeptimana altera includi non iubentur*, ſed *pro mundis declarari.* u]

Arg. à ſpecie coordinata.

§. 628. *Argumentum à ſpecie coordinata* [רין דבר שהיה בכלל ויצא לטעון טעון אחר שהוא כעניינו] eſt, per quod infertur, *ſpeciei huic ſola illa criteria & praedicata, quae*

u] Sepher Crithuth, Part. I. cap. 10. §. 1. fol. 15, 1.

quae in pentateucho de illa diſerte legantur, & quae ab his pendeant, tribui, cetera autem non de toto genere, ſed de coordinata ſpecie, dicta cenſeri *debere*. w)

§. 629. Quodſi igitur *de tali ſpecie* non-ſolum nobiliora nonnulla generis criteria & praedicata pentateuchus reticuerit, verum etiam *loco nonnullorum nobiliorum ignobiliora ſubſtituerit; pro omnibus ignobilioribus, quae reticentur, generis praedicatis ad ſpeciem inferre licet; non* autem *pro nobilioribus.* [יצא להקל ולא להחמיר]. E. g. Si totum aegri corpus albeſcat; is quoque, in cuius vlcere vel aduſtione ſanatis lepra efflorue-rit, mundus cenſendus eſt. *Caro fungoſa* [מחיה] autem in harum leprae ſpecierum criteriis numerari non debet. x) Quando pro ignobilitate inferatur.

§. 630. Contra ea non deſiderantur exempla, vbi *loco ignobilitatis generis nobilitatem ſpeciei ſubſtituit pentateuchus.* E. g. *Fur* non niſi *duplum reſtituere* tenetur. Sin vero *furto ablatum pecus mactauerit vel vendiderit* [טובח ומוכר]; *reſtituendi quadrupli vel quintapli* damnatur. In hiſce *pro nobilioribus, non vero ignobilioribus, generis praedicatis ad ſpeciem inferri* debere nonnulli contendunt. [יצא להחמיר ולא להקל], y] Quando pro nobilitate inferatur.

CAP.

w] Halichoth olam, p. 166. 167. Sepher Crithuth, Part. I. cap. 10. §. 1. fol. 14, 2.

x] Sepher Crithuth, Part. I. cap. 10. §. 4. fol. 15, 1. 2.

y] Ibid. §. 4. fol. 15, 2.

CAP. XXXII.

DE *ARGVMENTO A SPECIE DVBIA.*

§. 631.

Species dubia

Species dubia est, de qua & genere *prorsus diuersa & incompatibilia* in pentateucho praedicantur. [רבר שיצא לטעון טעון אחר שלא כענינו]. E. g. *Immundities porriginum* [מומאת נתקים] *in partibus pilosis*, vt in capite & barba, efflorescit; non in cute glabra, vt reliqua lepra. Porriginis signum sunt *pili flaui* (שער צהוב); qui reliquarum leprae specierum non sunt. Contra ea harum signum sunt *pili albi* [שער לבן]; qui porriginis signum *non* sunt. z)

Arg. à specie dubia.

§. 632. *Argumentum a specie dubia* est, per quod *a genere ad speciem eiusmodi dubiam, & ab hac ad illud, inferri debere negatur*: & sola ea, quae de tali specie in pentateucho dicta sunt, siue leuiora sint siue grauiora quam quae de genere praedicantur, illi competere statuitur. (כל רבר שהיה בכלל ויצא לטעון טען אחר שלא כענינו יצא להקל ולהחמיר). a)

Species dubia ad genus ne referatur.

§. 633. *Species* eiusmodi *dubia* tam Iudaeis suspecta est, vt, *si vel per ipsum pentateuchum ad genus* illud, de quo diuersa prae-

z] Ibid. §. 5. fol. 15, 2. cap. 11. fol. 16. 1.

a] Halichoth olam, p. 167. 168. Sepher Crithuth, Part. I. cap. 11. fol. 16, 1.

praedicantur, *referatur, illius tamen speciem* eam *haberi*, & à genere ad eam, vel ab ea ad genus, inferri debere *negent*. [מנותק לגמרי מן הכלל בין להקל בין להחמיר]. b)

CAP. XXXIII.

DE *ARGVMENTO A SPECIE SPVRIA.*

§. 634.

Species spuria.

Species spuria est, *de qua noui & insoliti quid* in pentateucho *praecipitur* (רבר שהיה בכלל ויצא לרון ברבר החרש): id est, de qua partim eadem quae de genere, partim vero diuersa & tam insolita quidem, vt vlli istius generis speciei ea competere posse mireris, praecipiuntur. [רשנדר לגמרי באותו רבר חרש שסותר את כולו]. E. g. Omnium ceterorum *sacrificiorum pro delicto* (כל שאר אשם) *sanguis omnis altari affundi* debet. *Sacrificii* autem *pro delicto leprosi* (אשם מצורע) non omnis sanguis altari affundi debet, sed *aliqua* illius *pars manuum pedumque pollicibus & auris cartilagini indi.* Item: Omnes *prohibitorum graduum feminae* cognatis simplici-

b] Sepher Crithuth, Part. I. cap. 10. §. 5. 6, 7. fol. 15, 2.

pliciter interdictae sunt. Sola *fratria* (יבמה) certo in casu leuiro nubere potest & debet. c)

Arg. à specie spuria.

§. 635. *Argumentum à specie spuria* est, per quod *speciem, de qua insolita praedicantur, ad genus referri debere negatur; nisi ipse pentateuchus illam disertis verbis ad id referat.* (דבר שהיה בכלל ויצא לידון בדבר החדש אי אתה יכול להחזירו לכללו עד שיחזירנו הכתוב לכללו בפירוש). d)

Num a genere ad hanc speciem, & vice versa, inferre liceat.

§. 636. Sunt, qui statuant, nisi pentateuchus spuriam hanc speciem ad genus suum referat, *nec ad speciem* illam *à genere nec ad genus à specie inferri* debere. Alii vero contendunt, *à genere quidem ad speciem inferri non debere*; *recte* tamen *à specie ad genus*, dummodo insolita illa speciei praedicata excipias, inferri. e)

CAP. XXXIV.

DE *ARGVMENTIS AB ANTECEDENTIBVS ET CONSEQVENTIBVS.*

§. 637.

Antecedentia & consequentia.

Felix cuiuscunque scripti interpres is est, qui intellectu difficiliora ex clariori-

bus

c) Halichoth olam, p. 168-170. Sepher Crithuth, Part I. cap. 10. §. 5. 7. fol. 15, 2. cap. 11. fol. 16, 1. 2. Iebhamoth, fol. 7.

d) Ibid. Ibid., Ibid. 1. Sbhachim, fol. 49, 1.

e) Halichoth olam, p. 169. Sbhachim, fol. 49, 1. 2.

bus antecedentibus & consequentibus illustrare didicit. Distinguunt Iudaei inter *rem, quae ex scopo dicentis vel scribentis* (דבר הלמד מענינו), & inter *rem quae ex antecedentibus & consequentibus* (דבר הלמד מסופו) diiudicanda est.

§. 638. *Argumentum à scopo dicentis vel scribentis* (רין דבר הלמד מענינו) est, per quod infertur, *rerum, de quibus in eadem connexione praecipitur, parem esse rationem*, adeoque *obscurum per clarum* (סתום מן המפורש) explicari debere. E. g. *Homicidium* & *adulterium*, quorum *in decalogo* mentio fit, crimina capitalia sunt. Ergo *furtum* quoque ibidem interdictum capitale crimen est. Non igitur de eo, *qui res furatur* [גונב ממון], sed de eo, *qui homines furatur* (גונב נפשות), ibi praecipitur f) Argumentum à scopo dicentis.

§. 639. *Argumentum ab antecedentibus & consequentibus* (רין דבר הלמד מסופו) est, per quod *de dubii significatus verborum sensu ex antecedentibus & consequentibus* (מהענין עצמו) iudicium fertur. E. g. Leu. XIII, 40. 41. *calui pro mundis* declarantur. Ex sequentibus autem intelligitur, id tantummodo dici, quod *ab immunditie porriginis* (טומאת נתקים) immunes sint. Item, Leu. Argumentum ab antecedentibus & consequentibus.

f) Halichoth olam, p. 170. 171. Sanhedrin, fol. 86, 1. Vid. aliud exemplum Chulin, fol. 63, 1.

Leu. XIV, 34. de *aedium lepra* (צרעת הבית) praecipitur. Qualis haec lepra ſit, ex v. 45. intelligitur; nimirum quod ea lapides coenum & ligna infici potuerint. g)

CAP. XXXV.

DE *ARGVMENTO A CONTRADICTIONE APPARENTE.*

§. 640.

Circa contradictiones apparentes ne quis temere verſetur.

Contradictionis verae non facile ſcriptor bonus, *nunquam* vero *ſcriptura ſacra argui debet.* Circa *apparentes* vero temere verſari non licet; ſed opera danda eſt, vt per ipſa ſcriptoris verba vel rei circumſtantias penitius inſpectas, non autem per vagas coniecturas, tollantur.

Arg. à contradictione apparente.

§. 641. *Argumentum à contradictione apparente* (שני כתובים המכחישין זה את זה) eſt, per quod *duo pentateuchi effata*, quae contradicere ſibi videntur, *ope effati tertii conciliantur.* E. g. Exod. XIX, 20. dicitur: *Tum deſcendit deus in verticem montis Sinai.* Exod. XX, 22. autem dicitur: Tum dixit deus Moſi, dic Iſraëlitis: *Vos vidiſtis, quod ex coelo vobiscum ſim loquutus.* Quaeritur, quomodo deum, qui in montem Sinai deſcenderit, & ex iſto monte cum Iſraëlitis loquutus ſit, ex coelo cum illis loquutum eſſe dici poſſit. Tollitur iſtud dubium per Deut.

g) Sepher Crithuth, Part. I. cap. 12. fol. 17, 1.

Deut. IV, 36. vbi dicitur: *Deus fecit, vt vos ſuam de coelo vocem audiretis, veſtri erudiendi gratia: & vobis in terra magnum ſuum illum ignem oſtendit, eiusque de medio igne verba audiuiſtis.* Ex quo intelligitur, nubes imbribus & fulguribus praegnantes quae in Sinai montis vertice conſediſſent, coeli nomine venire. h)

CAP. XXXVI.

DE *CITATIONE EFFATORVM SCRIPTVRAE SACRAE.*

§. 642.

Citatio effatorum ſcripturae ſacrae.

Supereſt, vt de *excitatis* in Talmude *ſacri codicis effatis* dicamus. Non enim erravit celeberrimus *Surenhuſius*, contendendo, quod non contemnendus harum obſeruationum in N. T. exegeſi vſus ſit. Dabimus igitur praecipuas *allegandi formulas*, quibus Talmudici vti ſolent; omiſſis illis, quas perperam huc traxit Surenhuſius. Et dein ſubiungemus, quomodo excitatorum *effatorum verba* nonnunquam *immutare* ſoleant doctores Iudaei.

Formulae citationis effati, quo quid *probatur.*

§. 643. Si qua *theſis* per aliquod codicis ſacri effatum nude *probanda* vel *illuſtranda* ſit; hae citationum formulae adhibentur:

שנאמר

h) Halichoth olam, p. 171. Sepher Crithuth, Part. I. cap. 13. fol. 17, 1.

שנאמר *Id quod dicitur.*
רכתיב *Scriptum enim eſt.*
כרכתיב *Ad tenorem illius quod ſcriptum eſt.*
אמר הכתוב *Dicit ſcriptura.*
אמר קרא *Dicit codex ſacer.*
התורה אמרה *Lex dicit.*
אמר יתברך *Dicit deus ter optimus maximus.*
אמר הקדוש ברוך הוא *Dicit ſanctiſſimus & concelebrandus deus.*
וכן הוא אומר *Ipſe (deus) dixit.*
ככתוב בתורת יהוה *Quemadmodum in lege dei ſcriptum eſt.*
ככתוב בספר תורת משה *Quemadmodum in libro legis Moſaicae ſcriptum eſt.*
ראה מה כתיב *Vide, quid ſcriptam ſit.*
מה כתיב שם *Quid ibi ſcriptum eſt?*
מה הוא אומר *Quid ipſe (deus) dicit?*
וכבר נאמר *Dictum iam eſt.*
וכבר מפורש *Expoſitum iam eſt.*
והלא כבר נאמר *Annon id dictum iam eſt?*
אינו צריך לומר שכבר נאמר *Id dicere opus non erat. Dictum enim iam fuit.*
ממה שקרינו בענין {Intelligitur id} *ex eo, quod in iſta ſectione legimus.*

Plurium effatorum.

§. 644. Vbi *plura* ſacri codicis *effata* vnum poſt alterum excitentur; poſterioribus formulae praefigi ſolent:

ואומר *Dicit quoque.*

ועוד *Et iterum.*

וכתיב *Scriptum quoque eſt.*

וכן הוא אומר *Ita quoque ipſe* (deus) *dicit.*

Nonnunquam vero *ſine interiecta* eiusmodi *formula diuerſa* codicis ſacri *effata*, perinde ac ſi non niſi vnum ſint, *ſibi ſubiunguntur.* Vel diuerſorum effatorum verba in vnum contrahuntur. i)

§. 645. Ad ſcriptorum ſacrorum *inuectiuas* hiſce formulis prouocari ſolet: Inuectiuarum.

הנביא צוח *Propheta exclamat.*

רוח הקדש צוחת ואומרת *Spiritus ſanctus exclamat & dicit.*

§. 646. In *rationem, cur* aliquid in ſacro codice *ſcriptum ſit*, hiſce formulis inquiritur. Si in rationem, cur quid ſcriptum ſit, inquiratur.

מה ראה הכתוב *Quid* (ita loqui), *mouit ſcripturam ſacram?*

מה ראתה תורה *Quid* (ita loqui) *mouit pentateuchum?*

מפני מה אמרה תורה *Cur quaeſo dicit pentateuchus?*

למה לי למהדר ולמכתב *Cur quaeſo id denuo ſcriptum eſt?*

§. 647. Si quod codicis ſacri effatum *explicetur*; hae formulae comparent: Si quod effatum explicetur.

הואיל וכתיב [קא משמע לן] (Ne ita ſentias)

i) E. g. Brachoth, fol. 18, 1. Prou. XIX, 17. XIV, 31. Item: Macoth. fol. 16, 1. ex Leu. XIX, 13. & V, 23.

tias) *propter iſta ſacri codicis verba;* (*id additum eſt.*)

לכך כתוב (Quoniam ita ſentire poteras;) *ita ſcriptum eſt.*

לכך נאמר [Quoniam ita ſentire poteras] *ita dicitur.*

לפיכך כתוב *Haec ratio eſt, cur ita ſcriptum ſit.*

לפיכך הוא אומר *Haec ratio eſt, cur deus ita dicat.*

א"כ ליכתוב רחמנא *Si ita; ſcribere debuiſſet optimus maximus.*

[כנגד מי אמר שלמה — כנגד אביו] *De quonam quaeſo Salomonis verba accipi poſſunt? — De patre eius.*

במי הכתוב מדבר *De quonam caſu ſcriptura ſacra loquitur?*

Si plura effato concilientur.

§. 648. In *conciliandis* ſacri codicis *effatis*, formulis hiſce vti ſolent:

וכתיב *Sed & ſcriptum eſt.*

וכתיב בתריה *At inferius ſcriptum eſt.*

וסמיך ליה *At ſubiungitur.*

שפיל לסופיה דקרא *Vide, quid inferius ſcriptum ſit.*

כתוב אחד אומר — וכתוב אחד אומר *Effatum vnum ita habet. — Effatum autem alterum ita habet.*

כתיב וכתיב הא כיצד *Ita ſcriptum eſt. Sed & ita ſcriptum eſt. Haec igitur quomodo* [concilientur?]

§. 649.

§. 649. Si qua *theſis* per codicis ſacri effatum *corroboretur*; has formulas adhibent: Si qua *theſis corroboretur.*

היינו דכתיב *Si ita; ſcriptum id eſt.*

כמו דאת אמרת *Quemadmodum* [in ſacris] *legis.*

§. 650. Qui *dubium* moueat, vel *obiectionem* formet, hiſce formulis vtitur: Si dubium moueatur.

והא כתיב *At ſcriptum eſt.*

ורחמנא אמר *At ter optimus maximus dicit.*

תיפוק ליה *Ex iſto effato id potius euincatur.*

§. 651. Sacri codicis effatorum pro *reſponſione* ad obiectionem vel dubium allegatorum hae ſunt formulae: Si ad obiectionem reſpondeatur.

אמר רחמנא *Dicit ter optimus maximus.*

כתב רחמנא *Scribit ter optimus maximus.*

§. 652. *Accommodationis* effatorum ad res, quo pro ſcopo dicentis non pertinent, & ſi praeter litteralem alius quidam ſenſus inueſtigetur, hae formulae ſunt: In accommodationibus.

לקיים מה שנאמר *Ad exſequendum id, quod dictum eſt.* Vel: *Tunc accidit id, quod dictum eſt.*

לקיים מה שכתוב *Vt adeo accideret, quod ſcriptum eſt.*

זה קיים מה שכתוב *Exſequutus eſt id, quod ſcriptum eſt.*

משום שנאמר *Quoniam ſcriptum eſt* k)

שנאמר

k) Sbhachim, fol. 79, 1.

שנאמר *Quia ſcriptum eſt.* l)

מעלה עליו הכתוב *Tanti momenti id apud deum eſt, ac ſi hoc vel illud feciſſet.*

עליו הכתוב אומר *De eo ſcriptura ſacra dicit.*

מאי דכתיב *Quid ſibi haec verba volunt?*

היכא רמיוא *Quale quaeſo ſacri codicis effatum huc trahi poſſit?*

Citatio effati ſine allegationis formula.

§. 653. Frequentiſſime *ſine vlla allegationis formula* ſacri codicis effata excitantur. m)

Effati citati aliqua verba omittuntur.

§. 654. *Breuitatis ſtudioſi* (לקצר המקראות) non totum ſemper effatum proferunt; ſed ſaepius *aliqua tantummodo* illius *verba.* Interdum quidem non niſi vocabula ea, *quibus ad explicandum rem*, de qua quaeſtio ſit, *opus eſt.* n) Interdum proferunt *commatis* alicuius *verba priora & poſteriora*; media autem, quae ad ſcopum praeſentem non faciunt; omittunt. o) Non raro autem illa quoque *verba, quae ad ſcopum praeſentem omnino faciebant, omittuntur.* p) Et ſaepiſſime *non niſi priora commatis verba citantur*, licet

l) Pſachim, fol. 115, 1.

m) E. g. Maccoth, fol. 9, 2. lin. 17.

n) E. g. בלא ראות, ex Num. XXXV, 23. Maccoth, fol. 9, 2. lin. 17. Item: ויזי בהם ex Lev. XVIII, 5. Sanhedrin, fol. 74, 1. lin. 31. Item: והתעלמת, ex Deut. XXII, 1. Babha mezia, fol. 30, 1. lin. 37.

o) E. g. Brachoth, fol. 35, 2. ex Pſ. CIV, 15.

p) E. g. Schabbath, fol. 119, 2. ex Ier. VI, 11.

licet in ſequentibus demum lateat paobatio. q)

§. 655. Contra ea excitati effati *plura, quam quibus opus erat, verba* nonnunquam apponuntur. r) Verba ſuperflua citantur.

§. 656. Non deſunt quoque exempla, vbi excitati *effati verba mutentur.* Nimirum loco verborum in ſacro codice expreſſorum *ſynonyma* nonnunquam ponuntur; s) vel & *alia, dummodo in ſacro codice obuiis non repugnent.* t) Vel etiam *maioris perſpicuitatis ergo* (להוספת הביאור), *vocabulum inſeritur*; *verba* quoque nonnunquam *transponuntur.* u) Verborum mutatio.

§. 657. Notatu digniſſimum denique eſt, quod *corollaria* vel *axiomata ex* aliquo *ſacri* Loco ſacri codicis effati, elicitum ex eo corollarium ponitur.

q) E. g. Babha kama, fol. 60, 2. lin. 5. ex Eſ. XXVI, 20. Brachoth, fol. 6, 1. ex Deut. XXVI, 17. 18:

r) E g. Brachoth, fol. 3; 2. ex Iud. VII, 19.

s) E. g. Sanhedrin, fol. 7, 1. lin. 26. in Prou. XXIV 16. Item, ex Lev. XXVII, 19. pro, ויסף חמישית כסף ערכך עליו ונתן לו allegatur, ונתן הכסף וקם לו, Brachoth, fol. 47, 2. Kiddu-ſchin, fol. 54, 2. Babha mezia, fol. 54, 1.

t) E. g. Brachoth, fol. 61, 1. in 1. Sam. II, 11. pro הרמתה, ponitur אחרי אשתו. Quam tamen Talmudis lectionem auctores *τῶν* Toſephoth agnoſcere nolunt.

u) E. g Babha mezia, fol. 61, 2. ex Iob. XXVII, 17. pro, יכין, וצדיק ילבש legitur, יכין רשע וילבש צדיק. Chagigah, fol. 12, 2. ex Pſ. V, 5. pro לא יגורך רע, legitur, לא יגור במגורך רע. Brachoth, fol. 4, 2. in Dan. X, 13. particula מן inſeritur.

ſacri codicis effato elicita loco huius nonnunquam proferuntur, perinde acſi ipſius ſacri codicis verba eſſent. w) E. g. Loco Gen. XLI, 13: ויהי כאשר פתר לנו כן היה proferuntur verba, כל החלומות דולכין אחר הפה. x) Loco Eſ. LI, 21: עניה ושכורת ולא מיין vel loco Iob. XXXVI, 19: היערוך שועך לא בצר, producitur regula: בצר אל יורה. y) Ipſam Gemaram z) *hac* de re audiamus: עליו הכתוב אומר מהיות טוב אל תקרי רע ומי כתיב מהיות טוב אל תקרי רע יאין כתיב כהאי גונא אל תמנע טוב מבעליו בהיות לאל ידך לעשות *De eo codex ſacer dicit:* Cum bene audire poſſis, ne male audias. *Num vero haec verba*, cum bene audire poſſis, ne *male* audias, *in codice ſacro habentur? Omnino! ſed diuerſis verbis habentur,* (Prou. III, 27:) Petenti bene facere ne graueris, ſi penes te poſitum ſit.

CAP. XXXVII.

DE *TRADITIONIBVS MOSIS EX SINAI*

§. 658.

Traditio Moſis ex Sinai.

Traditio Moſis ex Sinai (מסרת ממשה בסיני vel הלכה למשה מסיני) eſt, deciſio in

w) Halichoth olam, p. 77. 78.

x) Brachoth, fol. 55, 2.

y) Erubhin, fol. 64, 1. Auctores autem τῶν Toſephoth, haec ex Siracide depromta eſſe. ſuſpicantur. Cum illius effata non raro iisdem formulis, quibus codicis ſacri effata, citari ſoleant.

z) Babha kama, fol. 8, 2.

in quaestione legis, cuius cum in pentateucho nulla vestigia sint, certam tamen ex perpetua traditione ex Mosis ore propagatam esse contendunt. Harum diuersae species sunt. 1. Quibus rerum, de quibus in pentateucho praecipitur, aliquis *modus determinatur*. E. g. In scenopegiae festo tabernacula, in quibus per octiduum habitent, construere per pentateuchum iubentur Israëlitae. Per traditionem Mosis ex Sinai se accepisse contendunt, quod haec tabernacula rite constructa habenda sint, si tertius vel quartus eorum paries non nisi vnius palmi (טפח) latitudinem habeat. a) 2. Per alias, *pentateuchi praecepto* concomitans aliquod *praeceptum ad latus ponitur*. E. g. Quod phylacteria (תפלין) loris (רצועות), & illis quidem nigris (שחורות), instructa esse debeant. b] 3. Nonnulla quoque *ad decorum pertinentia praecepta* huc referuntur. E. g. quod feminae praecinctoria gestare debeant. c)

§. 659. *Traditiones Mosis ex Sinai* non minus quam ea, quae in ipso pentateucho scripta sunt, רבר תורה, *Res legis*, per Gemaram salutantur. d) Neminique de illis dubitare, illisque nihil vel addere vel de- Auctoritas.

a) Sanhedrin, fol. 4. 1.
b) Schabbath, fol. 28, 2.
c) *Maimon.* Praefat. ad Seraim, fol. 58, 1.
d) Halichoth olam, p. 42.

demere licet. Si quis ante exiſtentem aliquem caſum traditionem Moſis ex Sinai proferat; fides ipſi habetur. Sin obuium caſum deciſurus ad eam prouocet; ſuſpecta illius fides eſt. e) Dici ſolet: אם הלכה היא נקבל, *Si traditio Moſis ex Sinai haec ſit, fidem illi adhibebimus*; ſin per ratiocinium ita argumenteris, eſt, quod opponamus. Reſponderi ſolet: הלכה אני אומר; *Omnino traditio Moſis ex Sinai eſt, quam ego propono.* Nonnunquam tamen de quacunque traditione à praeceptore accepta ita dici ſolet. f)

Formulae, quibus traditiones Moſis ex Sinai ſignificantur.

§. 660. *Traditionis Moſaicae ex Sinai* ſignum eſt, ſi dicatur, גמירי, *Didicimus*; vel הלכתא גמירי לה, *Conſtitutionem hanc didicimus*; vel, נקשינן, *Accepimus.* Quodſi vero vocabulum נקשינן de rebus hiſtoricis occurrat; de alia quoque traditione, quae Moſaica non ſit, accipitur. g) Traditionum quoque Moſaicarum ex Sinai ſigna ſunt, vbi ſequentes phraſes compareant: אימתי, *vbinam quaeſo hoc valet?* vel, במה דברים אמורים, *quonam quaeſo ſenſu haec verba ſunt accipienda?* vel, באמת אמרו, *profecto ita accepimus.* h)

CAP.

e) Iebhamoth, fol. 76, 2.

f) Halichoth olam, p. 89.

g) Hlichoth olam, p. 41.

h) *R. Samuelis* Manud. ad Gemar. p. 228.

CAP. XXXVIII.

DE *EXEMPLIS.*

§. 661.

Exemplorum (מעשים), poſt pentateuchum & traditiones, quas ab ipſo Moſe profectas eſſe contendunt, maxima in decidendis caſibus dubiis auctoritas eſt; quoniam proauos ſuos nihil temere egiſſe confidunt. Hinc in Miſchna & Gemara ad priſcorum exempla frequentiſſime prouocant. i) Cum tamen probatio ex pentateucho potior ſit; exempla, vbi illa habeatur, negligi, ſuo loco (§. 270.) vidimus. Exemplorum auctoritas.

§. 662. Si quod *exemplum* (מעשה) in Miſchna allegatum *deciſioni repugnare* videatur; auctores Gemarae cum admiratione quaerere ſolent: מעשה לסתור, *Hoccine vero exemplum deciſionem euertit?* Reſpondetur ad hanc obiectionem: חסורי מחסרא, והכי קתני *Deeſt aliquid* (in Miſchna,) *& ita dicendum erat.* k) Miſchnae verba, propter exemplum limitantur,

§. 663. Soluit quaeſtionem (בעיא) nonnunquam Gemara, per doctoris alicuius Gemarici facinus vel exemplum (ממעשה דאמורא), quae ex Miſchna ſolui poterat: משום דמעשה רב Exemplum deciſione fortius eſt.

i) E. g. Succah, fol. 2, 2. 28, 1. Schabbath, fol. 18, 1.

k) Bezah, fol. 24, 1. Halichoth olam, p. 40.

משום רמעשה רב, *quoniam exemplum decisione fortius est.* l)

CAP. XXXIX.

DE *DECISIONIBVS.*

§. 664.

Decisio. *Halachah* (הלכה) dicitur *decisio* cuiuscunque quaestionis vel casus dubii ad res praecepti & iuris pertinentis. Quales sunt *de licito & illicito* (היתר ואיסור), *de immundo & mundo* (טומאה וטהרה), de *causis pecuniariis* (דיני ממונות), *damnationis & absolutionis* (חוב וזכות). &c. m)

Licituni & illicitum. §. 665. Nulla in re scrupulosiores Iudaei sunt, quam si de *licito & illicito* (היתר ואיסור) quaestio sit. Intelliguntur *officia in deum*; & quid, *ex diuinae legis reuerentia*, religioso Iudaeo in quacunque cultus diuini parte *per conscientiam agendum sit vel intermittendum.* Vti *illicito* (אסור) *licitum* (מותר); ita *poenae obnoxio* (חייב) *à poena absoluendus* (פטור) opponitur.

Illicitum. §. 666. *Asar* (אסר), δέειν, *ligare*, vel *vincire*, quidem significat: si vero de agendis vel omittendis sermo sit, *vetare, prohibere, interdicere.* Hinc *asur* (אסור) vel *issur* (איסור) *vetitum, prohibitum, illicitum*, significat. Dicitur quoque *asur* [אסור] homo,

l) Iebhamoth, fol. 115, 2. Schabbath, fol. 21, 1. Halichoth olam, p. 68.

m) R. *Samuelis* Manud. ad Gemar. p. 95, 1.

homo, cui aliquid non licet, ſed interdictum eſt.

§. 667. *Hittir* [התיר], vel *ſchrah* [שרא, שרה], λύειν, *ſoluere*, *expedire*, quidem ſignificat: ſi vero de agendis vel omittendis ſermo ſit, *permittere*, *licitum declarare*. Hinc *heter* [היתר] vel *mutar* [מותר] vel *ſchare* [שרי] eſt *licitum, permiſſum, conceſſum*. Dicitur quoque *mutar* [מותר] homo, cui aliquid licet, vel conceſſum eſt. Licitum.

§. 668. Quando in Talmude *res* aliqua *licita* dicitur [ריבר זה מותר]; non ſemper indicatur, eam abſolute omnique reſpectu licitam eſſe; ſed nonnunquam tantummodo, eam aliquo reſpectu eſſe licitam. n] E. g. *Sanguis reptilium* (דם שרצים) per interdictum de ſanguine non comedendo non interdictus, ſed licitus pronunciatur. Illicitus tamen eſt, propter interdictum de non comedendis reptilibus. o) Reſpectiue licitum.

§. 669. *Chobh* [חוב] ſignificat, *delinquere, reum eſſe vel fieri, poenae obnoxium eſſe vel fieri*. *Chaiiebh* (חייב), *reum pronunciare, condemnare, poenae ſubiicere*. Nomen *chobh* [חוב] vel *chiiubh* [חיוב] eſt *reatus, condemnatio ad ſubeundam poenam*. Denique *chaiiebh* [חייב], *improbus, reus, poenae obnoxius*. Poenae autem vocabulum tam late Poenae obnoxius.

n] Halichoth olam, p. 87, 88.

o] Crithuth, fol. 20, 2. 21, 1. 2.

late accipitur, vt nonsolum diuinam omnisque generis humanas poenas proprie sic dictas, verum etiam obligationem *sacrificium piaculare* [חטאת] offerendi significet.

Poenae absoluendus.

§. 670. *Ptar* [פטר], *liberum pronunciare*, significat; si de licitis & illicitis sermo sit, non ab obligatione, sed *à poena.* Hinc *patur* [פטור] dicitur is, qui *à poena immunis* est; qui poenae absoluitur, licet egerit, quod facere nefas erat. Ita quoque dicitur, *res*, quam si quis faciat, *poenae reum non faciat*; licet eam facere *nefas* sit.

Tres illicitorum & licitorum classes.

§. 671. Tres rerum illicitarum & licitarum classes faciunt Iudaei. 1. Sunt *res illicitae, in quibus qui peccet, poenae se obnoxium facit.* [אסור וחייב]. 2. Sunt vero etiam *illicita, propter quae poena non infligitur.* [פטור אבל אסור]. 3. *Licita* denique *poenam non merentur.* [פטור ומותר].

Res, quas sabbatho facere nefas & licitum est.

§. 672. Vbi de rebus, quas sabbatho facere nefas quidem sit, si quis tamen eas faciat, impunis abeat, (פטורים בשבת), legitur: פטור אבל אסור לבר מחלת, *Si quis haec faciat, non punitur quidem, facere tamen ea nefas est, exceptis tribus*; exceptio ita accipienda est, quod tribus illis faciendis non solum poenae periculum nemo incurrat, sed quod recte quoque fiant. [פטור ומותר]. p]

§. 673.

p] Schabbath, fol. 107, 1. Halichoth olam, p. 46.

§. 673. Qui decidendi facultate polleat, *Moreh vedaian* [מורה וראין] appellatur. Dicitur nimirum *Daian* [דאין], *iudex*, qui in *rebus pecuniariis* [דיני ממונות] cognoscere possit. *Moreh* [מורה], *doctor*, autem est is, qui de *licitis & illicitis* [היתר ואסור] responsendi facultate sit praeditus. Quomodo in casibus dubiis decidendis versentur, supra (§. 18.) iam exposuimus. Decidendi facultate praeditus.

§. 674. *Horaah* (הוראה) dicitur *responsum*, quod de licito vel illicito ambigenti & doctorem consulenti, quomodo in casu se offerente, qui per priscos doctores nondum sit decisus, vel cuius saltem decisio ipsi incognita sit, se gerere debeat, datur [כשמורה על מעשה שבא לפניו ברבר שיש בו חידוש לשואל]: vt adeo responsurus vel suo ipsius iudicio, collatis dubitandi & decidendi rationibus, primus eum decidere cogatur [יורה דבר מלבו ויסמוך על ראיותיו]; vel proferre antiqui doctoris ceteris incognitam decisionem. q] Verbum, *horah*, (הורה) sine addito positum ordinarie *permissionem* significat. [סתם הוראה לקולא]. Non desunt tamen exempla, vbi *interdictum* quoque significet. r] Responsum.

§. 675. Distinguunt Iudaei inter eum, qui de licitis & illicitis *docendo sententiam suam* Quid inter doctrinam & responsa interfit.

q] Tosephoth ad Eruhin, fol. 62, 2.

r] Halichoth olam, p. 87.

ſuam profiteatur (לימד), & eum qui *reſponſa det conſulentibus* (הורה לעשות). Illud facere cuique licet; & ſi erratum fuerit, erronea doctrina auctorem ſuum poenae non ſubiicit. Hoc autem facere cuiuis non licet, & commiſſus in reſpondendo error punitur. Non tamen ante reus ſit reſpondens, quam id, quod ipſum facere iuſſerat, exſequutus ſit conſulens. s)

Ne niſi promotus reſponſa det.

§. 676. De licitis & illicitis reſpondere nemo audeat niſi rite promotus (סמוך), acceptaque à praeceptore ſuo poteſtate (ברשות רבו.) t) Quin ne promoto quidem, praeceptore viuo, id facere licet, niſi per praeceptorem ſuum ſit promotus; neque per praeceptorem promoto, niſi vltra tres paraſangas vel duodecim millia paſſuum ab illo abſit. u) Omnino autem excluduntur immaturi, & qui illos nondum fecerunt profectus, vt tam arduo negotio pares haberi poſſint (שלא הגיע להוראה). w) In hos, ſi reſponſa dare audeant, dicta eſſe contendunt iſta Salomonea: *Multos confoſſos abortu occidit.* x) Et, *Vulpeculae minores, quae vineas deuaſtant.* y)

Res licita propter illicitam prohibetur.

§. 677. Res lege Moſaica licita (היתרא) propter illicitam (אסורא) nonnunquam prohi-

s] Horaioth, fol. 2, 1.
t] Sanhedrin, fol. 5, 2.
u] Erubhin, fol. 63, 1. Sanhedrin, fol. 5, 2.
w] Abhodah ſarah, fol. 19, 2.
x] Prou. VII, 26.
y] Cant. II, 15.

prohibetur. Id quod hac formula exprimi ſolet: גזרינן הא אטו הא, *Rem hanc propter illam prohibemus.* z) Monent vero, prohibendam tantum eſſe rem licitam propter illicitam, ſi haec ſimilis illi ſit (והינו רוקא ברבים המתרמים), vt propter ſimilitudinem licita cenſeri vtraque poſſit. [ומיחלף להו לאינשי למשרי האי בהאי:] non, ſi diſſimiles ſint (עיאינם מתרמום), vt non ſit, cur id timeatur. Ne quoque proceſſus in infinitum detur; ſi propter rem illicitam A interdicta ſit res licita B, rem C huic B ſimilem interdici debere negant (גזירה לגזירה לא גזרינן). zz) Quodſi tamen B & C illius naturae ſint, vt, licito C, non poſſint non transgredi B; tum C qnoque prohibetur. (דאי לא הא לא קיימא הא) a) Si plures res, B, C, D, &c. licitae rei vni illicitae A ſingulae ſimiles ſint; propter vnam hanc ſingulae illae prohiberi poſſunt. (כולהו חדא גזירה היא) b)

§. 678. De rebus dubiis ad caſum, qui aliquando extiterit & inter doctores ventilatus fuerit, prouocare ſolent. Id quod hac formula fit: עובדא הוה ברבי פלוני ורבי פלוני בי רבי פלוני וכו', *Hic caſus obuenit doctori N. N. qui de eo conſuluit doctorem* Prouocatio ad caſum iam deciſum.

z] E. g. Bezah, fol. 18. 1.

zz] Chulin, fol. 104, 1. conf. Toſephoth ad h. l.

a] Schabbath fol. 14, 1.

b] Bezah, fol. 3, 1. Halichoth olam, p. 35. 36.

ctorem N. N. & porro in ſchola doctoris N. N. ventilatus fuit. c]

Deciſiones ſpuriae & legitimae.

§. 679. Sunt *deciſiones* aliquae, *ad quas ſi quis actiones ſuas direxerit, non peccauit* quidem; *nemo* tamen, vt id faceret, *conſulenti auctor futurus fuiſſet.* De his dici ſolet: הלכה ואין מורין כן, *Ita quidem deciſio habet. Attamen conſulenti auctores eſſe nolimus, vt eam ſequatur.* Recte quidem fecit (ברויעבר). Si tamen doctorem conſuluiſſet; is id ſuadere non debuiſſet (לכתחלה]. d] In his Pinchaſi, Simraeum occidentis, facinus numerant. e] Diſtinguitur igitur inter has & eas *deciſiones, ad quas actiones ſunt dirigendae.* Talem ſi quis protulerit; dici ſolet: הורה פלוני הלכה למעשה, Ita doctor N. N. hanc rem decidit. Ad quam deciſionem actiones ſunt dirigendae. f]

Deciſiones certae & dubiae.

§. 680. Deciſio, cui ſubiungitur: הלכה כפלוני *Deciſionem doctoris N. N. hac in re ſequimur*, ſine oppoſiti formidine vt genuina & certa pro cathedra publice proponitur (ורשינן בה בפרקא). Cui vero tantummodo ſubiungitur: אזהג כפלוני, *Doctoris N. N. ſententia in conſuetudinem abiit*, id pro indubitato non habetur; conſulenti tamen, vt id ſequatur, reſpondetur. De quo denique tantummodo dicitur, נהגו,

c] Halichoth olam, p. 37. e] Sanhedrin, fol. 82, 1.
d] E. g. Schabbath, fol. 12, 2. f] Halichoth olam, p. 38. 39.

נהגו, *ita facere consueuerunt*; id neque pro cathedra sine oppositi formidine proponitur, neque consulenti vt id sequatur respondetur; si tamen ipse id sequatur, non prohibetur. g]

Doctoris antiquioris decisio recentiori nonnunquam tribui videtur.

§. 681. In Talmude nonnunquam legitur, doctorem antiquiorem protulisse decisionem doctoris recentioris N. N. [הלכה כפלוני]. Quilibet facile intelligit, hoc in casu verba ita accipienda non esse, quod ad decisionem per recentiorem doctorem factam prouocauerit, eamque approbauerit. Quod ne historiae ignarus lector suspicetur; Gemara admirabunda subiicere solet: והא איכהו קשישי מיניה טובא *At ille hoc multo est antiquior.* Quis igitur verborum sensus est? Docetur, antiquiorem illum doctorem rem hanc decidisse, & eam quidem decisionem dedisse, quam doctor recentior N. N. dein publicauerit. *Dixit* antiquior ille doctor *decisionem.* Quamnam vero? *Eam, quam doctor N. N. suam fecit.* h]

Decisio latius patens.

§. 682. Si duae res A & B ita comparatae sint, vt, si A in licitis uumeretur, B in illis vel magis numeranda sit; sin B in illicitis numeretur, A in illis vel magis numeranda sit; duorum autem doctorum alter vtramque licitam, alter vtramque illicitam pronunciauerit: nonnunquam in Talmude

g] Erubhin, fol. 62, 2 Halichoth olam, p. 44.

h] Halichoth olam p. 59, 88. 89.

de, missa facta re B, de sola re A dicitur, quod doctor alter eam in licitis, alter in illicitis posuerit. Quaeri igitur solet, cur non potius exponatur, quod eodem modo de re B senserint. Respondetur: להוריעך כחו דמלוכי, *Vt appareret, quam late doctoris N. N.* (rem A in licitis ponentis,) *decisio pateret.* Id est, cum rem A in licitis ponat; per se clarum est, quod rem B in *licitis* quoque ponat. Quaeri porro solet, cur non potius dicatur, quod doctor alter rem B in illicitis quoque numeret; ex quo intelligi potuisset, rem A per eum in illicitis vel magis numerari. Respondetur: כחה דהיתרא עדיף שפי לאשמעינן, *Praestat permissionem quam interdictum recensere.* Quia facilius est, prohibere, quam permittere. Permittere enim, nisi firmissimis talis permittentis sententia nitatur, nefas est. Si sine ambagibus id fieri potuisset; moneri denique solet, quod per adiecta pauca verba doceri potuerit, doctorem alterum rem vtramque A & B in licitis, alterum autem vtramque in illicitis numerare. i)

Determinatio quantitatis cibi & potus.

§. 683. Si de cibo vel potu sermo fit, & dicatur: כדי לאכול בו, *quocum comedi possit*, vel: כדי לאכול בהם, *quibuscum comedi possit*; significatur quantitas panis vel alius cibi cum isto cibo vel potu, de quo ser-

i] E. g. Bezah, fol. 2, 2. Conf. *Raschi* & Tosephoth ad h. l. Halichoth olam, p. 45. 67. 68.

ſermo eſt, tanquam condimento, comedendi. Sin vero dicatur: כדי לאכול הימנו vel כדי לאכול מהם, *de quo comedatur*; ipſius illius cibi, de quo ſermo eſt, quantitas ſignificatur. k)

§. 684. Vitio Talmudicis quam maxime datur, quod de diſſentientium doctorum ſententiis nonnunquam dicunt: אלו ואלו דברי אלהים חיים, *Vtraque ſunt verba dei viui.* At vero nonſolum quam maxime excuſabile hoc eſt; ſed nihil prorſus vitii habet. Quippe ita dicere conſueuerunt, ſi de qua re, quae legis Moſaicae non ſit, ſed tantummodo ſtatutum doctorum ad faciendam legi Moſaicae ſepem (סייג לתורה), duorum doctorum diſſentientium diſſenſus diuerſis ratiociniis nitatur, quae ſe inuicem ita oppugnent, vt neutrius deciſionem pro falſa reiicere Gemarae auctores auſi ſint. Cum enim, pro caſuum diuerſitate, quorum exigua varietas efficiat, vt nunc illum nunc hunc rectius ſenſiſſe ſuſpiceris, difficile eſſet, vnius ſententiam alterius ſententiae praeferre; ſuam hiſce verbis haeſitationem confeſſi auctores, Gemarici, vtrumque bene diſputaſſe, ſeque illi liti componendae impares eſſe, ſignificant; liberamque vnicuique, alterutrius deciſionem pro agendi norma ſibi eligendi, poteſtatem faciunt. Ita ſane ipſi

Vtraque ſunt verba dei viui.

Iudaei

k] Halichoth olam, p. 44. 45.

Iudaei haec explicant. l] Et ita explicari debere, loca Talmudis, m] in quibus ista verba comparent, testantur.

Propriae confessioni fides habetur.

§. 685. Si quis se rei alicuius illicitae ipse arguat; simul tamen afferat, quod pro se quodammodo excusando facere possit: de vtroque fides illi habetur. Quippe dicunt: הפה שאסר הוא הפה שהתיר, *Contra se ipsum dicenti non magis quam pro sedicenti adhibenda fides est.* n]

CAP. XL.

DE
DOCTRINA MORALI.

§. 686.

Aggadoth quid sint.

Aggadoth [אגדות vel הגדות], *doctrinam moralem* reddimus; quoniam haec in plerisque illis parabolicis discursibus latet. Nimirum est *Haggadah* [הגדה], *historia, fabula,* vel *parabola Talmudica*, cui varia, pro orientis more, artificiose sunt inuoluta. Plerumque quidem res ad bonos mores, vel honestum & decorum, pertinentes. Nonnunquam vero etiam philosophica, metaphysica, physica, medica, alia, in illis latent. Sacri codices effata per prouerbia, similitudines, metaphoras, [משלים], aenigmata [חורות], tropos [מליצית], emblemata, cetera, artificiose explicant

&

l] Halichoth olam, p. 77.

m] E. g. Erubhin, fol. 13, 2. Similes phrases vid. Chagigah, fol. 3, 2.

n] Ktubhoth, fol. 18, 2.

& applicant. Allegoricas legum, ceremoniarum, rituum, dant expoſitiones. Etſi quae ſint praeterea harum parabolarum ſpecies. In ſingulis oratio figurata eſt, ſublimis & ſymbolica; qua orientis incolae delectantur. Ponitur effectus pro cauſa, haec pro effectu, ſignum pro ſignato, cetera. Deque ipſo deo vt de rebus creatis, ſacro codice maxime praeeunte, loqui non verentur. [מרמין צורה ליוצרה]. Egregie falletur, qui harum parabolarum auctores, vt ea, quae dicuntur, proprie acciperentur, voluiſſe ſuſpicetur. Quod vero earum ſatis multae ſint, quibus quid priſci intenderint, nemo hodie vel Iudaeorum vel Chriſtianorum dicere poſſit, non mirabitur is, qui non ignoret, quam difficile propter multa ſit, verum parabolae auctoris ſenſum, niſi idem explicationem dederit, inueſtigare. In nonnullis, quid humeri valeant quid ferre recuſent, experiri tentabimus.

§. 687. Gentis Iudaicae exilia & calamitates ſub extraneorum iugo pinguntur, quando o] *R. Elieſar dixit: Noctis tres ſunt vigiliae; quibus ſingulis deus ter optimus maximus ſedet & rugit inſtar leonis. Nam ſcriptum eſt,* [Ier. XXV, 30:] *Deus ex coelo rugit, ex habitaculo ſuo ſancto edit vocem ſuam*

Tres noctis vigiliae; & deus rugiens.

o] Btachoth fol. 3, 1.

ſuam. Rugiendo rugit propter templum ſuum. Cuius rei haec ſunt ſymbola. Vigilia prima aſinus rudit. Secunda, canes latrant. Tertia, puer ſugit ex vberibus matris ſuae, & vxor cum marito ſuo confabulatur. NOX, *ſeculi praeſentis* in oppoſitione vitae aeternae, vel *ſtatus calamitoſi* & *exiliorum* (גלות) in oppoſitione ſperatae in Meſſiae regno felicitatis, ſymbolum eſt. p) *Tres* noctis *vigiliae* ſunt tres temporis periodi, quibus Iudaei ſub quatuor extraneorum imperiorum iugo gemuerunt. Qualia autem imperia ſignificentur, beneuolo lectori ipſi inueſtigandum relinquimus. Ad Ieremiae vatis imitationem, *deus* ad haec *rugire* dicitur; id eſt, aegre ferre illatas genti ſuae iniurias, eorumque hoſtibus ſeueram minari vindictam. *Sedet* tamen rugiens deus, in praeſenti tolerans, vt ſub exterorum iugo gemere cogantur Iudaei.

Phylacteria dei.

§. 688. Sereniora Iudaeis fata *dei phylacteria* ſpondent. Quippe q) *dixit R. Abhin filius Rabh Adae, dixiſſe R. Iſaacum: Vnde intelligimus, deum ter optimum maximum applicuiſſe phylacteria? Ex eo, quod dicitur,* (Eſ. LXII, 8:) *Iurauit deus per dextram ſuam, & per brachium ſuum robuſtum.* Per dextram ſuam, *id eſt, per legem. Dicitur*

p] Pſachim, fol. 2, 2: עולם הזה שהוא רומה ללילה, *Seculum hoc, vel exilium, quod nocti ſimile eſt.*

q] Brachoth, fol. 6, 1.

tur enim, (Deut. XXXIII, 2:) *Per dextram ſuam legem igneam dedit illis.* Et per brachium ſuum robuſtum, id eſt, *per phylacteria.* Quoniam dicitur, (Pſ. XXIX, 11:) *Deus robur populo ſuo dabit? Vnde vero intelligitur, phylacteria per robur Iſraëlitici populi intelligi? Ex eo, quod ſcriptum eſt,* (Deut. XXVIII, 10:) *Et videbunt omnes gentes terrae, te dei populum appellari, & timebunt te. In Exoticis autem R. Elieſar magnus dicit, his verbis ad phylacteria capitis reſpici. Dixit Rabh Nachman filius Iſaaci Rabh Chiiae filio Abhin: Quid in phylacteriis domini huius vniuerſi ſcriptum eſt? Reſpondit illi:* (1. Chron. XVII, 21:) *Quaenam gentium terrarum orbis genti tuae Iſraëliticae ſimilis eſt? Num vero hoc honori ſibi ducit deus, quod ab Iſraëlitis concelebratur? Omnino! Scriptum enim eſt,* (Deut. XXVI, 17. 18:) *Deo promiſiſti hodie. Et ſequitur: Deus vero pollicitus eſt tibi hodie. Nimirum dixit deus ter optimus maximus Iſraëlitis: Vos me vnicum veſtrum in terris peculium feciſtis; Et ego vos vnicum meum in terris peculium faciam. &c.* Vti Iſraëlitica gens, ſe legibus diuinis parere velle, promiſit; ita deus pollicitus eſt, hanc ſibi gentem prae ceteris omnibus curae cordique futuram. Iam *phylacteria* (תפלין) *ſignum* (אות) Iudaeis ſunt, quibus ſui officii admoneantur; r)

r] Erubhin, fol. 96, 1. ma-

magnumque eorum ſunt *ornamentum* [יקר] s] Deus ſuae promiſſionis, genti huic factae, nunquam obliuiſcetur; id quod ipſi glorioſiſſimum eſt. Quae *dei veracitas & gloria* per tributa illi *phylacteria* pingitur. Cetera facile intelliget, qui eorum, quae de Iudaeorum ſacri codicis effata explicandi & applicandi modis ſupra diximus, non immemor fuerit.

Sacrificium piaculare neomeniae feſti.

§. 689. Quid vero de *ſacrificio piaculari neomeniae feſti* fiet? t] *Dixit R. Iuda, dixiſſe Samuelem: Quid mouit R. Iudam, vt id,* [quod in Miſchna habetur,] *ſtatueret?* RESP. *Verbis,* [Num. XXVIII, 15:] Et hoedum caprarum vnum in ſacrificium piaculare deo, *indicatur, quod per hunc hoedum non niſi illa peccata expientur, quae commiſſa eſſe ſolus deus ſciat.* OBI. *At his verbis opus eſt ad id, quod Reſch Lakiſch dixit: Quippe dixit Reſch Lakiſch: Quaenam cauſa eſt, cur diuerſo modo de neomeniae hoedo pentateuchus loquatur; nimirum, addendo, DEO? Dixit deus ter optimus maximus: Hic hoedus expiatio eſto, quod minorem feci lunam.* RESP. *Si ita ſe res haberet, dici debuiſſet? PRO DEO. Cur igitur, DEO, dicitur? Propter id, quod modo diximus.* OBI. *Statuamus igitur, non niſi id hoc vocabulo ſignificari.* RESP. *Si ita ſe res haberet, dici debuiſſet, SACRIFICIVM PIACVLARE DEI.*

s] Megillah, fol. 16, 2. t] Schbhuoth, fol. 9, 1.

DEI. Iam igitur cum, DEO, scriptum sit; vtrumque isto vocabulo significari intelligis. Deus omnia sapientissime condidit. Quaeri possit, cur creaturis nonnullis praerogatiuas dederit deus, quibus aliae destituantur. Exempli gratia, cur lunam sole fecit minorem? At vero tanta summi numinis sapientia & bonitas est, vt nulla creatura se neglectam deque suis imperfectionibus conquerendi materiam habeat. Licet solem magnitudine non aequet luna; menstrua tamen sua innouatione, qua minores temporum periodos metitur, illum superat. Quare, si hominum more de deo loqui velimus, magnitudinis defectum hac praerogatiua emendauit. Id est, tam sapienter omnia fecit, vt creatura quaelibet, licet his vel illis perfectionibus careat, perfecta tamen dici possit: vtque nasutulis hominibus omnis de diuinis operibus arroganter & incaute praeiudicandi praecisa materia sit. Iam *sacrificiis piacularibus* ea, quae *minus recte* sint *facta, emendantur, Neomeniae* igitur *sacrificio* piaculari homines admonentur, *deum tam perfecte omnia condidisse, vt emendatione non indigeant.* Quodsi enim imperfectionem in creatura aliqua se detexisse suspicari possint homines; oculatiores tamen animaduersuros, quod hunc defectum alia quaedam perfectio suppleat. De lunae perfectionibus,

quam ſole imperfectiorem eſſe incauti ſomniare poſſint, neomeniae feſtum & ſacrificium piaculare teſtari: quod nimirum non opera diuina, ſed hominum de iis peruerſe iudicantium ſtultitia, emendatione indigeat. Quin hoc ſacrificio *delicta ab inſcientibus commiſſa expiantur*; adeoque illi quoque hominum imperfectioni, qua inſcii peccant, remedium per deum fuit inuentum.

In parabolis ne temere fingatur.

§. 690. Licet *figurate & hyperbolice* in hiſce ſuis parabolis loquantur doctores Talmudici; *operam* tamen *dederunt*, ne ſuis *hyperbolis nimis longe exſpatiarentur*, & res fingerent, quibus ſimiles in rerum natura prorſus non deprehendantur. Hinc *Rabban Gamaliel, Meſſiae temporum felicitatem per hyperbolas exaggerans*, diſcipulo ſibi quod de *Vtopia* loquatur exprobranti oſtendit, iis, quae dixerat, ſimilia in rerum natura non deſiderari. u)

In deum irreuerenter non loquuntur.

§. 691. *In deum* quoque *irreuerentiae facile abſoluantur Talmudicae parabolae.* [§. 11.] At *deo tonſore barbam & caeſariem amiſit Sancheribus rex.* w) Amiſit ſane ille, vt ceteri quoque improbi per eundem tonſorem amittunt, nonſolum barbam & caeſariem, verum etiam capita & vitam. Quidni enim

u] Schabbath, fol. 30, 2.

w] Sanhedrin, fol. 95, 2. 96, 1.

enim cum Talmudicis ita loquamur? Quod enim *Esaiae*, viro diuino, vitio verti nequit; quomodo id in nobis & Talmudicis reprehendatur? Non sane peccant, *id, quod Esaias* x] *dixerat, Sancheribo vsu veniſſe*, dicentes. Quae in eadem parabola de angelis dactylorum nucleos commolentibus habentur, ea rectius fortaſſe intelligeremus, ſi hiſtoriam de Sancheribi in Palaeſtina clade plenius cognitam haberemus. Obſeruabit Talmudis lector, qui veritatis quam odii in Iudaeos ſtudioſior ſit, eos *admodum eſſe cautos, ne indigne de deo* loquantur; nec *phraſibus, quae corporeas ideas importare videantur*, de eo vtantur, *niſi ad ſacrorum ſcriptorum* id fiat *imitationem*. Vt vero arrectiores audientium aures eſſent: *per parabolas*, quibus iſti homines mirum in modum delectarentur, *doctrinam* illis *propinare* amabant. Quibus *quo inſolentiora* proponerentur, *eo auidius audiebantur*.

CAP. XLI.

DE *DISPVTATIONE GEMARICA.*

§. 692.

Disputatio Gemarica.

In Miſchnam ita *commentatur Gemara*, vt *ſingula* illius *verba*, quae quidem explicatione indigeant, *explicet*; nulla temere abun-

x) Es. VII, 20.

abundare, & nulla facile desiderari ostendat; *inque decisionum* in ea obuiarum *fontes & auctores inquirat.* Ex his autem easuum in Mischna disertis verbis non decisorum *decisiones deducit.* Quem in finem doctorum Mischnicorum de iis ex Exoticis depromit, hisque Gemaricorum ad latus ponit disputationes. *Exoticorum & Tosiphtae effata examinat*, num cum Mischna concordent necne, & quosnam auctores agnoscant; quo de decisionibus iudicium ferri possit. Quae vero à priscis disputata nondum fuerant, de iis ipsi Gemarae auctores anquirunt; quorum disputationes *Setam Gemara* (סתם גמרא) salutantur. Seris denique posteris *suis* prospexerunt, ne hi nescirent, *quid* in obuio sibi nouo dubio casu esset faciendum. Horum enim in gratiam nonsolum *infinitorum* ante *decisorum & fictorum casuum decisiones* apponunt; quo ad earum imitationem nouas decisiones facere discerent: Verum etiam *regulas dant, quorumnam Mischnicorum doctorum sententiae praeferendae* sint; contra Mischnam *dubia mouent*, ea *soluunt*; tamque prolixe de singulis disputant, vt *rationes eruantur, ob quas* aliae *sententiae adoptentur*, aliae reiiciantur, *Axiomata* denique dant, vel saltem ad ea formanda materiam suppeditant; ad quorum normam *in disputando & decidendo* sit. procedendum.

§. 693.

§. 693. Haec igitur praecipua *Gemarae momenta* sunt 1. *Explicatio* [פירוש]. 2. *Interrogatio* (שאלה). 3. *Quaestio* (בעיא). 4. *Responsio* (תשובה). 5. Suspensio iudicii (תיקו). 6. *Obiectio* (קושיא). 7. *Refutatio* (תיובתא). 8. *Contradictio* (רמיה). 9. *Ad factam explicationem prouocatio* (הויה). 10. *Argumentatio* (התקפתה). 11. *Dubii solutio* (פירוכ). 12. *Dubii declinatio* [שנוי]. 13. *Suppetiae* [סיוע]. 14. *Disputatio de superflue dictis* (הצרכה). 15. *Doctorum consensus* (שיטה). 16. *Discursus Gemarae prolixior* [סוגיא]. De decisionibus [הלכה] enim, *responsis* (הוראה), & *parabolis* [אגדה] iam diximus. y] Ex quibus apparet, Gemaram perpetuae & variae *disputationis* [משא ומתן vel שהלא ושריא) esse complexum; in qua vel prisci doctores vel ipsi Gemarae auctores *disputent* [נושאין ונותנין]. Quam adeo linguarum orientis vel peritissimus non intelliget; nisi, quando *opponens* [מקשן] vel *respondens* [תרצן] loquatur, distinguere probe didicerit; illorumque, quae modo nominauimus, Gemarae momentorum formulas & signa cognita habeat. Illius momenta.

I.

Explicatio Mischnae.

§. 694. *Perusch* [פירוש], textus *Mischnae explicatio* dicitur. Nimirum si quid obscuri, ambigui, vel difficultatis, Mischnae

y] *R. Sam.* Manud. ad Gem. p. 223.

nae verba habeant; explicantur, genuinusque eorum ſenſus datur. z] Vbi hae formulae notari merentur. מאי קאמר, *Quid ſibi haec verba volunt?* מאי היא, *Quid haec ſibi volunt?* כמאי אוקמינן, *Quomodo quaeſo Miſchnae verba intelligamus?* במאי עסקינן, *De quonam quaeſo hic ſermo eſt?* Si quid in Miſchna legatur, quod ad rem praeſentem prorſus non pertinere videatur; dicitur: מאן דכר שמיה, *De eo quis quaeſo cogitaſſet?* a] Si intellectu difficilius ſit, de quonam caſu Miſchnae verba ſint accipienda; quaeritur: היכי דמי, *Quomodo, quaeſo, haec interpretemur?* Plura ad Miſchnae explicationem pertinentia ſupra b] iam expoſuimus.

Exoticorum explicatio.

§. 695. Non minorem in excitatis Exoticorum effatis explicandis diligentiam adhibent. Quae doctor Gemaricus ita non raro explicat [אוקי ברייתא], vt ſibi aduerſentur; cum tamen explicare potuiſſet, vt ſuae ſententiae ſuppetias ferrent. Nimirum ſi explicationem ſibi aduerſantem magis genuinam eſſe intelligat. c)

II.

Interrogatio.

§. 696. *Schaalah* (שאלה), *interrogatio* dicitur, qua vel caſus exiſtentis deciſio petitur,

z] Ibid. p. 224.
b] Cap. II. §. 111. ſeqq.
a] E. g. Bezah, fol. 8, c] Halichoth olam, p. 1. 70.

titur, d) vel rationis expoſitio. e) Si accuratius philoſophari velimus; cum *quaeſtione* (בעיא), quod tamen non raro fit, confundi non debet.

III.

§. 697. *Baaia* (בעיא), *quaeſtio* eſt, qua caſus dubius fictus, qui ita comparatus ſit, vt & pro affirmatiua & pro negatiua, vel & pro licito & illicito, diuerſae rationes pugnent, proponitur, illiusque deciſio petitur. f) Quaeſtio.

§. 698. Si plures ex pluribus quaerant, dicitur: איבעיא להו, *Quaeſitum eſt illis*; i. e. Diſquiſiuerunt illa de re doctores pro & contra diſputantes [חכמים בני הישיבה שהיו נושאים ונותנים באותה הלכה]. Si plures ex vno: בעו מיניה, *Quaeſtionem illi propoſuerunt*. Si vnus ex vno: בעא מיניה, *Quaeſtionem illi propoſuit*. g) Interdum à proponente vel proponentibus quaeſtionem reſponſio, quae ad eam dari quidem poſſit, non vero apta futura ſit, ſubiungitur ope formulae, אית״ל, i. e. אם תמצי לומר, *Quodſi dicas, &c.* Et dein ſtatim dubium contra illam reſponſionem ſubnectitur. Quodſi ſolui, ſolutionique nouum dubium opponi poſſit; id iterum ope verborum Formulae quaeſtionis.

d] E. g. Brachoth, fol. 24, 2. lin. 37. Schoroth, fol. 36, 1. lin. 39. Conf. Toſephoth ad h. l.

e] E. g. Schabbath, fol. 31, 1. lin. 6. ſeqq.

f] *Sam.* Manud. ad Gem. p. 224.

g] Ibid.

borum אם תמצי לומר, *quodsi dicas*, opponitur. Et sic porro. h) Hae responsiones, ope verborum את"ל quaestionibus per ipsum quaerentem subiunctae, rem, de qua quaeritur, licitam plerumque pronunciant; quam illicitam esse quaerens suspicatur; vel rationes petit, quibus eam permittentis sententia stabiliri possit. i) Qualis tandem, de qua quaeritur, decisio sit; ex responsione (תשובה) intelligitur. Vel si de decisione dubitetur; iudicium suspenditur. (תיקו).

Plurium quaestionum saepe non nisi vna proponitur.

§. 699. Si duae pluresue quaestiones proponi possint; illa earum saepe tantummodo proponi solet, quae ita sit comparata, vt ex responsione ad eam intelligi simul possit; quid de ceteris sit statuendum. Quod vbi fiat; dici solet: ותיבעי וכו', *At id quaerere quoque poteras.* Respondetur: סברי ליבעי מיניה חדא דפריש, לן תרתי *At vero qnaestionem hanc proponere malui; ad quam si responsum esset, responsione cetera non indigerent.* k) Nonnunquam autem quaestionis auctor hunc in modum respondet: השתא פלוני קמיבעיא לי – פלוני מיבעיא, *Egone vero, qui de* (leuiori) *hoc casu quaero, de* (grauiori) *isto quaeram?* Id est, de isto casu, de quo tu quaeri debere mo-

h] E. g. Kiddusehin, fol. 7, 2. Babha mezia, fol. 24, 1.

i] Halichoth olam, p. 73. 74.

k] E. g. Chulin, fol. 52, 1. Halichoth olam, p. 71. 72.

mones, quaerere ego prorſus ſuperuacaneum duco. Quippe cum de re quaeram de qua non poſſit non mitius ſtatui, ſi de illa, de qua tu loqueris, mitius ſtatuendum ſit; de hac tua pro grauiori ſententia reſponderi debere, extra controuerſiam poſitam eſſe ſuppono. l) Sin iſtius naturae illa, quam proponere monetur, quaeſtio ſit, vt de ea non minus dubitet; perque reſponſionem ad propoſitam quaeſtionem illi non ſatisfactum iri praeuideat: quaeſtionum auctor reſpondere ſolet: מגו חרא חרא קא מיבעיא ליה, *At vero dubium hoc illi originem debet.* Id eſt, non erat, cur id quoque quaeri poſſe me admoneres. Hoc enim ego ipſe praeuidi. Vbi igitur ad hanc reſponderis, iſtam non minus quaeſtionem ordo tanget. m)

IV.

§. 700. *Tſchubhah* (תשובה), *conuictio* vel *confutatio* quaelibet dicitur. Hinc ſolida ad propoſitam quaeſtionem (בעיא) *reſponſio* (תירוץ vel פששא) hoc nomine venit. n) Interdum autem valida quoque alterius ſententiae oppoſita *obiectio* [קושיא vel פירכא] ita appellatur. Reſponſio ad quaeſtionem.

§. 701. Nonnunquam ad alterius quaeſtionem reſponſurus ipſiſſima illius verba cum Per quaerentis verborum repetitionem facta.

l] E. g. Ktubhoth, fol. 53, 1.

m] E. g. Abhodah ſarah, fol. 52, 1. Halichoth olam, p. 72. 73. 74.

n] *R. Sam.* Manud. ad Gemar. p. 224.

cum admiratione repetit. E. g. Quaerit alter: מנא לן, *Vnde hac de re conſtat?* Reſpondet alter: מנא לן, *Vndenam de eo conſtet*, quaeris? Item, quaerit alter: מאי הוי עלה, *Quaenam tandem huius rei deciſio eſt?* Reſpondet alter: מאי הוי עלה, *Quaenam tandem huius rei deciſio ſit*, interrogas? o)

V.

Suſpenſio iudicii.

§. 702. Si propoſita quaeſtio, propter ſe oppugnantes ab vtraque parte rationes, decidi nequeat, in dubio relinquitur. Significatque vocabulum *Teku* (תיקו), de iſta quaeſtione iudicium ſuſpendi debere. Cuius litteras ſuſpicantur initiales eſſe verborum, תשבי יתרץ קושיות ואיבעיות, Elias *Thisbita*, vbi venerit, *ad dubia & quaeſtiones reſpondebit.* Sed pro תיקום poni videatur, & ſignificare: *Manet* haec quaeſtio; quoniam reſponderi ad eam nequit.

Quid faciendum, ſi caſus occurrat, cuius deciſio ignoretur.

§. 703. Si caſus occurrat, cuius deciſio ignoretur; *in cauſis liciti & illiciti* (בענין אסור) *pro grauiori ſententia* (לחומרא) pronunciatur. Sin *cauſa pecuniaria* (ענין ממון) ſit; *pro mitiori* (לקולא). Si eiusmodi caſus ſit, vt ignoretur, vtri litigantium ſub lite poſita pecunia adiudicari debeat (הממון המושל בספק); vterque litigans illius dimidiam ſumere iubetur. Sunt vero etiam, qui ſtatuant: המוציא מחבירו עליו הראיה, *Auctо-*

o] Halichoth olam, p. 84. 85.

Actori incumbit probatio. p) Alia regula haec eſt: כל תיקו בראורייתא לחומרא ברובנן לקולא *Si res, cuius deciſio ignoretur, legis Moſaicae ſit; pro grauiori ſententia pronuncietur. Sin ſtatuti doctorum ſit; pro mitiori.* q)

VI.

§. 704. Varii generis ſunt *obiectiones* vel *Dubia* (קושיא vel קשיא), quae in Gemara afferuntur; vel *contra* ipſius *ſcripturae ſacrae* (§. 254.) vel *contra Miſchnicorum*, (§. 105. 109. 114. 115.) vel *contra Gemaricorum* (§. 108. 205.) *effata.* Quibus pro diuerſa ipſorum natura diuerſa ſunt nomina, & diuerſis formulis proferuntur. r] Praecipuae obiectionum ſpecies ſunt: *Refutatio* (תיובתא), *Contradictio* [רמיה], *Ad factam explicationem prouocatio* [הויה], *Argumentatio* [התקפתה]. Obiectiones.

§. 705. Variae *obiectionum formulae* ſunt. 1. Dicitur, ת"ש, id eſt, תא שמע, *Veni & audi!* ſi cui vel codicis ſacri, vel Miſchnae, vel Exoticorum; vel celebris antiquioris Gemarici doctoris auctoritas opponatur. s) Excitatoque tali effato, maioris emphaſeos cauſa, verba שמע מינה; *Ex iſto iam diſcito,* vel Obiectionum formulae.

p) *R. Sam.* Manud ad Gemar. p. 224. 226.

q) Quippe ita ſtatuunt: באינה מן התורה הלך אחר המיקל, *In rebus lege diuina non iniunctis mitiorem ſententiam ſequi oportet* Vid. Raſchi ad Brachoth, fol. 36, 1.

r] Halichoth olam, p. 28.

s] Ibid. p. 80. 81.

vel ſemel vel etiam bis ſubiungi ſolent. t) 2. Illi, cuius ſententia improbetur, acclamatur; אינו והא, *Non profecto! Ecce enim didicimus &c.* Quae verba cum admiratione ſunt legenda. u) 3. Si poſt factam iam ante obiectionem reſponſionemque ad eam datam, verba, אי הכי, *Si ſic*, in Gemara occurrant; hic eorum eſt ſenſus: Si ita ſtatuas, ſalua mea obiectione priori, eſt quod vlterius tibi obiiciam; quae poſterior obiectio, niſi ita ſentires, formari non potuiſſet. Leguntur vero etiam verba, אי הכי, vbi nulla prior obiectio praeceſſit; eorumque ſenſus eſt: *Si ita ſtatuas*, obiici hoc poteſt; quod obiici nequiret, ſi aliter ſtatueres. w) 4. Ad auctoritatem antiquioris effati prouocatur formula, *Alama* (אלמא), *At* didicimus. *Cur vero* didicimus? x)

Obiectio contra rem alibi diſputatam.

§. 706. Verba, שמעת מינה, *Diſcas ex illo*, talis obiectionis formula ſunt, qua ſignificatur, ex re, de qua in praeſenti diſputetur, per bonam conſequentiam dubium formari poſſe contra doctoris alicuius alibi obuium, & ad rem praeſentem nihil quidem pertinens, effatum: vel ad quaeſtionem, ad quam ſuo loco reſponſum non ſit, poſſe reſponderi. y) §. 707.

t] E. g. Babha kama. fol. 26, 1.
u] Halichoth olam, p. 34, 60, 1. Halichoth olam, p. 46
w] Ibid. p. 53. 54.
x] E. g. Schabbath, fol. 90, 1. Halichoth olam, p. 86. 87.
y] E. g. Ktubhoth, fol.

§. 707. Nonnunquam *ex priori propoſitione* (רישא) *Miſchnae dubium*, quod facile refutari poſſe videatur, formatur; dummodo propter iſtius Miſchnae poſteriorem propoſitionem (סיפא) id refutari nequire videat opponens. z] Dubium leuius ex priori Miſchnae propoſitione.

§. 708. Si *ex duabus Miſchnis idem dubium* formari poſſit; ex illa primo loco formatur, quae ita comparata ſit, vt ad id reſpondere ſit facilius. Dein vero ex illa demum formatur, quae difficiliorem faciat reſponſionem. a) Idem dubium ex duabus Miſchnis formatum

§. 709. Si quis doctor Gemaricus Miſchnae vel Exoticorum effatum proferat, quod ſibi non minus quam contra ſe diſputanti aduerſetur; opponi ſolet: ולישעמך, *Hoccine vero cum tua ſententia concordat?* Vel: לדידך מי ניחא, *Num vero id pro te eſt?* Id quod tamen non ſemper, vbi poterat, opponitur. b] Miſchnicum effatum diſputantium vtrique contrarium.

§. 710. Si vocabulum *machloketh* [מחלוקה] de rebus partiendis legatur; *partitionem* ſignificat. Sin de doctorum diſputationibus; eorum *diſſenſum*. c] Vbi igitur inueſtigetur, quonam de caſu Miſchnici doctores diſſentiant, dicitur: מחלוקת בזה, *Iſto de caſu diſſentiunt.* d] Si in diſſenſus eorum Diſſenſus doctorum Miſchnicorum.

z) Halichoth olam, p 64.
a) Ibid. p. 64. 65.
b) Ibid. p. 69. 70.
c) Ibid. p. 42.
d) E. g. Bezah, fol. 9, 1.

eorum rationes inquiratur; quaeritur: במאי קא מיפלגי, *De quonam quaeſo diſputant?* i.e. *Quibus quaeſo rationibus moti diſſentiunt?* De prolatae ſententiae ratione quaeritur verbis, מ"ט, id eſt, מאי טעמא, *Quanam ratione nixus ita ſtatuit?* Vel de pluribus: מאי טעמייהו, *Quibusnam nixi rationibus ita ſtatuunt?* Diſſenſus rationem expoſiturus, dicit: הכא קמיפלגי, *Haec diſſenſus eorum ratio eſt.* e)

Effata ſibi contradicentia, vel ſuperflua habentia.

§. 711. Si duo effata ſibi vel contradicere videantur, vel alterutrum ſuperfluum eſſe; quaeritur: חדתי, *Num de diuerſis ſermo hic eſt?* Id eſt, ſi diuerſis de rebus haec non ſint dicta; ſibi vel contradicunt, vel alterutrum effatum abundat. f)

Occupatio dubiorum contra diſputantis.

§. 712. Dubia rationesue dubitandi contra diſputantis occupaturus, iisque occurſurus, verbis vtitur: ס"ד, id eſt, סלקא דעתך, *Suſpiceris quidem.* Et dein refutatio ſemper ſequitur. g) Vel etiam dicitur: מהו דתימא, *Dicere poſſis.* Eaque erronea opinione refutata, ſubiicitur: קמ"ל, id eſt, לא משמע לן, (Ne hoc ſuſpicareris,) *dicendum id fuit.* Vel: (Ne id cum ante dictis pugnare ſuſpicareris,) *dicendum id fuit.* h) In eos, qui de re aliqua ſiniſtre ſenſerunt, dicunt: וסברוה, *Ita ſe rem habere ſuſpica-*

e) E. g. Sanhedrin, fol. 4. 1. 2.
f) Halichoth olam, p. 41.
g) Ibid. p. 30. 31.
h) Ibid. p. 45. 46.

ſuſpicati ſunt. Illaque ſententia dein refutatur. Nonnunquam tamen de ſententia, quae recte ſe habeat, haec formula adhibetur, hoc ſenſu: *Ita hac de re ſtatuunt.* i)

§. 713. *Syllogiſmi cornuti* haec formula eſt: מאי קסבר יאי קסבר וכו' ואי קסבר וכו', *Utram quaeſo* (de illis, quarum vtraque ſuos defenſores habet,) *amplectitur ſententiam? Si hanc amplectatur;* (hoc oppono.) *Sin illam amplectatur;* (illud oppono.) k) Huc quoque pertinent ea, quae ſupra (§. 131.) ſunt dicta. Syllogiſmi cornuti formulae.

§. 714. Non ſatis accurate diſtinguenti occinitur: ליפלוג וליתני ברירה, *At in caſu iſto diſtinctionem facere, omniaque accurate exponere oportebat.* Ad quam obiectionem reſpondetur: כולה ברירה קא מיירי, *At vero vtrobique de eodem caſu ſermo eſt.* l) E. g. Dicitur, qui alterius bouem per ſuum bouem occiſum eſſe ſua ſponte confiteatur, eum reſtitutionis damnari. Qui vero alterius ſeruum per bouem ſuum occiſum eſſe ſua ſponte confiteatur, illum mulctae abſolui. Obiicitur, inter bouem notorie petulcum (מועד) & non notorie petulcum (תם) diſtingui debuiſſe. Reſpondetur, de notorie petulco (מועד) vtroque in caſu ſermonem eſſe. m) Diſtinctio non accurate facta.

§.

i) Ibid. p. 31.

k) E. g. Sanhedrin, fol. 2, 2.

l) Halichoth olam, p. 82. 83.

m) Babha kama, fol. 15, 2.

VII.

Refutatio. §. 715. *Teiubhta* (תיובתא), *refutatio*, dicitur, si Mischnico doctori (תנא) *sacrorum monumentorum effati* (מן הפסוק), quod cum illius sententia pugnare videatur, *auctoritas opponatur.* (§. 105.) Item, si Gemarico doctori (אמורא) *effati Mischnici*, ex Mischna, Tosiphta vel Exoticis petiti, *auctoritas* (מכח משנה וברייתא) opponatur. (§. 108.) *Refutationem* reddimus, quia oppositae huic auctoritati contradicere nefas est. Cui quae opposita sit, illi id tantummodo reliquum est, vt per id effatum sententiam suam non oppugnari doceat. Formulae sunt: איתיבי, si non nisi *unus* sit, qui codicis sacri vel doctoris Mischnici auctoritatem opponat; מתיבי, si *plures*. Significaturi Gemarae auctores, non esse, quod contra illam confutationem excipiatur, disputationi subiiciunt: תיובתא vel, תיובתיה תיובתא, *Omnino magni ponderis est facta per eum auctoritatis oppositio, ad quam solidi quid reponi nequeat.* Sin, opponentis ex pentateuchi vel Mischnico effato petito dubio non soluto, decisio tamen illi contraria subiungatur; verba cum admiratione legenda addi solent: תיובתא והלכתא, *Num. auctoritatis oppositione facta, sententia tamen illi contraria decisionis vim habeat?* Semper ta-

tamen docetur, contradictionem illam non niſi apparentem eſſe. n)

VIII.

§. 716. *Rumiia* (רומיא) vel *Rmiiah* (רמיה), *contradictio* vel *diſſenſus* dicitur, ſi oſtenditur, *duo* vel *ſcripturae ſacrae loca*, (§. 254.) vel *duo Miſchnicorum*, in ſpecie autem *eiusdem Miſchnici doctoris, effata* (§. 109.) ſibi contradicere. Formulae ſunt: רמו קראי אהדדי, ſi duo ſcripturae ſacrae loca ſibi contradicere videantur; ורמינהי, ſi duae Miſchnae; ורמינהו, ſi duo Exoticorum loca. o) Exceptio contradictionis vel diſſenſus.

IX.

§. 717. *Havaiah* [הויה] dicitur *prouocatio ad factam* aliquando *in genuinum effati doctorum Miſchnicorum ſenſum inquiſitionem.* Nimirum dubium ex iſto effato moturus, ſenſum illius dat; explicationes ſibi contrarias remouet; eumque in finem monet effatum id ita, vt ipſe faciat, aliquando expoſitum fuiſſe, hanc vero explicationem ſententiae contra diſputantis aduerſari. Formulae huius ad factam aliquando effati explicationem prouocationis hae ſunt: הוי בה [DoctorN.N.] *occupatus* [aliquando] *in* (explicando) *hoc effato fuit.* הווין בה, *Occupati* ali- Ad factam explicationem prouocatio.

n) E.g. Babha kama, fol. 15, 2. Halichoth olam, p. 28. *R. Sam.* Manud. ad Gemar. p. 224.

o) Halichoth olam, p. 28. *R. Sam.* Manud. ad Gem. p. 225.

(aliquando) *in* (explicando) *hoc effato fuimus.* p)

X.

Exceptio per ratiocinium.

§. 718. *Hathkaphta* (התקפתא), *Argumentatio*, vel Exceptio per ratiocinium dicitur, quam Gemaricorum doctorum alter alteri facit; non codicis ſacri vel Miſchnae auctoritatem contradictionemue illi opponendo; ſed acutis *ſyllogiſmis* (פלפול) & *ratiociniis* (סברא בעלמא) eum oppugnando. Formula eſt: מתקיף לד', רבי פלוני, *Hoc argumento doctor N. N. id oppugnat.* Recentioribus demum temporibus eiusmodi obiectionem פירכא vel גירות appellatam fuiſſe largiamur: Vnde formulae; פריך & מגרף ſunt. *Errant*, tamen, qui haecce vocabula *Opinatorum* (סבוראי) aetate antiquiora non eſſe ſuſpicantur. q)

Doctori Miſchnico oppoſita.

§. 719. Licet Gemarico doctori nefas ſit contradicere Miſchnico: [§. 107.] nonnunquam tamen contra Miſchnicum effatum Gemaricus doctor argumentatus eſſe (מתקיף לה) dicitur. Hanc vero proprie ſic dictam Miſchnici effati oppugnationem eſſe negant; ſed Gemaricum doctorem Miſchnici effati rationes admirabunduin inueſtigaſſe contendunt. Alii, obiectio-

p) Babha kama, fol. 7, 1. 2. 73, 2.

q) Halichoth olam, p. 28. 29. *R. Sam.* Manud. ad Gemar. p. 225.

obiectionem contra Gemarici doctoris effatum, quod vel praecesserit vel sequatur, esse existimant. r)

XI.

§. 720. *Peruk* (פירוק) dubiorum vel obiectionum *solutio* vel ad ea *responsio* dicitur, quae si non vlterius oppugnetur [כשלא נחלקו], decisionis vim habet [היא הלכה מקויימת]. Sin vero in obiectionem disputatio desinat; praemissae solutiones vel responsiones nullae sunt. Nonnunquam etiam dubio, cui solidi quid opponi nequeat, in disputationis fine subiungi solet, קשיא, i. e. *Immotum est dubium*, ad quod responderi nequit. s) Solutio dubiorum.

§. 721. Si duo disputent, & respondens [מתרץ] dederit responsionem [תירוץ] aliquam; dein vero, obiectione vlterius facta, nouae suae responsioni particulam אלא respondens praemittat: ea particulae huius virtus est, vt significet, responsionem priorem nullam esse, & ab ipso respondente reiici. Sin vero ipse opponens ad suam ipsius obiectionem respondeat; particula quoque אלא adhiberi solet, licet nulla responsio, quae reiiciatur, praecesserit. t] Signum responsionis melioris.

§. 722.

r] Halichoth olam, p. 29. 30.

s] *R. Sam.* Manud. ad Gemar. p. 224.

t] Halichoth olam, p. 52. 53.

Formulae dubii ſolutionem ſignificantes.

§. 722. Obiectionem vel dubium per effatum aliquod ſacri codicis, u] vel doctoris Miſchnici, vel etiam celebrioris Gemarici, ſoluturus, ſolutioni ſuae formulam praemittere ſolet: תא שמע, *Veni & audi!* w] Si ſolida reſponſio ſit, & dubium rite ſolutum; ſubiungitur vocabulum. *Alma* (אלמא), *Ecce igitur!* Vel: שמע מינה *Diſcito igitur ex illo.* Vtraque formula interdum coniungitur. Maioris quoque emphaſeos ergo, verba שמע מנה bis repeti ſolent. Compoſitae litis ſignum hae formulae ſunt. x]

Ex pluribus dubii ſolutionibus non niſi vna datur.

§. 723. Nonnunquam in Gemara plures dubii eiusdem dari poſſunt ſolutiones; & illa tamen non niſi vnam dat. (פעמים יש כמה פירוקים והגמרא לא חש לתרץ אלא חד מנייהו), Et tum dici ſolet: אדמשני ליה ר' פלוני הא לישני ליה הא *Itane doctor N. N. ad id reſpondet? Id reſpondere debebat.* Ad quam obiectionem reſpondetur: חדא מתרי שעמי נקט, *E duabus reſponſionibus*, (quae dari poterant,) *alteram eligit.* y)

Solutionum cumulatio.

§. 724. Contra ea, licet ex ipſa Miſchna dubium ſolutum iam ſit, interdum tamen ſubiungi adhuc ſolet: תא שמע, *Veni & au-*

u] E. g. Brachoth, fol. 63, 1.

w] Halichoth olam, p. 80. 81.

x] E. g. Babba kama, fol. 26, 1. Halichoth olam, p. 46.

y) Halichoth olam, p. 58. 59.

audi! Cuius rei ratio est, quod Gemarae omnibus, quibus fieri potest, modis rem explicare, & dubia soluere nonnunquam placet. z)

§. 725. Si plures ad idem dubium responsiones quadrent, quarum quae praeferenda sit non satis pateat, & lectoris iudicio relinquatur; dicitur: אי בעית אימא — ואי בעית אימא, *Si velis, ita dicas; sin malis, ita dicas.* Quae formula si dubio nullo praecedente legatur; hoc reticetur, per lectorem supplendum. a) Solutiones plures disiunctiuae.

§. 726. Particula, אין, non raro *affirmandi vim* habet, & pro הין positum est; vel si mauis *interrogandi*, vt interrogatio affirmationi aequiualeat. Vbi אין & לא se excipiant; *distinctionis signa* sunt, & significant, *ad casum vnum affirmando*, *ad alterum negando* responderi debere. b) Distinctionis in respondendo formulae.

XII.

§. 727. Significat quidem *schinnah* (שנה), ad quaestionem vel dubium *respondere.* c) In significatu autem strictiori *schinnui* (שינוי) eam *dubii declinationem* denodubium solutum non esse. Dubii declinatio.

z) Halichoth olam, p. 68. E.g. Babha kama, fol. 23, 1. 2. Confi Tosephoth ad h. l. Quorum auctores statuunt, vbi id fiat, per effatum Mischnicum

a) Halichoth olam, p. 79.

b) Halichoth olam, p. 34.

c) E.g. Schabbath, fol. 43, 1.

notat, qua effatum, cuius oppoſita auctoritas ſit, auctorem exigua auctoritate praeditum agnoſcere docetur. Formula eſt: הא מני רבי עלוני היא, *At vero cuiusnam id eſt effatum? Eſt doctoris N. N.* d)

XIII.

Suppetiae

§. 728. *Saiie* (סייע), *ſuppetias ferre*, ſignificat. *Siiiu* (סיוע) igitur *ſuppetiae* ſunt, quae alicuius ſententiae feruntur. Si nimirum illa, vel per codicis ſacri, vel per Miſchnici, vel per alterius celebris doctoris effatum confirmetur, corroboretur, & ſtabiliatur. Formula eſt: מסייע ליה, *Suppetias illi fert. Confirmat ſententiam eius.* Vel etiam: לימא מסייע ליה, *Dicemusne, id illi ſuppetias ferre?* e] Qua tamen interrogatione nonnunquam ſignificatur, ſententiam propoſitam iſtis ſuppetiis non indigere; vel ea ad quaeſtionem praeſentem non pertinere. XIV.

Diſputatio de ſuperflue dictis.

§. 729. Si vel totum effatum, vel etiam vnicum vocabulum, vel ſola aliqua littera, in codice ſacro vel Miſchna ſuperflue ſcripta videantur; ſollicite inquirunt doctores, num abundent, an & cui bono poni debuerint. Diciturque *Hazrachah* [הצרכה] *diſputatio de* litteris, verbis, vel effa-

d] E. g. Schabbath. fol. 44, 2. Bezah, fol. 32, 1. Gemar. p. 224. 225. Conf. ſupra §. 205. dicta.

e] R. *Sam.* Manud. ad

effatis ſcripturae ſacrae vel Miſchnae *abundare viſis.* Obiectiones variis fiunt modis. E. g. הא זו למה לי, *Quid quaeſo iſtis opus erat?* Reſponderi ſolet: צריכא, *Dici hoc omnino opus erat.* Vel: פשיטא, *Omnino poni debuit.* f] Nonnunquam verba, לא צריכא, comparent. Quae, *his opus non eſt*, ſignificare primo intuitu videantur. At vero ſignificatum contrarium habent. Quare nonnulli, ſeiungenda ea eſſe, exiſtimant; hunc in modum: לא, *Non!* צריכא, *Omnino iis eſt opus.* Rectius tamen cenſere videntur, qui particulam, אלא, *niſi*, deſiderari dicunt; vt ſenſus ſit: *His non opus eſt, niſi propter ea*: Quae particula אלא non raro etiam exprimitur. g] Si idem bis diuerſis verbis vel dicatur vel dictum videatur; obiici ſolet: זרחי, *Num diuerſa haec ſunt?* Id eſt, niſi diuerſa his verbis dicantur; quid idem bis dicere opus erat, quod ſemel dixiſſe ſufficeret? h]

XV.

§. 730. *Schittah* [שיטה], *lineam* ſignificat. Nobis Germanis, ein Strang. Figurate pro *ſerie, ordine, via*, ponitur. Hinc שיטת הגמרא eſt, *diſputationis Gemaricae tenor.* Dicitur quoque *ſchittah* [שישה], ſi complures doctores de re aliqua conſenti- Doctorum plurium conſenſus.

f] E. g. Sanhedrin, fol. 2, 2.

g] Halichoth olam, p. 34.

h] Ibid. p. 41.

ſentiant, ceteris omnibus de ea aliter ſentientibus. *Omnes eodem tramite incedere, vnumve alterius veſtigia premere,* dicas. Germani: Sie ziehen alle einen Strang. E. g. R. Iuda ſanctus, R. Iuda filius Roëzi, Schammaeani, R. Simeon, R. Akiba, ſtatuunt, lectionem codicis ſacri ſecundum ſigna vocalia eſſe praeferendam. i] Horum autem conſenſus plurium diſſenſui ſemper cedere debet.

XVI.

Amplior Gemarae diſputatio.

§. 731. *Sugia* [סוגיא], *conſuetudinem* ſignificat. Iam in more poſitum Gemarae eſt, vt de re propoſita in vtramque partem prolixius diſputet. Vnde fit, vt *diſcurſus Gemarae ſolito amplior*, quo maioris ambitus argumentum plene exhauritur, nomine *ſugia* [סוגיא] veniat. k]

Obiectio incerti auctoris.

§. 732. Diſputationis Gemaricae longioris per oppoſitiones & reſponſiones ille tenor eſt, vt *omnes oppoſitiones* in medium prolatae *eiusdem* ſint *doctoris*, qui in diſputationis iſtius principio ſit nominatus. Quare ita ſingulae interpretandae ſunt, ne opponens diuerſis oppoſitionibus ſibi ipſe contradicat. Sunt tamen nonnulla loca, in quibus *poſterior oppoſitio* non primo opponenti [המקשה הראשון], ſed *Gemarae auctori* [בעל הגמרא], ſit tribuenda. Quo ta-

i] Sanhedrin, fol. 4, 1.
k] E. g. Schabbath, fol. 36, 2-39, 1.

tamen, vt id ſtatuant, non niſi ſumma neceſſitate cogente recurrunt. l]

§. 733. *Doctor Gemaricus* in Gemara non raro *dubium ſibi ipſe mouet*; & *ad illud ipſe* quoque ſibi *reſpondet*. Suſpicari poteras, reſponſionem auctorum Gemare [סתם גמרא] eſſe. Eiusdem autem doctoris reſponſionem eſſe intelligitur, *ſi Gemarae auctores reſponſionem diuerſam* dein *ſubiungant*. m] Reſponſio incerti auctoris.

§. 734. Vbi de re aliqua diu in vtramque partem diſputatum fuerit, & diuerſae doctorum ſententiae in medium prolatae, nec per regulas obſeruari ſolitas appareat, cuinam ſententiae ſit ſubſcribendum; de rei deciſione quaeri ſolet his verbis: מאי הוי עלה, *Quomodo tandem illa res ſe habet?* n] Deciſionis petitio.

CAP. XLII.

DE *ORDINE CONSCRIPTAE GEMARAE.*

§. 735.

Scire multum intereſt, quem *in diſputando ordinem* ſequi ſoleat *Gemara*. Qui enim id ignorans ad eam legendam ſe accinxerit, is querelas, quod liber ſit, qui intelligi nec poſſit nec debeat, ingeminare coge- Ordo conſcriptae Gemarae.

l] Halichoth olam, p. 51. 52.

m] Halichoth olam, p. 59. 60.

n] Ibid. p. 33.

cogetur. Iam quidem hoc de ordine regulae, quae exceptionem nullam patiantur, dari nequeunt. Miſchnae enim, in quas commentantur, aliae intellectu faciliores ſunt; aliae difficiliores, dubiisque pluribus obnoxiae. *Aequalitatis* tamen *in commentando, & diſputando*, quantum quidem fieri potuit, ita *fuerunt ſtudioſi*, vt, qui legum ſtatutorumque Iudaicorum imperitus *non* ſit, & ante dicta probe cognita habeat, per diſputationis in vnicam Miſchnam inſtitutae diſpoſitionem, de diſputationis Gemaricae natura & ordine iudicium ferre diſcere poſſit. Exemplum igitur daturi, praecipua commentationis in *primam codicis Babha kama Miſchnam* dabimus momenta.

In primam codicis Babha kama Miſchnam.

§. 736. MISCHNA. o] *Quatuor genera* [אבות] *rerum damnum inferentium ſunt*: *Bos* (שור), *puteus* (בור), *depaſtio* (מבעה), *& incendium* (הבער). *Damnum per bouem illatum damno per depaſtionem illato ſimile non eſt; nec hoc illi ſimile eſt. Non magis haec ambo, per animantia illata, illato per incendium, quod inanimatum eſt, damno ſimilia ſunt. Denique haec tria, quae locum mutando damnum inferunt, damno per puteum, qui eodem in loco manet, illato ſimilia non ſunt. Id autem, in quo conueniunt, eſt, quod damnum per ea inferri ſoleat, & cuſtodiri debeant, ſique* da-

o] Babha kama, fol. 2, 1. ſeqq.

damnum per ea illatum ſit, eorum poſſeſſor damnum ex praeſtantiſſimis praediis reſtituere teneatur. GEMARA. 1. Docetur, vocabulum אבות homonymia laborare; quod nunc *genus*, & תולדות illius *ſpecies* ſignificent. Nunc vero per אבות *ſuperiorem gradum*, per תולדות autem *gradum inferiorem*, ſignificari. Hoc loco genera ſignificari, monetur: Quae vero nonnullas *anomalas ſpecies* ſub ſe comprehendant. 2. Exoticorum effato docetur, ſub genere *damni per bouem illati* [שור] tria genera ſubordinata, nimirum damni per bouis *cornu* (קרן), *dentes* (שן), & *pedes* (רגל) illati, contineri. 3. Effatum Exod. XXI, 28. ſubiungitur: Vbi de damno per *cornu* illato (קרן) praecipitur. 4. Quod ibi verbum נגח *feriendi* ſignificatum habeat, per Deut. XXXIII, 17. & 1. Reg. XXII, 11. probatur. 5. Quid vtraque iſta probatione opus ſit, inquiritur. 6. *Species* (תולדות) generi damni per *cornu* illati (קרן) ſubordinatae, nimirum נגיפה *impulſio*, נשיכה *morſus*, רביצה *incumbere*, & בעיטה *calcitrare*, enumerantur. 7. Quaeritur, cur נגיפה *in ſpeciebus* numeretur: Quae, cum de ea in peutateucho diſertis verbis praecipiatur, *in generibus* numerari deberet. Reſpondetur autem, vocabula נגיפה & נגיחה pentateuchi *ſynonyma* eſſe. 8. Cum igitur ſynonyma haec ſint, quaeritur, *cur pentateuchus*

פירוש

תניא

מנא לן

הצרכה

פירוש

קושיא

תירוץ

קושיא

teuchus non ſemper eodem, ſed *nunc hoc nunc illo, vocabulo vtatur.* תירוץ Reſpondetur-que, vocabulum נגיחה *maius in feriendo nocendi ſtudium* conſignificare. קושיא 9. Quaeritur, cur כשיכה damno per *cornu* illato (קרן) vt ſpecies ſubordinetur; cum *morſus* ad damnum *dentibus* illatum (שן) potius refe-rendus videatur. תירוץ Reſpondetur, propter maiorem ſimilitudinem huc referri debe-re. קושיא 10. Similiter inquiritur, cur רביעה & בעישה ותירוץ ad damnum *cornu* illatum (קרן) po-tius, quam ad damnum *pedibus* illatum [רגל] קושיא, referantur. 11. Quaenam illae *anomalae ſpecies* ſint, de quibus ſupra (num. 1.] dictum ſit, תירוץ quaeritur. Easque ſub ge-neribus damni *dentibus & pedibus illati* [שן ורגל] fortaſſe deprehenſum iri, reſpon-detur. היכא 12. Profertur Exod. XXII, 4; vbi כתיבי de damno per *dentes & pedes* illato [שן ורגל] praecipitur. פירוק 13. Per Exoticorum effatum, quod ibi per שלח damnum per *pedes* illa-tum [רגל] ſignificetur, ex Eſ. XXXII, 20. probatur. 14. Quod per בער damnum per *dentes* illatum (שן) ſignificetur, ex 1. Reg. הצרכה XIV, 10. docetur. 15. Exoticorum hoc effatum explicatur; & vtroque ſacri codi-cis effato ad rem explicandam opus fuiſſe, פירוש demonſtratur. 16. Illati per *dentes* (שן) & קושיא *pedes* [רגל] damni ſpecies recenſentur. 17. Hic quoque *anomalas* illas, de quibus ſu-pra, *ſpecies* fruſtra quaeri, monetur. Eas-

que,

que sub genere damni per *puteum* illati fortasse deprehensum iri, respondetur. 18. Ad damnum per *puteum* illatum (בור) progrediuntur. Sub quo cum *anomalae species* non magis deprehendantur; eas sub genere מבעה fortasse inuentum iri, suspicantur. 19. Sub quo illas quaerentes, non magis inueniunt. 20. *Species* damni per *incendium* (אש) illati examinantur; Et in his quoque *anomalae species* frustra quaeruntur. 21. Docetur tandem, *anomalam speciem* deprehendi, quae ad genus damni per *pedes* illati (רגל) referri possit. 22. Quid per מבעה Mischnae intelligatur, quaeritur. Diuersaeque proferuntur explicationes; quarum altera damnum per pecorum *dentes* (שן), altera per *hominem* (אדם) illatum significari statuatur. 23. Inquiritur, quomodo cum vtraque hac sententia verba Mischnae, *damnum per bouem* (שור) *illatum damno per depastionem* (מבעה) *illato simile non est &c.* stare possint. 24. In dissensus huius rationes inquiritur. 25. Plures vocabuli מבעה explicationes proferuntur; sed & reiiciuntur. 26. Exoticorum effatum, quo *tredecim damnorum genera* (אבות נזיקין) enumerantur, in medium profertur. 27. Cur Mischna pauciora genera numeret, inquiritur. 28. Aliud Exoticorum effatum, quo *viginti quatuor damnorum genera* numerentur, pro-

קושיא
תירוץ
קושיא
תירוץ
פירוש
מאי
טעמא
תניא
קושיא
ותירוץ
תניא

קושיא ותירוץ fertur. 29. Inquiritur, cur in priori Exoticorum effato genera pauciora numerentur. למעוטי מאי 30. Docetur, in Miſchna numerum *quatuor generum*, & in priori Exoticorum effato numerum *tredecim generum* exprimi, vt appareret, plura quidem eſſe, quae vero ſilentio praetereantur. 31. Cum poſterius quoque Exoticorum effatum numerum *viginti quatuor generum* diſerte exprimat; ibi quoque ſilentio nonnulla praeteriri, docetur. קושיא ותירוץ 32. Inquiritur in *ſpecies*, quae generibus in Exoticorum effatis ſubordinari poſſint. פירוש 33. Quaeritur, quid verba Miſchnae, *damnum per bouem illatum damno per depaſtionem illato ſimile non eſt &c.* ſibi velint. Reſpondeturque, illorum ſenſum eſſe, quod ab horum generum vno ad alterum per ratiocinia inferri nequiuerit. Quae cauſa ſit, cur de ſingulis in pentateucho diſerte praecipi debuerit. 34. Ad ſimilem de ſequentibus Miſchnae verbis quaeſtionem *non magis haec ambo &c.* idem reſpondetur. קושיא 35. Obiicitur, à damno per *puteum* illato (בור) & ceterorum vno, nimirum damno per *cornu* illato (קרן), ad reliqua genera תירוץ per ratiocinia inferri potuiſſe. Reſpondetur autem, quoniam diuerſae iſtorum generum leges ſint, ideo de ſingulis illis פירוש in pentateucho praecipi debuiſſe. 36. Monetur, verba Miſchnae; *id autem in quo conueniunt &c.* plura genera includendi virtu-

virtutem habere. Quid igitur per ea includatur, idque ad expreſſorum generum nullum vt ſpeciem referri poſſe, docetur. 37. Vocabulum חב pro חייב, dialecto Hieroſolymitana, in Miſchna poni, monetur. 38. Ad verba Miſchnae, ex *praeſtantiſſimis praediis*, Exoticorum effatum profertur, quo diſputatur, vtrum de melioribus illius, *à quo damnum profectum ſit* (מזיק), an illius *cui illatum ſit* (ניזק), praediis verba ſint accipienda. 39. Pro priori ſententia *ſenſum litteralem* (משמע), pro poſteriori *argumentum à vocabulorum conuenientia* (ג"ש), pugnare, docetur. 40. *Exoticorum* effati genuinus *ſenſus*, per multas obiectiones & reſponſiones inueſtigatur. 41. *Contradictio apparens* locorum Exod. XXI, 34. & XXII. 44. oſtenditur; & remouetur. 42. *Exoticorum effatum* hunc in finem profertur; doceturque, vt ibi diſtinguatur, ita hic quoque diſtingui debere. 43. Qua tamen reſponſione reiecta, melior datur. 44. Quaeritur, ſi *is*, *à quo damnum profectum* ſit, (מזיק), arva habeat, quae ceterorum omnium arua bonitate ſuperent; num *ex optimis ſuis*, *an* ex illis *quae optima ceterorum bonitate aequent*, illatum *damnum refundere* teneatur. Reſpondetur, eum de optimis ſuis id refundere debere. 45. Reſponſioni huic *Exoticorum effatum* opponitur; Reſpondetur autem,

דיוק

הניא

פירוש

רומיא

שינוי

בעיא

פשוט

תיובתא

שינוי

ריקא id de diuerso casu esse accipiendum. 46. Quae responsio corroboratur per aliud *Exoticorum effatum*; quod, nisi res ita se haberet, priori contradicere statui deberet.

שקלא וטריא איידי 47. De horum *effatorum conciliatione* longe lateque disputatur. 48. Occasione huius disputationis, *tertium Exoticorum effatum* profertur, quo disputatur, *à quonam emtore creditoribus variis satisfieri debeat*, si diuersis debitor sua diuersae bonitatis

פירוש praedia successiue vendiderit. 49. Tota denique ad hanc Mischnam commentatio explicatione postremorum illius verborum *ex praestantissimis praediis*, &, ex ista explicatione deriuata responsione, quomodo supra [num. 41.] commemoratae *contradictionis apparentis absolui queat pentateuchus*, clauditur. Huius vero commentationis nos non nisi summa capita exposuimus.

Praecipua disputationis & ordinis capita.

§. 737. Si quis praeterea *de disputationis Gemaricae natura & ordine regulas* cupiat; hasce, quae praecipuae sunt, habeto. 1. Singula *Mischnae verba*, vbi opus sit, *explicantur*. 2. Annon *superflua verba* habeat, inquiritur: Et cur singula posita sint, docetur. 3. Inuestigatur, annon *contradictiones*, per bonam consequentiam saltem eliciendas, contineat. 4. In *decisionis* in Mischna obuiae *auctorem* inquiritur. 5. *Alia Mischna* cum hac, ad quam commentantur,

com-

comparatur; Et, *num consentiant*, *an sibi contradicant*, excutitur. Si contradicere sibi videantur; in *diuersos* earum *auctores* inquiritur. Vel Mischnas eas, *diuersis de casibus* loquentes, sibi non aduersari demonstratur. 6. *Duarum consentientium Mischnarum alteruram latius patere* ostenditur; eamque causam esse, cur in Mischnico opere ambae compareant. 7. Nonnunquam docetur, *Mischnam posteriorem contradicere priori*: Priorem tamen, quod peruulgata esset, omitti non debuisse. 8. In *Mischnae decisionum rationes, per ratiocinia*, & in specie per XIII. R. Ismaëlis hermeneutica axiomata, inquiritur. 9. *Exoticorum effatorum* [ברייתות] cum Mischnae vel *consensus* vel *pugna* ostenditur. Illaque eodem modo, quo Mischnae, excutiuntur. 10. Cum autem horum non pauca *in mendo* sint; *de genuina eorum*, vbi opus sit, *lectione* disquiritur. 11. *Gemaricorum* quoque *doctorum disputationes* non negliguntur. Qui vbi *dissentiant*, inquiritur, annon per Mischnae vel Exoticorum effata *lis* inter eos *dirimi* possit. Cuiusnam Mischnici doctoris auctoritate quisque nitatur, docetur. Vel de diuersis casibus eos loqui, sibique non contradicere, euincitur. 12. Occasione expositarum in Gemara *decisionum*, duo vel etiam plura *Exoticorum effata* proferuntur; Et num illa sibi contra-

dicant, an diuerſis de caſibus loquantur, inueſtigantur. Haec praecipua capita ſunt. Quae ſi quis cum ante dictis conferat; cetera intelligentur.

Quando antiquiori effato recentius praemittatur.

§ 738. Ordinis vsque eo obſeruantes ſunt Gemarae auctores, vt *recentiorum* doctorum (האחרונים) *effata antiquiorum* (הראשונים) *effatis non* facile *praeponant*. Quodſi vero doctoris antiquioris effatum plura, quam recentioris, contineat; hoc priori loco ponere ſolent: vt à ſimplicioribus ad magis compoſita procedatur. p)

In transitu de re diſſeritur.

§. 739. De re, ad eam, de qua quaeſtio eſt, non pertinente, in transitu non raro diſſeritur. Id vbi fiat, dici ſolet: מילתא אגב אורחיה קמ"ל, *rem hanc in transitu attingere voluit*. q)

Plenior effati explicatio.

§ 740. Si quod Exoticorum (בריתא) vel Gemaricorum doctorum (מימרא) effatum in Gemara excitetur; accuratius pleniusque, quam propoſita quaeſtio requirebat, non raro examinatur & explicatur. Accuratius igitur id excuſſuri Gemarae auctores, praemittere ſolent vocabulum, נופא, id eſt, *Effati illius contenta accuratius iam examinemus.* Quae tamen formula ſaepe reticetur. r) Hoc quoque in caſu formula adhiberi ſolet: אמר מר, *Ita dixit*

p) Halichoth olam, p. 80.

q) Halichoth olam, p. 51.

r) Ibid. p. 48. 49. 50.

xit (effati citati) *auctor*: Illud igitur effatum iam examinemus. s) Haec quoque vulgaris formula eſt: הואיל ואתא לידן לימא בה מילתא, *Cum ad eam diſputationem deſcenderimus, hac de re fuſius differere lubet.* t)

§. 741. Quoniam de rebus multis exponere voluerunt Gemarae auctores, de quibus altum in Miſchna ſilentium eſt; de locis, vbi id commodiſſime fieri poſſet, ſolliciti fuerunt. Quare variarum *circumſtantiarum*, vt *perſonarum, temporis, loci, numeri*, &c. rationem habuerunt. Circumſtantiarum habita ratio.

§. 742. Si cuius doctoris effatum citarum ſit; plura illius effata, ad quaeſtionem praeſentem nihil pertinentia, cumulare & ſubiungere ſolent. Formula eſt: ואמר פלוני, *Dixit quoque idem doctor N. N.* u) Plura eiusdem doctoris effata.

§. 743. Deciſionibus iſto die factis, quo R. Eleaſar filius Aſariae R. Gamalieli deiecto ſynedrii magni praeſes ſubſtitutus fuit, formula, בו ביום, *iſto die*, praemittitur. w) Formula, *iſto die.*

§. 744. Quando effata ſua protulerint doctores, hiſce formulis ſignificari ſolet: כי Quando effata prolata ſint.

s) E. g. Babha kama, fol. 3, 1.

t)

u) E. g. Brachoth, fol. 6, 2. 7, 2. Halichoth olam, p. 80. 81.

w) Brachoth, fol. 28. 1. Halichoth olam, p. 48.

כי סליק פלוני, *Cum doctor N. N.* ex Babylonia in Palaeſtinam *abiret.* כי אתא רבי פלוני vel, כי אתא ממערבא, *Cum doctor N. N. ex Palaeſtina* in Babyloniam veniſſet. Verbis, דסלקין לעלא ונחתין לתתא, *Qui ſurſum adſcenderunt, Qui deorſum deſcenderunt*, ſimiliter iter ex Babylonia in Palaeſtinam, & ex Palaeſtina in Babyloniam, ſignificatur. x]

חם ושלם שבח לאל בורא עולם:

SE-

x) Halichoth olam, p. 43.

SECTIO III.

DE

ANTIQVITATVM. EBRAEORVM SCRIPTORIBVS.

SECTIO III.

Prooemium.

1. Philo.
2. Iosephus.
3. Iosephus Gorionides.
4. Scriptores legum Iudaei recentiores.

DE ANTIQVITATVM EBRAEORVM SCRIPTORIBVS.

PROOEMIVM.

§. 1.

LImpidiores *rerum Iudaicarum fontes* deguſtauimus: *codicem ſacrum*, *libros*que eorum *ſymbolicos*. Sunt praeter hos, ex quibus qui tempeſtiue hauriat, ſitim ſaepe magnam reſtinguat. In his *Philonis* & *Ioſephi* Iudaeorum ſcripta eminent. Quibus *Ioſephus Gorionides*, dummodo genuinus ſit, iungi poſſit. Sed tanta Iudaicae gentis celebritas fuit, vt multi *ſcriptorum* quoque extraneorum, *Graecorum* & *Latinorum*, eorum mentionem paſſim fecerint. Qui tamen magna cum circumſpectione Iudaicis de rebus ſunt legendi; quas partim non ſatis cognitas habuerunt, partim gentis huius odio nimium indulſerunt. Sunt denique quae ex *noui foederis monumentis* depromi poſſint. Fontes rerum Iudaicarum.

§. 2. Non contemnendi quoque ſunt *riuuli*, Riuuli Iudaeorum.

riuuli fontibus propinquiores. Scripta putamus *R. Iſaaci Alphes*, *R. Moſis Maimonidis*, *R. Aſcher*, *Rabbenu Iacobi Baal Hatturim*, *R. Ioſephi Karo*, & *R. Mardochaei Iaphe*. Quos qui adeat, fideles Talmudis legumque ex mente Iudaeorum habebit interpretes. Sed nec *Iſaacidis in pentateuchum Commentarius* ſilentio praeteriri debet. Hos qui euoluat, infinitis ceteris cum Iudaeorum tum Chriſtianorum ſcriptis de rebus Iudaicis bene carere poteſt.

Riuuli Chriſtianorum.

§. 3. Ex quo enim humanitas & cum illa bonae litterae reſtitutae Chriſtianiſmo fuerunt; viri celebres bene multi Iudaeorum res, quarum cognitionem Chriſtianiſmum ex ſuis fontibus deriuaturo ſumme neceſſariam eſſe intelligerent, excutere inque eas commentari ſunt aggreſſi. Quorum ſcripta recenſere, noſtri non eſt inſtituti. Nobis quidem probantur ii, qui ex fontibus ſua hauſerunt, quorumque calamum non inimicus & iniquus in Iudaeos animus, ſed veritatis ſtudium, duxit.

CAP. I.

DE PHILONE.

§. 4.

Philonis vita.

Philo Iudaeus, e ſacerdotali nobilique familia ortus, Alexandri, alabarchae Alexan-

Alexandrini frater, a) *Alexandriam Aegypti patriam* habuit. In *philoſophia Pythagorica & Platonica* eos fecerat progreſſus, vt dictum de eo ſit: Ἢ φίλων πλατωνίζει, ἢ πλάτων φιλωνίζει. Quin *eruditionis Iudaicae bene peritus* fuerit, Iudaeorum ſuae aetatis ſtudia nos dubitare non ſinunt. Nec in ſcriptis eius reperias, vt ſe reperiſſe nonnulli ſuſpicati ſunt, quod rerum Iudaicarum, quales tum erant, ignorantiam arguat. Prouectior iam aetate, *legationis Iudaeorum* Alexandrinorum *ad Caium imperatorem princeps*, A. C. 40, profectus eſt, *contra Apionem* dicturus. Id quod eloquentius quidem quam felicius fecit. b]

§. 5. Conſcriptorum ab ipſo ſchediaſmatum catalogum *Io. Alb. Fabricius* dat. c] Quorum tamen alia iniuria temporum periiſſe, alia lacunas habere, nonnulla quoque Philoni male tribui credantur. Scripta.

CAP. II.

DE *IOSEPHO.*

§. 6.

Ioſephus ſacerdos, d] ex prima ephemeria ortus, atauo vſus eſt *Simone Pſello*; qui tempore Hyrcani I. ducis & pontificis vixit. Ioſephi vita.

a) Ioſeph. Ant. Iud. lib. 18. c. 10.

b) Vid. *Io. Albert. Fabricii* Bibliothec. Graec. lib. IV. cap. 4.

c) lcc. cit. p. 106-117.

d] Vid. *Ioſephi vitam*, per ipſum conſcriptam

vixit. Hic nouem filios genuit; inque his *Matthiam Aphliae* cognomine. Is ex Ionathanis ducis ſummique pontificis filia *Matthiam Curtum*, primo Hyrcani I. pontificatus anno, ſuſcepit. Huic, anno 9. Alexandrae reginae, *Ioſephus* natus eſt. Genuit hic, anno 10. Archelai, *Matthiam*. Cuius filius, *Ioſephus* noſter, anno 1. Caii imperatoris natus, ipſe trium filiorum, *Hyrcani*, *Iuſti* & *Agrippae* pater fuit. Noſter Ioſephus, anno 14. aetatis eos in litterarum ſtudiis iam feccrat progreſſus, vt de penitiori legum ſenſu conſuleretur. Annum 16. aetatis ingreſſus, tres Iudaeorum ſectas experiri decernit, meliori nomen daturus. Quare per triennium *Bani* cuiusdam, in ſolitudine duriſſimam vitam viuentis, contubernio vtitur. Eo autem finito, anno 18. aetatis, in vrbem reuerſus, *Phariſaeorum* ſe placitis addicit. Cum Felix procurator ſacerdotes quosdam vinctos *Romam* mitteret; *Ioſephus* annos 26. natus, his patrocinaturus, eodem pergit. In Adriatico autem mari naufragium faciens, natando ſaluus euadit. Cum *Poppeae* innotuiſſet; per eam ſacerdotum illorum abſolutionem impetrat: magnisque ab ea muneribus donatus, in patriam reuertitur. In *belli Iudaici* principio, *Ioſephus in Galilaeam dux* mittitur; vt illam pacaret. Vbi multis peri-

periculis, per latrones, ſeditioſos, ipſosque Hieroſolymitanos ſibi paratis, feliciter defunctus, contra Romanos tandem bellum gerit, & *in Iotapatae vrbe capitur.* Captiuus *vxorem duxit*; quacum breue ipſi matrimonium fuit. *Alexandriae* igitur Aegypti, quo cum Veſpaſiano abierat, *ſecundam ducit.* Cum *Tito* ad Hieroſolymorum obſidionem profectum capere ſaepius tentant infenſiſſimi ipſi Iudaei. Et, ſi cladem ab obſeſſis acciperent Romani, Ioſephum proditorem e medio tolli debere, hi quoque clamant. Vt ex captae vrbis ruinis, quicquid vellet, ſumeret, hortatur *Titus.* Hoc vero ille non facit. Sacra autem volumina ſibi concedi à Tito petit; fratrisque & plurium amicorum ſalutem libertatemque ab illo impetrat. Neque minus, vt, quos offenderat tres amicos crucifixos, Titi iuſſu detraherentur & curarentur. Cum Tito *Romam* profectus, bene à Veſpaſiano habetur. Per quem *ciuitatis iure donatus*, aedesque, quibus ipſe priuatus vſus fuerat, inhabitare iuſſus, annuo ſtipendio alitur. Quam ipſi felicitatem inuidens *Ionathan*, tumultus apud Cyrenenſes auctor, Ioſephum criminatur, quod arma ſibi & pecuniam ad hanc ſeditionem ſubminiſtrauerit. Fidem autem apud imperatorem non inuenit. *Vxorem*, improbis illius

lius moribus offensus, *repudiat Iosephus.* Ex qua tres filios susceperat; non tamen nisi vno *Hyrcano* superstite. *Ducit tertiam*, nobilem Iudaeam Cretensem, moribus eximiis praeditam. Quae ipsi *Iustum* & *Simonidem Agrippam* filios peperit. Post Vespasiani obitum, iisdem in honoribus per *Titum* habitus fuit. Neque minus per huius successorem *Domitianum*; perque *Domitiam*, Caesaris coniugem. Domitianus illi praediorum, quae in Iudaea haberet, immunitatem concessit.

Scripta. §. 7. Hosce nobis libros reliquit Iosephus. 1. *De bello Iudaico* libros VI. an VII? 2. *Antiquitatum Iudaicarum* libros XX. 3. *Iosephi vitam* per ipsum conscriptam. 4. *Contra Apionem* libros II. 5. De *Maccabaeis* librum. Num plura, quae hodie non supersunt, scripserit, vel scribere, voluerit, pro certo dici nequit.

Fides. §. 8. De *Iosephi*, qualis quidem suis temporibus inter Iudaeos esset, *eruditione* nulli dubitamus. Neque magis illius *veritatis studium* in dubium vocamus. De antiquioribus tamen rebus, propter ipsius *credulitatem*, non magna illius apud nos est auctoritas. *Chronologia* sane eius cum sacro codice ebraeo non concordat. Cuius rei quae ratio sit, nos definire non audemus. Persarum quoque imperio periodum tribuit nimis angustam. Quae

scire

ſcire potuit, in quibus per errorem & praeiudicia non peccauit, ſuorumque temporum hiſtoriam, bona fide ab illo conſcripta eſſe credimus. Ipſe teſtatur, *Titum imperatorem* ſuos de bello Iudaico libros ſua manu ſubſcriptos publicari iuſſiſſe: Et *Agrippam regem*, 62. ad ſe datis epiſtolis veritatis teſtimonium ſibi perhibuiſſe. Vtinam vero peregrinas manus experta non eſſe Ioſephi ſcripta, graecoque, quo hodie comparent, idiomate ab ipſo conſignata eſſe, pro certo dici poſſet. Num illius *de Chriſto*, e) *Iohanne baptiſta*, f) & *Iacobo apoſtolo*, g) genuina *teſtimonia* ſint, in vtramque partem diſputari poſſe credimus.

CAP. III.

DE *IOSEPHO GORIONIDE.*

§. 9.

Sex-Ioſephi Gorionidis libros, ebraeo idiomate ſcriptos, habemus; qui ab Adamo incipiunt, & in Titi imperatoris morte deſinunt. Hi à quonam ſint profecti, definiri non poteſt. Eundem ſane, quem Graecum Ioſephi opus, auctorem non Ioſephus Gorionides.

d] Vid. *Ioſephi vitam* per ipſum conſcriptam.

e] Ant. Iud. lib. XVIII. cap. 4.

f] Ibid. cap 7.

g] Ibid. lib. XX. cap. 8.

non agnoſcunt: cum illi in multis contradicant. Num vero illi coaeui ſint, an recentioribus ſeculis per Iudaeos ſuppoſiti, eam noſtrum non eſt componere litem: cum vel totus liber ſuppoſititius eſſe poſſit, vel interpolatus. *gg*)

CAP. IV.

DE *SCRIPTORIBVS LEGVM IVDAEIS RECENTIORIBVS.*

§. 10.

Rabbenu Alphes.

In Iudaeis recentioribus multis, qui legum ſuarum ſyſtemata dederunt, hi prae ceteris commendandi veniunt. *Rabbenu Alphes*, vel plenius, *R. Iſaacus filius R. Iacobi Alphes*, in Africae pago *Kilah Chaman* prope *Feſſae* vrbem natus, per totum ſeculum vndecimum vitam protraxit, inque *Hiſpania* diem ſuum obiit. *h*) Is legum à Iudaeis extra Palaeſtinam obſeruandarum ſyſtema, quod אלפסי inſcribitur, dedit. In *tres partes* eſt diſtinctum. Hoc de libro Maimonides dixit: יולאדם אדם לחבר ספר כזה אם לא שישרדה עליו רוח הקדש, *Talem librum, qui ſpiritu ſancto afflatus non ſit, nemo conſcribat.*

R. Moſes Maimonides.

§. 11. Hoc apud nos celebrior *R. Moſes*

gg) Vid. *Ioſeph Scaligeri* Elench. Trihaereſiii Nicolai Serarii, cap. 4. 5.

h) Sepher Iuchaſin, fol. 97, 1. *Io. Chriſtoph Wolf.* Biblioth Hebr. Part. I, p. 660.

ſes Maimonides [רמ"בם] A. C. 1131. *Cordubae* in Hiſpania primam lucem vidit. In orientem abiens, Saladini, regis Aegyptii, archiater eſt factus. Primis XIII. ſeculi annis diem ſuum obiit. Tanta huius viri eruditio, tantaque merita fuerunt, vt hoc ipſi encomium tribuant Iudaei: ממשה עד משה לא קם כמשה, *A Moſe ad Moſen nemo fuit, qui his par cenſeri poſſit.* i] Multa hic vir ſcripſit. Cuius ex ſcriptis tria potiſſimum nobis hoc loco veniunt commemoranda. 1. פירוש המשנה, *Commentarius in Opus Miſchnicum*; qui in Opere Talmudico legitur. 2. משנה תורה vel יד חוקה quod ampliſſimum legum omnium Iudaicarum, tam earum, quae ſtante republica Iudaica, quam earum, quae extra Palaeſtinam quoque obſeruari debent, ſyſtema eſt. Diſtinguitur hoc opus in *IV. Partes*; quae in *XIV. Libros*, & hi in multa *Capita*, eaque in *halachoth* [הלכות], ſubdiſtinguuntur. Hic liber rerum Iudaicarum ſtudioſo inſtar omnium eſſe poſſit. 3. מורה נבוכים, *Doctor perplexorum.* Cuius libri argumentum eſt, vt doceat, nihil continere ſcripturam ſacram, quod ſanae rationi conſentaneum non ſit; vtque legum Moſaicarum rationes exponere laboret. *Tribus partibus* hic liber conſtat. §.

i) Sepher Iuchaſin, fol. 99, 1. 2. *I. C. Wolf.* Bibl. Hebr. Part. I, 834. ſeqq.

Rabbenu Aſcher.

§. 12. *Rabbenu Aſcher* [הר"אש], plenius, *R. Aſcher filius Iechielis*, ineunte ſeculo XIV. floruit. Hic Germanus natiuitate, *Rotenburgi* in patria ſynagogae aliquamdiu praefectus fuit. Abiit vero dein in *Hiſpaniam*. k] Hic *legum* à Iudaeis extra Palaeſtinam quoque obſeruandarum *deciſiones* conſcripſit. Quas tanti faciunt Iudaei, vt Talmudi Babylonico eas, vna cum *earum compendio* (קיצור פסקי הר"אש) ſubiecerint.

Baal Hatturim.

§. 13. Huius filius, *R. Iacobus filius Aſcheri filii Iechielis*, Germanus, ſeculo XIV. medio floruit. Et in *Hiſpaniam* cum patre abiit. l) Cognomine *Baal hatturim* [בעל הטורים] à libro, quem ſcripſit, accepto, quam ſuo nomine, notior eſt. Legum enim extra Palaeſtinam obſeruandarum ſyſtema dedit: Quod à *IV. partibus*, in quas diſtinctum eſt, ארבע טורים, *Quatuor ordinum*, nomen eſt ſortitum: Qui in ſuas *ſectiones* [הלכות], & hae in *capita* (סימנים) ſubdiſtinguuntur. *Ordo I.* אורח חיים, *Orach chaiim*, de officiis quotidianis, ſabbatho, diebus feſtis, ieiuniis, precibus, iisque quae in ſynagoga obſeruari debent, praecipit. *Ordo II.* יורה דעה, *Ioreh deah*, de

k] Sepher Iuchaſin, fol. 100, 2. 124, 1. *I. C. Wolf.* Biblioth. Hebr. Part. I. p. 225 226.

l] Sepher Iuchaſin, fol. 124. 1 *I. C. Wolf.* Biblioth. Hebr. Part. I. p. 582. ſeqq.

de licitis & illicitis agit. *Ordo III.* אבן העזר *Ebhn haeſer*, rem vxoriam, de matrimonio, repudio, ſponſaliis, &c. inſtrumentisque illuc pertinentibus, explicat. *Ordo IV.* חשן המשפט, *Choſchen hammiſchpat*, de rebus fori, iudicibus, teſtibus, iure iurando, re pecuniaria, commerciis, haereditatibus, &c. exponit.

§. 14. *R. Ioſephus Karo*, filius Ephraimi, Hiſpanus, circa ſeculum XVI. medium & diutius floruit. m] Hic 1. commentarium in Maimonidis *Iad chaſakah*. dictum כסף משנה, *Keſeph miſchneh*, dedit. 2. Similiterque in *Arba turim* R. Iacobi filii Aſcheri commentarium, nomine בית יוסף, *Beth Ioſeph*, adornauit. 3. Denique Arba turim cum ſuo in hunc librum commentario in compendium, totidem partibus conſtans, redegit, quod nomine שולחן ערוך, *Schülchan aruch*, venit. Cuius libri cum magnus apud Iudaeos vſus ſit; infiniti propemodum in eum commentarii ſunt conſcripti. R. Ioſeph Karo.

§. 15. Subiungimus his *R. Mardochaeum Iapheh*, ſynagogarum Poſnanienſis, Lublinenſis, Cracouienſis, tandemque Pragenſis, principem; qui ſeculo XVI. inclinante & XVII, R. Mardochaeus Iapheh.

m] *I. C. Wolff.* Biblioth. Hebr. Part. I. p. 557. ſeqq.

XVII. incipiente clarus fuit. n] Compilauit librum, לבוש מלכות, *Lebhuſch malchuth*, dictum, *decem partibus* conſtantem; quarum plerisque, vt toti libro, nomina ex Eſth. VIII, 15. 16. impoſuit. In quinque prioribus partibus leges ex Schülchan aruch illiusque commentariis in compendium ſunt contractae, illisque plures leges legumque rationes additae. Quinque autem poſteriores partes alia continent, quae hoc loco recenſere non lubet.

)o(

n) Ibid. p. 792.

SECTIO IV.

DE

PRAECEPTIS EBRAEORVM.

SECTIO IV.

Prooemium.

1. Praecepta Mosaica.
2. Axiomata de Praeceptis Mosaicis.
3. Praeceptorum Mosaicorum numerus.
4. Statuta doctorum.

DE PRAECEPTIS EBRAEORVM.

PROOEMIVM.

§. 1.

Legum & praeceptorum ingens *multitudo* ex illis rerum Iudaicarum fontibus, quos deguſtauimus, pleno alueo fluit. Quas *praeceptorum* ſuorum *diuiſiones* Iudaei faciant, & quid generalius de iis praecipiant, ignorari non debet ab iis, quibus ad illorum ſacra propius accedere animus eſt. Hiſce igitur exponendis, primum noſtrum volumen, quod praenoſcenda continet, recte claudemus. Praeceptorum multitudo.

§. 2. *Adamo* & *Noacho praecepta* diuinitus data iam eſſe, certum eſt. Quaenam haec ex Iudaeorum mente fuerint, ſuo loco a] dicetur. Nomine *praeceptorum Noachidarum* [שבע מצות של בני נח] apud eos veniunt. Et qui morem iis gerunt, hos *piorum gentilium* [חסידי אומות עולם] nomine ornant; eosque ab *aeterna felicitate* conſequenda minime excludunt [יש להם חלק לעולם הבא: b] licet eccleſiae dei membra eſſe negent. Primum, in his locum dant *Abrahamo*. Qui, propter ſinceram Praecepta Noachidarum.

a] Sect. VI. §. 80.
b] Sanhedrin, fol. 105, 1. *Maimon.* hilch. Melachim, cap. 8. hal. 11.

ram ſuam pietatem, tam deo carus fuerit, vt *circumciſionis praecepto* eum dignatus fuerit, promiſſionibusque, quod illius poſteros non minus quam ipſum in *peculium* [סגולה] ſibi adſciſcere velit, beauerit.

Praecepta Moſaica.

§. 3. Hiſce igitur *per Moſen legem*, quam oblatam ceteraę gentes recipere recuſauerint, c) diuinitus eſſe datam, *cuius iugo* (עול תורה) ipſi humeros non inuiti ſubdiderint, gloriantur. *Praecepta Moſaica* diſertis verbis in pentateucho conſcripta, & nonnulla eorum, quae ex his per regulas hermeneuticas deriuantur, nomine *praeceptorum legis diuinae* (מצות מדאורייתא) veniunt. Variasque eorum faciunt claſſes; quae hoc loco conſiderari à nobis debent.

Statuta doctorum.

§. 4. Moſaicis praeceptis ingens *ſtatutorum doctorum* (מצות מדרבנן) exercitus ſucceſſiue acceſſit. Quae inferioris quidem ordinis praecepta eſſe largiuntur. Non magis tamen ea, quam Moſaica, à pio Iudaeo, contemni volunt: Quoniam Deut. XVII, 11. praecipiatur: *Ne recedito ab eo, quod tibi dixerint, vel ad dextram vel ad ſiniſtram.* d)

Iuſti, pii, & ſancti.

§. 5. Hac praeceptorum multitudine mirum in modum ſibi placent Iudaei. Quibus qui morem gerant, hi *iuſtorum* vel *proborum* (צדיקים) nomine ab illis ornantur.

Et

c] Abhodah ſarah, fol. 2. 2.

d] Schabbath, fol. 23. 1.

Et *perfecte* quidem *iusti* (צדיקים גמורים) illi salutantur, qui omnem lapidem mouent, ne qua in re impingant; sed omnibus peccatorum illecebris strenue resistunt; nec infidelium odiis & persecutionibus franguntur. Contra ea *iusti* quidem, sed *non perfecte*, [צדיקים שאינם גמורים] dicuntur ii, qui vel prauis cupiditatibus vel improborum odiis victi à recto tramite nonnunquam declinant. e) Si quis *plus faciat, quam Mosaicis praeceptis iniungitur*, is viri *pii* [חסיד] nomen demum meretur. f) Qui denique huius seculi res penitus contemnere didicit, is *kadosch* [קדוש] vel *parusch* [פרוש], id est, *sanctus* & *à ceterorum commercio separatus* salutatur. g]

§. 6. Distinguunt inter eos, qui *per errorem* [בשגגה], & *per contumaciam* [בזדון] contra praecepta *delinquunt*. Contumaces praeceptorum transgressores, *improbi* (רשעים) audiunt; siue *coacti peccent* (אונסים); siue huius seculi illecebris capti, verisque apparentia bona praeferentes, *de industria suaque sponte*, nemine cogente, *peccent* (פושעים). h) Officiorum in summum numen negligentes, *improbi in coelum* (רשעים לשמים) dicuntur: Qui officiorum in homines negligentes sunt, *improbi in creaturas* (רשעים לבריות): Improbi.

e] Brachoth, fol. 7. 1.
f] Babha kama, fol. 30, 1.
g] Taanith, fol. 11, 1. Pschim. fol. 104, 1.
h] E. g. Nasir, fol. 23, 1.

לבריות: Qui officiorum & in deum & in homines, *improbi in coelum & creaturas* [רישעים לשמים ולבריות]. i) *Perfecte improbi* (רשעים גמורים) dicuntur, qui praeceptis obsequium, quod facili negotio praestare possent, negant. *Improbi* quidem, sed *non perfecte* (רשעים שאינם גמורים), qui praeceptis pareant, quorum facilior executio sit; peccent contra ea, quae obseruatu sint difficiliora. k)

Refractarii, apostatae, & haeretici.

§. 7. *Mumar* (מומר), *refractarius*, dicitur, qui vel aliquibus vel omnibus praeceptis non parendi licentiam sibi, quasi re bene gesta, publice sumit. Sunt horum plures species. 1. מומר לדבר אחד, qui vnum aliquod vel nonnulla praecepta non agnoscat. 2. מומר לכל התורה כולה, apud quem tota Mosaica lex exigui pretii sit. l) 3. מומר אוכל נבלות לתיאבון, vel מומר לתיאבון, qui praua cupiditate adductus, vel vt seculi huius commodis potiatur, praecepta negligat. 4. מומר להכעיס, qui deum offendendi libidine peccet; peccator contumax. m) *Mschummad* (משומר), *apostata* dicitur, qui, Iudaico cultu relicto, alienis sacris det nomen. Omnes denique *haeretici*, quicunque illi demum sint, *Minim* (מינים) appellantur.

CAP.

i] Sanhedrin, fol. 27, 1.
k] Brachoth, fol. 7, 1.
l] Chulin, fol. 4, 2. 5, 1.
m] Chulin, fol. 3, 1. 4, 1. Conf. *Raschi* ad h. l. Abhodah sarah, fol. 26, 2.

CAP. I.

DE
PRAECEPTIS MOSAICIS.

§. 8.

Diuersa praeceptis diuinis nomina in codice sacro tribuuntur. n) *Torah* (תורה), totam *legem*, omniumue praeceptorum complexum, significat. Vocabulo strictius accepto *iuris naturae* vel *decalogi* praecepta significantur. Latius sumtum nunc *pentateuchum*, nunc totum *codicem sacrum*, nunc omnem suam *doctrinam*, Iudaeis significat. *Mischmaroth* (משמרות), omnia *praecepta* vel *obseruanda* vi vocis significare possint. Ad *interdicta* vero vel *praecepta prohibitiua* (לאוין) hoc vocabulum per Talmudicos restringitur. o) Quod num semper recte fiat, ex ipso codice sacro lector facile iudicet. *Mizuoth* (מצות), omnia *iniunctiua praecepta* significent. Ea sub hoc vocabulo comprehendere solent Iudaei, quorum, cur data sint, ratio non ignoretur. *Chükkoth* (חוקות), *ritus* sunt & *ceremoniae*. De illis, quorum ratio ignoretur, Iudaei interpretantur. *Mischpatim* (משפטים) dicuntur *leges forenses*. p)

Diuersa praeceptorum nomina.

§. 9. *Praecepta Mosaica* in tres species commode diuiduntur. Sunt enim alia *moralia*

Diuisio in diuersas species.

n] E. g. Gen. XXVI, 5. Conf. *Raschi* & *Aben Esra* ad h. l.

o] Maccoth, fol. 13, 2.

p] Exod. XXI, 1.

ralia, alia *ceremonialia*, alia *forenſia*. De qua diuiſione ſuo loco. q) In praeſenti de diuiſionibus, quas Iudaei facere ſolent, ſollicitos eſſe oportet.

Intuitu temporis.

§. 10. Intuitu *temporis*, diſtinguunt inter praecepta, 1. Quae *ante publicatum decalogum* (קודם מתן תורה vel, לפני הדיבור) & quae *poſt publicatum decalogum* (אחר מתן תורה, vel, אחרי הדיבור) fuerunt data r) Ad illa pertinent praecepta Noachidarum; quae Abrahamo, vt circumciſio, & per ipſum Moſen, vt praecepta de agno paſchali & ſabbatho, iniuncta fuerunt. 2. Quae, ex quo data ſunt, *ſtatim obſeruari debuerunt* (שנהגו מיד), & quae *ab introitu in Palaeſtinam* demum *obſeruari* debuerunt (שנהגו אחר ירושה וישיבה). s) 3. Quae non niſi *temporaria* fuerunt (שנצטוו לפי שעה). t) Quale fuit interdictum illud, ne in montem Sinai adſcendere auderent. Item, praecepta ſpecialia de agno paſchali in Aegypto comedendo (קרבן פסח מצרים). Plura huc referamus Chriſtiani, quae hanc ad claſſem pertinere Iudaei negent. Cum quibus confundi non debent, quae *aliquando* (בהוראת שעה) recte ſunt facta; cum

q] Sect. VI. §. 339. 343. 352.

r] Iebhamoth, fol. 5, 2. Abhodah ſarah, fol. 24, 1. 2.

s] Kidduſchin, fol. 37, 1. 2.

t] Sanhedrin, fol. 15, 2.

cum alias fieri non debeant. u) Vt tempore dedicationis templi Salomonei ieiunium diei expiationis neglectum dicitur. Illis opponuntur, quorum *perpetuus* esse debet *valor* [שנצטיוו לדורות]. w) 4. Quae *certis temporibus* sunt *alligata* [שהזמן גרמא], vt sabbathi dierumque festorum obseruatio; & quae *certis temporibus non* sunt *alligata* (שאין הזמן גרמא). x)

§. 11. Praecepta alia *omnes obligant* (מצות השוות בכל): Alia *omnes non obligant* (מצות שאינן שוות בכל). y) Sunt enim, quae ab omnibus Israëlitis obseruari debent (מצות ישראלים). Sunt vero etiam, quae à solis sacerdotibus (מצות כהנים). Huc referri quoque possit, quod nonnulla praecepta ad solum pontificem maximum, ad solum regem, ad solos iudices, ad solos mares, ad solas feminas, pertinent. Intuitu personarum, quas obligant.

§. 12. Distinguuntur porro in praecepta, *quae ipsum hominem spectant* (חובות הגוף); quale est praeceptum de reuerentia parentibus debita: & in praecepta, quae *praedia spectant* [חובות קרקע]; z) qualia sunt praecepta de decimis: porro in praecepta *quae supellectilia spectant* [חובות מנא]; quale praeceptum de vestium peniculamentis est: & Hominem vel bona eius spectantia.

u] Iebhamoth, fol. 90, 2. Abhodah sarah, fol. 24, 2.
w] Sanhedrin, fol. 15, 2.
x] Kidduschin, fol. 29, 1.
y] Iebhamoth, fol. 5, 1.
z] Kidduschin, fol. 37, 1.

& quae plures eiusmodi ſunt diſtinctiones. Eorum praeceptorum, quae *praedia ſpectant* [חובות קרקע], alia non ſolum in Palaeſtina verum etiam *extra Palaeſtinam* ſunt *obſeruanda* (נוהגות בחוץ לארץ); alia non niſi *in Palaeſtina* ſunt *obſeruanda* [נוהגות בארץ] a] Et horum quidem alia non niſi *ſtante templo* [בפני הבית]; alia autem *templo* quoque *non ſtante* [שלא בפני הבית]. b)

Intuitu poenae transgreſſorum.

§. 13. Diſtinctio alia eſt intuitu *poenae*, cui transgreſſores obnoxii fiunt. Sunt enim, quorum transgreſſores *ſupplicio obnoxii* fiunt [חייבי מיתת בית דין]; quorum transgreſſio *vindicta diuina* punitur [חייבי מיתת בידי שמים, vel חייבי כרת]; propter quae *victima offerri* deberet [חייבי קרבן]; vbi *fuſtuarii poena* locum *habeat* [חייבי מלקות]; vbi *ſoluenda pecunia* [חייבי ממון]; vbi *multa fixa* ſoluenda [חייבי קנס]. *Praecepta grauiora* [מצות חמורות] dicuntur, quorum transgreſſio tetrior creditur, grauiorique poena caſtigatur: *Praecepta leuiora* (מצות קלות), quorum neglectu minus peccari creditur, mitiorque poena eſt. c]

Praecepta iniunctiua & prohibitiua.

§. 14. Praeceptorum alia ſunt *iniunctiua* [מצות עשה]; alia *prohibitiua* [מצות לא תעשה]. d] Quibus nos *permiſſiua* addamus. e]

§. 15.

a] Kidduſchin, fol. 36, 2. ſeqq
b] Chulin, fol. 130, 1. 135, 1.
c] Sanhedrin, fol. 49, 2. ſeqq.
d] Maccoth, fol. 23, 2.
e] Matth. XIX, 8.

§. 15. In iiunctiuis [עשין], diuiſionis in ea, quae *certo tempori alligata* ſunt [שהזמן גרמא], & quae *certo tempori alligata non ſunt* [שאין הזמן גרמא], praecipue vſus eſt. f] Iniunctiuorum diuiſio.

§. 16. Prohibitiuorum [לאוין] diuerſae ſunt ſpecies. 1. *Simpliciter prohibitiua* [לאו גרידא]. 2. Quorum *transgreſſio excidio* diuinitus *punitur*. (לאו שיש בו כרת) 3. Quibus *praemonentur* homines, *ne ſupplicii reos ſe faciant* (לאו שנתן לאזהרת מיתת ב"ד). 4. Quae *per ſubſequens praeceptum iuiunctiuum debilitantur* [לאו הניתק לעשה]. 5. Quae *praecepto iuiunctiuo poſtponuntur* (לאו שנדחה עשה). 6. *Interdictum plura comprehendens* (לאו שבכללות). 7. *Contra quod omittendo peccatur* (לאו שאין בו מעשה). Prohibitiuorum ſpecies.

§. 17. *Praeceptum ſimpliciter prohibitiuum* [לאו גרידא] eſt, cuius transgreſſores non niſi fuſtuario caſtigantur. g] E. g. Si quis de animali immundo veſcatur. Simpliciter prohibitiuum.

§. 18. Praeceptum prohibitiuum, cuius *transgreſſio excidio punitur* [לאו שיש בו כרת], eſt, de quo verbum כרת, quod de diuina vindicta Iudaei interpretantur, in pentateucho legitur. h] E. g. Si quis ſebum comedat. Cuius transgreſſio excidio punitur.

§. 19.

f] Kidduſchim, fol. 29, 1. g] Iebhamoth, fol. 5, 2. h] Ibid.

Praemonens, ne quis ſupplicii reus fiat.

§. 19. Praeceptum prohibitiuum *praemonens ne quis ſupplicii reum ſe faciat* (לאו שנתן לאזהרת מיתת ב"ד), eſt, cuius transgreſſio ſupplicio vindicatur; quam vero poenam à transgreſſoribus ſumi debere, in diuerſo pentateuchi loco iniungitur. i]

Debilitatum per iniunctiuum.

§. 20. Praeceptum prohibitiuum, *quod per ſubſequens iniunctiuum debilitatur* (לאו הניתק לעשה), dicitur id, cuius transgreſſio per ſubſequentis iniunctiui obſeruationem emendari poteſt. k] Tale eſt interdictum, quod de agno paſchali nihil reſidui in craſtinum manere debeat. Quodſi enim manſerit, igne comburi iubetur. l]

Supponens iniunctiuum

§. 21. Praeceptum prohibitiuum *quod iniunctiuum ſupponit* (לאו שקדמו עשה), eſt, quod tum demum locum habet, vbi praecedenti iniunctiuo ſit ſatisfactum. m) E. g. Qui ſponſam laeſae pudicitiae accuſauerit, n) vel puellam vi compreſſerit, o) *eam ducere, ductamque nunquam repudiare*, iubetur.

Interdictum plura comprehendens.

§. 22. *Interdictum plura comprehendens* (לאו שבכללות) dicitur, quo nonſolum vnica res, ſed plures cognatae ſimul prohibentur.

i] Maccoth, fol. 13, 2. Conf. *Raſchi* ad h. l.
k] Maccoth, fol. 15, 1.
l] Exod. XII, 10.
m] Maccoth, fol. 14, 4. 15, 1.
n] Deut. XXII, 19.
o] Deut. XXII, 29.

tur. E. g. Verbis Exod. XXIX, 34: לא יאכל כי קדש הוא, *Ne comedatur, quoniam ſacrum eſt*, id quidem tantummodo prohiberi videatur, quod de *reſiduo ſacrificii inaugurationis ſacerdotum* (נותר קרבן מלואים) ſequenti die comedere licere non debeat. Si vero rem penitius conſideremus, per ſubiunctam verbis, כי קדש הוא, *quoniam ſacrum eſt*, praecepti rationem, comeſtio omnium *ſacrificiorum, quae illegitima facta ſint* (קדשים פסולים) ſimul prohibetur. p) Ita quoque interdicto Exod, XII, 9: אל תאכלו ממנו נא ובשל מבשל במים כי אם צלי אש, *Ne comeditote de illo crudo, vel in aqua elixato, non niſi ad ignem aſſato*, omnes modi agnum paſchalem ad cibum praeparandi, quicunque excogitari poſſint, ſolo aſſandi modo excepto, interdicuntur. q) Similiter huc pertinet, quod Num. VI, 4. Naſiraei omnibus & vel minimis vitis prouentibus abſtinere iubentur. r)

§. 23. Praeceptum prohibitiuum, *contra quod omittendo peccatur* (לאו שאין בו מעשה), dicitur id, cuius transgreſſio vel omittendo fit, vel committendo ſaltem non niſi verbis. Prioris generis eſt id, quo de agno paſchali in craſtinum aliquid relinquere vetantur. s) Interdictum contra quod omittendo peccatur.

Poſte-

p] Maccoth, fol. 18, 1. 2. Conf. Toſephoth ad h. l.
q] Pſachim, fol. 41, 1. 2.
r] Pſachim, fol. 41, 2.
s] Exod. XII, 10. Schbhuoth, fol. 3, 2.

Posterioris generis est id, quo falsum testimonium contra alterum dicere prohibentur. t)

Illicitorum species.

§. 24. In praeceptis prohibitiuis denique illa sunt, quibus *illicita* (איסורים) prohibentur. In illicitis autem vel vno vel pluribus peccatis delinquitur. Dantur enim *res vno respectu illicitae, circa quas multis tamen modis peccari possit* [איסור כולל]. Dantur etiam *res*, quae *diuerso respectu illicitae* sint [איסור מוסיף].

Res vno respectu illicita, circa quam multis modis peccatur.

§. 25. *Res vno respectu illicita, circa quam multis modis peccatur*, [איסור כולל] est, quae non nisi per vnicum praeceptum illicita sit, vt adeo in re ipsa, per illius naturam, non nisi vnicum peccatum committi quidem queat; in qua tamen homo peccans plura praecepta ipsum obligantia, quae ad rem illam nihil pertineant, eodem actu transgrediens, plurium peccatorum se reum facere possit. Ita in re non nisi vno intuitu illicita cumulantur delicta, si quis *die expiationis* [יום כיפור] *sebum* [חלב] comedat. Item, si quis, quo die se nihil comesturum iurauerat, de cadauere [נבלה] comedat. u)

Res diuerso respectu illicita.

§. 26. *Res diuerso respectu illicita* [איסור מוסיף) est, quae ipsa per plura praecepta, quorum vnum ad alterum accedat, illicita sit; vt adeo in re ipsa, per ipsam illius naturam,

t] Maccoth, fol. 2, 2.
u] Schbhuoth, fol. 23, 2. 24, 1. 2. Vid. *Raschi* ad h. l.

turam, multis modis peccetur. E. g. Qui ſebum victimae in craſtinum aſſeruatum (חלב קרשים נותר) comedat; is *comeſtione ſebi* (חלב); *ſacrilegio* (מעילה), & *comeſtione reſidui ex victimis* (נותר) peccat. w)

CAP. II.
AXIOMATA DE PRAECEPTIS MOSAICIS.

§. 27.

Vbi praeceptorum iniunctiui & prohibitiui colliſio fiat, praecipiunt Iudaei: עשה דחי לא תעשה, *Praeceptum iniunctiuum vincit prohibitiuum.* x) Idque ideo, quod praeceptum iniunctiuum cum prohibitiuo pugnans huius exceptionem eſſe, ex praeceptorum pugna, quam ipſa pentateuchi auctoritas componat, intelligatur. E. g. Nemo ſabbatho vel die feſto vllum opus facito. Excipe opera illa, quae ad offerendas victimas & cultum publicum pertinent. Nemo fratris viduam ducito. Excipe illum caſum, ſi frater improles obierit. Parem igitur illorum, quorum pugna per ipſum pentateuchum non componatur, rationem eſſe contendunt. E. g. Naſiraeus caeſum, quem inueniat, (מת מצוה) ſepelire tene- Praeceptum iniunctiuum vincit prohibitiuum:

w] Vid. *Raſchi* ad Schbhuoth, fol. 24, 2.

x] Iebhamoth, fol. 3, 2.

tenetur. y] Hoc tamen axioma non nisi de iis *praeceptis prohibitiuis* valet, *quorum transgressio non nisi fustuario punitur.* (לא תעשה גרירא). Quorum vero *transgressio per exterminium vindicatur* [לא תעשה שיש בו כרת], illa per praeceptum iniunctiuum non vincuntur. z]

Praecepta prohibitiuum & iniunctiuum per iniunctiuum non vincuntur.

§. 28. אין עשה דוחה לא תעשה ועשה, *Praeceptum prohibitiuum cum iniunctiuo per aliud iniunctiuum non vincuntur.* a] E. g. Victima, quae illegitima facta sit, (קרשים פסולין) cremari debet. Minime tamen die festo (יום טוב) id facere licet. Hoc enim qui faceret, is praeceptum prohibitiuum *ne opus* (מלאכה) *die festo fiat*, & iniunctiuum, *vt die festo quiescatur*, esset transgressurus. b)

Feminae ab iniunctiuis certo tempori alligatis absoluuntur; neque minus ferui.

§. 29. *Absoluuntur feminae à praeceptis iniunctiuis, quae certo tempori sunt alligata.* [מצות עשה שהזמן גרמא נשים פטורות]. c] Excipiuntur tamen illa, quae & ipsae obseruare in pentateucho diserte iubentur. d) Ab iisdem praeceptis serui quoque Cananaei absoluuntur; secundum illud: כל מצוה שהאשה חייבת בה עבד חייב בה כל מצות שאין האשה חייבת בה אין העבד חייב בה, *Quodcunque praeceptum feminae obseruare tenen-*

y] Sanhedrin, fol. 37, 2.
z] Iebhamoth, fol. 3, 2. seqq fol. 8, 1.
a] Schabbath, fol. 25, 1.
b] Ibid. fol. 24, 2.
c] Kidduschin, fol. 29, 1.
d] Kiddusch in, fol. 34, 2.

nentur, ſerui quoque obſeruare tenentur. Quodcunque autem praeceptum feminae obſeruare non tenentur, neque ſerui obſeruare tenentur. e]

§. 30. *Neminem niſi praemonitum ſupplicio afficiendum eſſe*, ſtatuunt. (אין עונשין אלא מוהירין). f) Hinc crimina, quae ſupplicio vindicari iubentur, per prohibitiuum aliquod praeceptum in pentateucho quoque prohiberi debuiſſe, contendunt. Ne quis igitur ſuſpicetur, prohibitiuum illud praeceptum propterea in pentateucho comparere, vt intelligatur talis criminis reum ante fuſtigari debere quam ſupplicio afficiatur; ita praecipiunt: לאו שנתן לאזהרת מיתת ב"ד אין לוקין עליו, *Praecepti prohibitiui praemonentis, ne quis ſupplicii reum ſe faciat, transgreſſio fuſtuario non eſt punienda.* g) Supplicio afficiendi ne fuſtigentur.

§. 31. De *praecepto prohibitiuo, quod per ſubſequens iniunctiuum debilitatur* [לאו הניתק לעשה) hunc in modum praecipiunt: בא הכתוב ליתן עשה אחר לא תעשה, לומר שאין לוקין עליו, *Praeceptum iniunctiuum prohibitiuo ſubiunxit pentateuchus, vt doceret, huius transgreſſionem fuſtuario non eſſe vindicandam.* h] Non magis praecepti prohibitiui per iniunctiuum debilitati transgreſſores.

§. 32.

e] Chagigah, fol. 4, 1.
f] Sanhedrin, fol. 9, 2.
g] Maccoth, fol. 13, 2.
h] Schbhuoth, fol. 3, 2.

De prohibitiuo iniunctiuum ſupponente dubitatur.

§. 32. Num in *praecepto prohibitiuo, quod iniunctiuum ſupponit,* (לאו שקדמו עשה) fuſtuarium locum habeat, diſputatur. i)

Interdicti plura comprehendentis poena fuſtuarium non eſt.

§. 33. לאו שבכללות אין לוקין עליו, *Propter interdictum plura comprehendens tranſgreſſor fuſtigari non debet.* De huius autem axiomatis ſenſu diſputatur. Nimirum dubitatur, num, ſi contra plures talis interdicti paſſus ſimul peccatum fuerit, non niſi vnica fuſtigatione delictum puniri debeat; an talis interdicti transgreſſio fuſtigatione omnino non ſit punienda. k)

Non magis interdicti contra quod omittendo peccatur.

§. 34. לאו שאין בו מעשה אין לוקין עליו *Propter praecepti prohibitiui, contra quod non niſi omittendo peccatur, transgreſſionem nemo fuſtigetur.* l)

Cumulata peccata.

§. 35. Qui *in re non niſi vno reſpectu illicita pluribus modis peccet* (איסור כולל), de eo dicitur: מיגו רחל על היחד חל נמי על איסור, *Quoniam* (interdictum hoc) *locum habet in licitis, locum non minus habet in illicitis.* m) Vbi vero non quidem per ipſum peccantem ſed *per rem ipſam, in qua delinquitur, delicta cumulentur* (איסור מוסיף), hoc oxioma illis in ore eſt: מיגו דאיתוסף בה איסור אחר חל נמי על אדם, *Quoniam res per plura praecepta illicita eſt, delinquentis quoque in ea peccata cumulantur.* n]

§. 36.

i] Maccoth, fol. 14, 2. 15, 1.
k] Pſachim, fol. 41, 2.
l] Sanhedrin, fol. 10, 1. Maccoth, fol. 16, 1.
m] Schbhuoth, fol. 24, 2. Vid. *Raſchi* ad h. l.
n] *Raſchi* ad Schbhuoth, fol. 24, 2.

§. 36. Silentio quoque praeteriri non debet, quod a certarum ſpecierum praeceptis ad oppoſitae ſpeciei praecepta inferri debere negant. E. g. *A praeceptis ante publicatum decalogum datis* (מצות לפני הדיבור) ad *data poſt publicatum decalogum* (מצות אחרי הדיבור), & ab his ad illa, per *argumenta a diſpari* (קל וחומר) & *a pari* (מדה מצינו) non inferunt. o) Neque magis *a praeceptis, quae omnes obligant*, (מצות השוות בכל) ad *praecepta, quae non omnes obligant* (מצות שאינן שוות בכל); nec vice verſa. p) &c.

A certis praeceptis ad cetera inferri non debet.

CAP. III.

DE *PRAECEPTORVM MOSAICORVM NVMERO.*

§. 37.

Docuit *R. Samlai*, 613. *praecepta* (תרי"ג מצות) Moſi per deum data eſſe. Quorum 365. *prohibitiua* (שס"ה לאוין) ſint, pro numero dierum anni ſolaris; 248. autem *iniunctiua* (רמ"ח עשין), humani corporis membra numero aequantia. q) Quaenam autem ſingula haec praecepta ſint, in Talmude nusquam exponitur. Fecit igitur *Maimonides* eorum catalogum. r) Non de-

Praecepta 613.

o) Iebhamoth, fol. 5, 2. q) Maccoth, fol. 23, 2.
p) Ibid. fol. 5, 1. r) In *Sepher hammizvoth.*

defuerunt, qui de nonnullis ab illo dissentirent; nonnulla, quae illum male omisisse suspicati sunt, inserendo; & nonnulla, quae ille distinxit, in vnum contrahendo. s)

Regulae vniuersales pro illis definiendis

§. 38. Quid in definiendis ordinandisque 613. praeceptis sequutus sit *Maimonides*, ex illis, quae sequuntur, *regulis vniuersalibus* [שרשים] t) apparebit. 1. Numerantur sola ea, quae *Mosi in monte Sinai* sunt *iniuncta* [שנאמרו למשה בסיני]; & quidem non nisi, ea, quae *in pentateucho* comparent. Excluduntur igitur omnia doctorum praecepta (מצות דרבנן); neque minus, quae a prophetis ceterisque viris theopneustis, vel ipso etiam Mose extra pentateuchum, sunt instituta. 2. Non quoque huc referuntur, quae per *tredecim R. Ismaëlis hermeneutica axiomata* [י"ג מדות] elicita sunt. Exceptis tamen illis, de quibus, quod *legis Mosaicae* [מן התורה] sint, in Talmude diserte dicitur. 3. Omnia *temporaria praecepta* [שנצטוו לפי שעה], & quae *perpetuae durationis esse non debuerunt* [שלא נהגו לדורות] excluduntur. 4. Non magis numerantur *praecepta generalia* [ציוים כלליים], quae certam aliquam rem indiuiduam, quam vel praecipiant vel prohibeant, pro obiecto non

s) Vid. *Nachmanidis* Commentar. ad Sepher hammizvoth.

t) Vid. Sepher Hammizvoth & Megillath Esther.

non habent. E. g. ושמרתם את כל מצותי ועשיתם אותם, *Obſeruabitis omnia praecepta mea, & facietis illa.* u) 5. *Rationes praeceptis ſubiunctae* [שעמי המצות] in praeceptis non numerantur. E. g. Leu. XIX, 29: Filiam tuam ad meretricandum ne proſtituito; *ne meretricatu inquinata terra flagitiis repleatur.* 6. Vbicunque *praeceptum iniunctiuum* [עשה] & *prohibitiuum* [לא תעשה] *coniunguntur, pro binis* numerantur. Ita ſe res habet, quotiescunque *praecepti prohibitiui transgreſſio per ſubſequens iniunctiuum emendatur* [לאו הניתק לעשה]; item in *praeceptis prohibitiuis quae iniunctiuum ſupponunt* (לאו שקדמו עשה). Praeceptum *prohibitiuum per bonam conſequentiam ex iniunctiuo deriuatum* (לאו הבא מכלל עשה) *in iniunctiuis* (עשין) numeratur. E. g. *Omnes aues mundas comedatis.* w) Ergo immundas ne comeditote; ſed mundarum immundarumque in critera diligenter inueſtigatote. 7. *Diuerſi eiusdem praecepti modi* pro diuerſis rerum circumſtantiis praeſcripti (דקדוקי המצות) vt diuerſa praecepta non numerantur. E.g Praeceptum de *ſacrificio maius & minus recipiente* [קרבן עולה ויורד]. x) 8. Praece-

pta

u) E. g. Leu. XX, 22. Deut. IV, 6. XI, 32.

x) E. g. Leu. V, 6-13. XII, 8. XIV, 10-32.

w) Deut. XIV, 11.

pta *prohibitiua*, *quae ab obligatione abſoluunt*, (שלילות החיוב) in prohibitiuis non numerantur. E. g. Quando de inueterata lepra Leu. XIII, 11. dicitur: *Ne concludito eum; immundus eſt.* 9. *Praeceptum* in pentateucho *ſaepius repetitum* [הרבה ציווים ברבר אחר] non niſi ſemel numeratur. 10. Diuerſae *rei praeparationes* (יריעת עשייתם) in pentateucho praeſcriptae, vt diuerſa praecepta non numerantur. E. g. De conficiendo ſuffimento ſacro (קטורת) non niſi vnicum praeceptum eſt. 11. Diuerſa *praecepti membra* (חלקי המצות), vt ſeperata praecepta non numerantur. E. g. De *ſpatha palmae* (לולב) in ſcenopegiae feſto geſtanda; licet plurium arborum frondes ad eam requirantur, non niſi vnum praeceptum eſt. 12. Praecepta de *diuerſis rei partibus* (חלקי המלאכה) in vnicum praeceptum colliguntur. E. g. De erigendo *tabernaculo ſacro* (משכן) non niſi vnum praeceptum eſt; licet de aſſeribus, baſibus, aulaeis, &c. ſeperatim praecipiatur. 13. *Pro numero dierum*, quibus praeceptum aliquod exequendum eſt, *praecepta non multiplicantur.* (המצות לא יתרבו לפי מספר הימים שנתחייב בהם המצוה ההיא). 14. *Poenae eaedem* diuerſorum praeceptorum transgreſſoribus infligendae *non niſi ſemel in praeceptis numerantur.* (שאין להכניס במנין העונשין כגון המלקיות ומיתות ב"ד).

§. 39.

§. 39. Qui haec cognita habeat, non mirabitur, cur alia in praeceptis numerentur, alia non numerentur. Ipsa iam praecepta recensere debebamus. Cum vero illa aliunde facile peti possint; lectoris patientia non abutendum esse putamus. Ipsa praecepta.

CAP. IV.

DE

STATVTIS DOCTORVM.

§. 40.

Doctorum statuta compluribus gaudent nominibus: Quae nunc promiscue vsurpantur; nunc diuersae per ea species significantur. Dicuntur, מצות דרבנן, *Praecepta doctorum*; גזירות, *Scita*; תקנות, *Constitutiones*; סייגים, *Sepimenta*. Talia sunt: Lectio voluminis Estherae in festo Bacchanaliorum [מקרא מגלה]. Accensio lucernarum in festo Encaeniorum (נר חנוכה). Lotio manuum (נטילת ידים). Mixturae sabbathicae (עירובין). Interdictum ne quis solus sit cum sola (ייחוד). Chirographum auctoritate iudiciali conscriptum (פרוסבול). Gradus consanguinitatis latius extensi [שניות]. Et millena alia. Statuta doctorum.

§. 41. Recentioribus hisce doctorum statutis non minus quam Mosaicis parere te Poena refractariorum.

tenentur *Iudaei Rabbanitae.* y] Contra quae qui impingat, is *fuſtuario refractariorum* [מכות מרדות] coërcetur. z) Qui obedire pertinacius recuſet, hunc *anathematis ſententia* feriunt. a]

Oppugnantur per Chriſtum & apoſtolos.

§. 42. Fuerunt ſane in doctorum ſtatutis, quae ſalutaria eſſent, improborumque peruicaciam recte coërcerent. Infinita autem illius erant naturae, vt ſuperſtitioſiores homines facerent, quam meliores; vt hypocriſi, cum veri cultus neglectu, patrocinarentur; vt improbi ad impietatem colorandam abuti illis poſſent. Quae cauſa fuit, cur Chriſtus & apoſtoli illa acerrime oppugnarent.

(y Schabbath, fol. 23, 1.
(z *Maimon.* Iad Chaſackah, hilch. Sanhedrin, cap. 18. hal. 5. fol. 252, 2.
a) *Maimon.* hilch. Talmud torah, cap. 6. hal. 12 - 14.

Digitized by Google

Digitized by Google

Insights Group